UNIVERSITEITSBIBLIOTHEEK GENT
90000

Google

CHR. G. HEYNII

PROFESSORIS ELOQV. ET POES. GEORGIAE AVGVSTAE M. BRITANN. R. A CONSIL. AVL.

OPVSCVLA ACADEMICA

COLLECTA

ET

ANIMADVERSIONIBVS

LOCVPLETATA.

VOLVMEN III.

GOTTINGAE

APVD IO. CHR. DIETERICH.

1788.

CONSPECTVS
PROLVSIONVM
VOLVMINIS TERTII.

I. *Vita antiquiſſimorum hominum Graeciae ex fero-rum et barbarorum populorum comparatione illu-ſtrata.* Commentatio I. Ad commendandum nouum Proreſtorem Godofr. Leſs d. 2. Iulii 1779 Pag. 1

II. —— Commentatio II. Ad indicenda Anni-verſaria ſacra XXXXII. d. 17. Sept. 1779 17

Epimetrum ad duas has Commentationes 31

III. *Foedera Carthaginienſium cum Romanis ſuper na-vigatione et mercatura facta.* Commentatio *prior.*

Ad commendandum nouum Prorectorem Chr. Frid. Ge. Meiſter d. 2. Iul. 1780 — 39

IV. — Commentatio *poſterior.* Ad indicenda ſacra Anniuerſaria XXXXIII. d. 18. Septemb. 1780 — 55

Epimetrum ad duas has Commentationes — 76

V. *De Romanorum prudentia in coloniis regendis.* Ad commendandum nouum Prorectorem Io. Andr. Murray 2. Iul. 1781 — 79

VI. *De animabus ſiccis ex Heracliteo placito optime ad ſapientiam et virtutem inſtructis.* Ad indicenda Anniuerſaria ſacra XXXXIIII. d. 17. Septemb. 1781 — 93

VII. *De febribus epidemicis Romae falſo in peſtium cenſum relatis.* Ad commendandum nouum Prorectorem Io. Chph. Gatterer d. 2. Iul. 1782 — 108

Epimetrum — 125

VIII. *De Leone M. Pontifice Rom. Attilae et Genſerico ſupplice facto* *). Ad indicenda Anniuerſaria ſacra XXXXV. d. 17. Sept. 1782 — 127

Epime-

*) Incidi nuper in aliam, quae memoria exciderat, deſcriptionem tabulae a Raphaele pictae, ab Equite d'Hancarville ſermone verbis exube-

Epimetrum ſuper fabuloſis narrationibus de Attila 142

IX. *De belli Romanorum ſocialis cauſſis et euentu, reſpectu ad bellum cum Coloniis Americanis geſtum habito.* Ad commendandum nouum Prorectorem Io. Benj. Koppe d. 2. Iul. 1783 144

X. *Foederatarum rerump. coalitio vix vnquam ſatis fida, exemplis ex antiquitate illuſtrata.* Ad ſacra Anniuerſaria indicenda XXXXVI. d. 18. Sept. 1783 162

XI. *Cur virgis caeſi Romano more, qui mox ſecuri percutiendi eſſent. I lictor conliga manus.* Ad commendandum nouum Prorectorem Io. Steph. Pütter d. 7. Aug. 1784 184

XII. *Hiſtoriae naturalis fragmenta ex oſtentis prodigiis* [illegible]*is.* Commentatio *prior* *). Ad indicendas ſacra Anniuerſaria XXXXVII. et ad celebran-

exuberante, nec ad deſcriptionis ſubtilitatem inſtituto factam, ſubiecta quoque delineatione ad manum Raphaelis extimo formarum ambitu graphide expreſſo, in Picturis Etruſcis To. II. p. 14 ſqq. Algardiani autem analyphi praeclaram dedit notitiam ſubtiliore iudicio adhibito, exquiſita artium elegantiorum doctrina et ſenſu inſtructus idemque nobis amiciſſimus F. W. Baſil. de Ramdohr: *Ueber Mahlerey und Bildhauerkunſt in Rom* III. Th. p. 234 ſqq.

*) v. mox n. XV.

brandas *ferias muneris profeſſorii ſemiſaeculares Sam. Chr. Hollmanni*, d. 17. Sept. 1784 198

XIII. Ad indicendam munificentiam regiam *in praemiis academicae Iuuentuti conſtituendis et ad argumenta certaminis proponenda.* Kal. Nov. 1784. 216

XIV. Ad promulganda *nomina eorum, qui praemia in IV. Iunii propoſita ordinum academicorum iudiciis reportarunt;* nouis ſimul quaeſtionibus in annum ſequentem propoſitis. M. Iunio 1785 234

XV. *Hiſtoriae naturalis fragmenta ex oſtentis, prodigiis et monſtris.* Commentatio *poſterior.* Ad commendandum nouum Prorectorem Henr. Aug. Wrisberg d. 2. Iulii 1785 255

XVI. *De foederum ad Romanorum opes imminuendas initorum euentis eorumque cauſſis.* Ad indicenda Anniuerſaria ſacra XXXXVIII. d. 17. Septemb. 1785 275

XVII. *Demogorgon, ſeu Demiurgus, e diſciplina magica repetitus.**) Ad commendandum nouum Prorectorem Luder. Kulenkamp d. 2. Ian. 1786 291

XVIII.

*) Cf. Tiedemann v. c. in Diſp. *Super Quaeſtione de artibus magicis propoſita a. R. Sc. Soc.* p. 69. 70. vbi ex Lucani et Statii locis ſagaciter elicit magiae vulgaris incrementa inde a Neronis temporibus.

XVIII. Ad promulganda *nomina eorum, qui praemia in IV. Iunii propoſita ordinum academicorum iudiciis reportarunt;* nouis ſimul quaeſtionibus in annum ſequentem propoſitis. M. Iunio 1786 315

XIX. *Saeculi felicitas in numis.* Ad commendandum nouum Prorectorem Godofr. Leſs d. 3. Iulii 1786 *) 322

XX. *Res a Phocione in rep. Athenienſium geſtae in diſceptationem vocatae.* Ad commendandum nouum Prorectorem Io. Nic. Möckert d. 2. Ian. 1787 344

XXI. *Ad promulganda nomina eorum, qui praemia in IV. Iunii propoſita ordinum academicorum iudicio reportarunt;* nouis ſimul quaeſtionibus in annum ſequentem propoſitis. M. Iunio 1787 365

XXII. *Rerum Cherſoneſi Tauricae memoria breuiter expoſita.* Ad commendandum nouum Prorectorem Aug. Gottl. Richter d. 2. Iulii 1787. 384

XXIII. *Georgiae Auguſtae inaugurationis ſacra Anniverſaria L. adeoque ſemiſaecularia ſollenniore ritu feſtis-*

*) Quod proximum tempore abhinc fuit *Obſſ. ad LL et reſp. Magnae Graeciae Supplementum*, ad indicenda ſacra Anniuerſaria d. 17. Sept. 1786. iam inſertum eſt To. II. p. 278.

feſtisque caerimoniis celebranda in diem XVII. Septembris 1787 *indicta* 398

XXIV. *Oratio in panegyri ſollennium ſemiſaecularium Academiae Georgiae Auguſtae d. XVII. Sept.* 1787 *habita* 411-430

I.

I.

ACADEMIAE GEORGIAE AVGVSTAE
PRORECTOR
LVDERVS KVLENKAMP
CVM SENATV
SVCCESSOREM
GODOFREDVM LESS D.
IN
MAGISTRATV ACADEMICO GERENDO
CIVIBVS
OFFICII ET HONORIS CAVSSA
COMMENDAT
IN A. D. II. IVLII cIↃ IↃ CCLXXIX.

Vita antiquiſſimorum hominum, Graeciae maxime, ex ferorum et barbarorum populorum comparatione illuſtrata.

Commentatio I.

Cum omnis verior philoſophandi ratio ab accuratiore naturae rerum cognoſcendae et ingenii humani, in diuerſo culturae et expolitionis genere ac gradu conſtituti, intuendi et explorandi ſtudio ſit profecta: dici vix poteſt, Commilitones,

quanto humanitatem beneficio obligauerint ii, qui diſſitas et longinquas orbis terrarum partes aditas a ſe deſcripſere, et de naturae copiis, incredibili prouentus et cultus varietate, de hominum ingeniis, moribus inſtitutisque, ad primum intuitum toto caelo a ſe inuicem abhorrentibus, communem tamen, ſi diligentius contempleris, naturam, communem naturae auctorem, eumque optimum, ſapientiſſimum, pollentiſſimum, arguentibus, paullo curioſius tradidere. Illorum enim virorum labore, periculo, opera, rerum noſcendarum campus latiſſimus apertus, anguſti philoſophiae ſtudii, quale antea erat, fines, vt *extra anni ſolisque vias*, ita vltra exiguos fundi, quo quisque natus et altus erat, limites, quos eosdem rerum quoque naturae terminos ſtatuebat, ſunt prolati. Itaque liberiore nunc curſu exſpatiatur mens humana, nec vnius modo loci quaſi veſtigio, cui inſiſtimus, circumſcripti prominemus ad proſpicienda pauca vicina iugera; ſed *immenſo*, vt poëta ait, *ſpatiantes viuere caelo* audemus, ab innumeris prauis opinionibus purgati ac liberati, quae animis inſederant et tam altas radices egerant, vt nec ſumma iudicii ſubtilitas, quae in hominum per ſuperiores aetates ingeniis erat, nec reuelata de rebus diuinis humanisque doctrina ad eas euellendas vim haberet, quin potius eas altius infigere, laetius alere, et nouis errorum ſurculis diſſeminare videretur. Poſtquam vero melioris naturae ſtudii fax ſemel, tanquam de ſapientiae arce, fuit prolata; cum intellectum ſit, tantam ingeniorum, morum et ſtudiorum varietatem in genere humano non minus a ſummo eius auctore eſſe

eſſe profectam quam infinitam hanc varietatem in caeli ſolique naturis, rerum animantiumque ſeminibus, formis, incrementis; nec reuocari poſſe numinis curam ac prouidentiam ad vnum populum, ad vnam ſectam et profeſſionem opinionis ac cultus: ſuperſtitionum et opinionum ludibria paſſim ſunt diſpulſa, et coepit tandem aetas ſtatuere digna numine diuinaeque naturae maieſtate, quam paullo ante quo quis magis ad naturae humanae imbecillitatem detraxerat, hominique aſſimulando deum diluerat, eo verius et magnificentius de deo ſenſiſſe videbatur.

Verum ad hiſtoriae quoque veteris fidem firmandam plurima ſunt, quae ex his peregrinantium narrationibus peti poſſunt. Multa in iis occurrunt de populis ac familiis eodem fere vitae cultu victuque vtentibus, qui nunc paſſim per Americam, inter populos nondum ad vitae melioris initia progreſſos, viſitur. Herodoti fides quam vexata fuerit, ſatis conſtat; quam tamen recentiorum de Aſia et Africa ſcriptorum conſenſus egregie liberauit et ſtabiliuit, quum iam ante duo ſaecula ab Henr. Stephano coepta eſſet vindicari. In ipſis ſacris Hebraeorum libris, cum magna rerum expoſitarum pars ad homines ſpectet, qui aut ſub ipſa ſocietatis humanae primordia viuerent aut nomadicam vitam agerent, aut inter barbaros et incultos populos cenſendi eſſent, ſatis conſtat, quam multa, ad noſtras notiones, opiniones, ſenſus ac iudicia deflexa, miſeros errores ac ſuperſtitiones in hominum animos inuexerint: quorum expeditiſſima ratio eſt, ſi

 notiones

notiones earum rerum attuleris, quae etiamnum inter populos in ſimili conditione vitae agentes natura, vita et vſu, obtinent.

Cum in hoc ſcriptionis genere, Commilitones, non tam requiratur, vt ſubtilius aliquod ex diſciplinis depromtum caput exponatur, quam propoſitum eſſe debeat acroama aliquod, quod non ſine vtilitate et cum voluptate aliqua in hoc ſollennium apparatu legi et audiri poſſit: non iniucundum cognitu argumentum deligere nobis videmur, ſi commemoremus nonnulla ex vita antiquiorum hominum, Graeciae maxime, forte et Italiae, a noſtris opinionibus et inſtitutis abhorrentia, quibus tamen alia ſimilia apponi poſſunt, quae noſtro aeuo peregrinatores per diuerſas orbis, qua patet, terras, de ferorum ac barbarorum, quos adierant, populorum vita et moribus tradidere. Quo ipſo et fidem antiquae hiſtoriae paſſim adſtruere, et loca ſcriptorum nonnulla illuſtrare, et interponere interdum licebit ea, quae ad notiones vulgares emendandas vtilitatem habere poterunt; inſtillabitur quoque animis veſtris, Commilitones, ſenſus gratus et iucundus, reputantibus, quam bene nobiscum actum ſit, quorum vita in haec tempora eſt delata, quibus in hoc caelo, in his locis gigni, nutriri et inſtitui contigit, in quibus earum rerum, quae ad humanam naturam ornandam et locupletandam comparatae ſunt, ſumma copia, ſumma opportunitas eſt propoſita.

Antequam tamen ad hanc diſſerendi prouinciam accedimus, cuius cauſſa ea a nobis ſuſcepta ſit, primo

primo loco commemorandum eſſe videtur. Scilicet magiſtratu in annum ſesquialterum proſpere continuato decedet is, cuius nomen huic paginae praeſcriptum eſt, et transferentur die craſtino inſignia academica cum honore ſummi inter nos magiſtratus in virum ſumme reuerendum,

GODOFREDVM LESS, Theol. D.

collegam coniunctiſſimum, veſtrique, Commilitones, amantiſſimum, quem vobis amplioribus commendare verbis ſi vellemus, verendum eſſet, ne veſtris iudiciis et voluntatibus diffidere videremur; cum viri grauiſſimi fides, pietas, ac beneuolentia vobis iam ſatis cognita et ſpectata ſit, cum aliis in rebus, tum ſermonibus e ſacra cathedra ad vos habitis, quibus amorem et affectum animi ſui erga vos tam luculenter declarauit, vt non magiſtratus magis, quam parentis loco, illum a vobis amari et diligi aequum eſſe arbitremur.

Eorum igitur, quae in vita hominum obſeruari ſolent, alia cum vitae neceſſitatibus, cumque praeſidiis, auxiliis et copiis, quibus vita ſeu toleratur ſeu recreatur, ſeu deliciis frangitur, ſunt coniuncta; eaque pro caeli ſolique ratione, naturaeque facie et ingenio ſunt diuerſa; tum vero, auctis hominum coetibus commerciisque, et per artes excultis ſenſibus, multo magis ea variant inter ſe ac diſcrepant, ipſis modis et inſtrumentis artes exercendi: vt in victu, veſtitu cultuque corporis, in habitatione paranda, in vtenſilibus, apparatu, inſtrumento. Alia ad vitam ſocialem ſpectant; ea-

que ad lubitum magis et arbitrium inſtituta eſſe videntur; etſi natura fere aut caſu aut opinione praebente ſeu obiiciente id quod in morem abiit. Sic in familia habenda, liberis educandis, republica conſtituenda, in negotiis publicis priuatisque, contractibus, connubiis, innumera ſunt, a iudicio aliquo hominum profecta, nec tamen ita neceſſario, quin alia ratione eadem conſtitui potuiſſent; vt tamen cauſſas ab initio haud obſcuras, ab iisdem, quae paullo ante commemorauimus, profectas adfuiſſe credendum ſit, quibus ſua rebus facies, ſuus habitus indueretur. Sunt tandem plurima, quae ad meras hominum opiniones, iudicia, perſuaſiones, ſe referunt, ſuper rebus quidem naturalibus earumque cauſſis, ſuper natura diuina, rerum origine et cauſſis; ad quod genus omnino religiones ſpectant. Iam ex cunctis his, inprimis vltimo loco commemoratis, alia vitae ſilueſtri, alia campeſtri ſeu nomadico, alia hominibus per familias, per tribus, per vicos, per ciuitates habitantibus, et eſſe propria, et omnibus in locis ſaeculisque communia fuiſſe, neceſſe eſt, alia in hoc caelo, in hoc ſolo, in hoc hominum vitaeque cultu in animos ſe inſinuaſſe. Verum in his tam multiplex et perplexa cauſſarum eſt coagmentatio et confuſio, vt et difficilis ſit ambiguaque earum indagatio et obliterata fere obſcurataque veſtigia. Niſi itaque in rerum generibus nos contineamus, vix commode eiusmodi diſputatio iniri poteſt; quae tamen a ſingulis exemplis arceſſita niſi ſit, ad vana et inania delabatur neceſſe eſt.

Vt

Vt a nouiſſimo, quod commemorauimus, genere initium faciamus, omnibus barbaris populis, qui non, ſilueſtri ac belluina vita efferati, ab omni, praeter quam famis et ceterarum vitae neceſſitatum, cogitatione vacant, commune eſt, vt naturas humana maiores mente et animo concipiant *a*). Verum qui ad hanc cogitationem eos naturae rerum contemplatione aut aliqua cauſſarum et effectuum reputatione adduci putant, egregie falli neceſſe eſt; nimis enim ſubtile hoc pro iſtorum hominum ſtupore; ſed, quoties aliquid euenit, quod terrorem ac metum iniicit, aut mirationem mouet, (in vita autem illa omnium rerum rudi et ignara multa animos percutere et ſenſus perſtringere aliter, quam in hominibus ad humanitatis cultum inſtitutis fieri ſolet, reputandum eſt,) hoc illi ſuſpiciunt, venerantur, adorant. Itaque animans inſolitae magnitudinis, aut ſollertia ingenii aut quacunque alia arte notabile, inprimis ſerpentes, quorum tot ſunt genera, aliud alia de cauſſa, mirabilia, tum arboris ſpecies adhuc non viſae, porro arte et ingenio humano effictum aliquid, etſi manu ad ſenſum noſtrum rudi, haec et ſimilia animos barbarorum ad laetandi et exſultandi inſaniam adſpectu efferre ſolent. Iam cum politiores populi hunc geſtum, hunc affectum ſaltantium, proſternentium ſe, adorantium, ad religiones fere referant: ſollenne eſt

a) Non attingemus ea, quae in ſua Americae hiſtoria libro IV. de religionibus ſapienter expoſuit Robertſonus, V. Cl. multo minus in refellendis iis, quae ab aliis parum ſubtiliter diſputata ſunt, morabimur. Ab iis tamen, in quibus Robertſonus ſubſtitit, ad remotiora et altiora procedere et aſſurgere nunc propoſitum eſt.

omnibus fere auctoribus, vt id ipſum pro religioſo cultu habeant, vtque eidem, id quod inter nos haberi ſolet, numen aliquod propoſitum in illorum hominum animis eſſe iudicent. Hinc natam arbitramur peruulgatam illam opinionem, vt barbari res inanimatas quasuis ſibi obuias, modo iudicio delectas neſcias quo, modo informi ſpecie adumbratas, *colere* dicantur, interdum tanquam deum O. M. interdum Geniorum aut Daemonum loco, ex ipſo adeo illo genere, cuius nulla niſi ex ſanctiore noſtra diſciplina eſſe poteſt in hominum animis notio. Ita ſibi ipſis paſſim illudunt homines, facta per rerum nomina ac vocabula, quibus ad deſignandas eas vtantur, fraude: cumque barbari ii nec cultus diuini nec diuinae naturae notiones vllas habeant, quae vllo modo iis, quibus nos vtimur, aſſimulari poſſint, de iſtarum tamen notionum, ex noſtris ingeniis ad eos translatarum, cauſſis et origine inter feroces et barbaras gentes, infinita diſputatio veteres inter et recentiores agitata eſt; atqui de illis notionibus primo loco videndum eſt, an in iſtorum hominum animis vere illae ſint, et ſi ſint, quales ſint. Sunt autem nullae, nec eſſe poſſunt; quod facile intelligat, qui apud animum ea reputet, quae, antequam notiones illae noſtrae cultus diuini et numinis alicuius ſeu metaphyſicae ſeu ex reuelata doctrina ductae inſidere poſſint, ſeu more ſeu inſtitutione animis inſtillata eſſe debeant. Nec ex barbaris illis Africae et Americae, qui geſtu, ore, ſaltatione, clamore incondito, mirationem vel gaudium declarant, multi eſſe poſſunt, qui vltra rudem ac ferocem animi impetum aliud quid mente et cogi-

tatione

tatione complectantur; iungunt tamen et communicant gaudia et ludos, mutuo inter ſe ac naturali impetu, liberi, familiares ac tribules, forte etiam repetunt per certa ac fixa tempora, aut vt fert caſus.

Exſiſtunt tamen paſſim ingenia minus tarda et obtuſa ceteris, quibus de cauſſa eius rei, quam mirantur, cogitatio forte aliqua incidit; at ea prorſus aliena a noſtro more; nam quaecunque noua et inſolita rei ſpecies obiicitur, aut corporis humani more animata eſſe creditur, aut ſubeſſe putatur natura aliqua incluſa et abdita, quae motus vel formae, omnino miraculi, quodcunque tandem illud ſit, cauſſa et auctor ſit: hanc illi mirantur, huic plaudunt, clamant, exſultant, vt ſolent barbari animi ſenſus exprimere quoscunque. Orta hinc opinio noſtrorum hominum, qua ſibi perſuaſere, illos barbaros vnicuique rei ſuum Genium, (*Spiritum* fere appellant) ſuum ineſſe Deum, credere; quod dum facerent, grauiſſimum errorem commiſerunt, cum dei vel ſpiritus notionem iis affinxere, qualem ipſi ex puerili inſtitutione, et ex philoſophica aut theologica praeceptione, mentibus circumferrent. Multa adeo pro diis haberi vulgo illi aiunt, quae, vt ex ipſorum narrationibus intelligi poteſt, barbaris cara tantum ſunt et in pretio habita, et ſepoſita feſtis ſollennibus; in quibus prolata ea ac propoſita incondito clamore et exſultatione proſequuntur, laetitia ad vecordiam abrepti. Ita paſſim audias ab Americanis lutrarum ſeu mar-

tium exuuias pro diis penatibus haberi, *b*) cum eas feſtis ſaltationibus adhibeant; ſi tamen quaeras, quinam religioſi cultus modus ille ſit quem barbari exhibeant, nihil habent noſtri homines quod ad eum deſcribendum afferre poſſint *c*). Falſa ſcilicet perſuaſione ex ſuo more et ritu inter Chriſtianos et Europaeos recepto iudicant de barbarorum ſenſibus et iudiciis: de quibus tamen, niſi ad ipſorum mentem et intelligentiam accommodate, quod probabile ſit, ſtatui nequit. Neque aliter ſtatuere licet de iis, quae terrorem iniiciunt, metum mouent, mala inferunt, quae eadem religioſe colere et adorare vulgo feruntur barbari. Adumbrata eſt haec opinio e noſtro ſenſu ac more; non vero ex ſenſu ac iudicio hominum rudium et a noſtris religionibus et inſtitutis alienorum.

Cum autem nihil ſit, quod mirationem, qualis quidem in rudibus et obtuſis mentibus eſſe poteſt, cum tripudio illo et gaudio immodico aut metu ac terrore fere coniuncta, facere poſſit maiorem iis, quae in rerum natura apparent: vt fluminum catarractae, lacuum immenſa vorago, ſiluarum vaſtities; tum fulmina, procellae, tempeſtates, omnes-

b) Ita nuper quoque *Carver*, a cuius lectione recentes eramus, cum haec ſcriberemus; itaque, etſi in rebus a multis aliis traditis, fide eius potiſſimum et auctoritate vti licebit, *Travels through the interior Parts of North America*, p. 277. 8. 309. Apud eundem legimus ſerpentem ingentis magnitudinis, calliditate hominis domitum ac cicurem, pro Genio, *Manitu* ipſi appellant, habitum p. 43. At quaeri debebat, quo ſenſu, qua notione illis barbaris *Manitu* diceretur.

c) v. c. idem Carver p. 386.

omnesque aëris, maris et terrae motus et exploſiones: mirum haberi nequit, ſi ab his potiſſimum, quae humana vi maiora eſſe ſtupidiſſimis ingeniis obuium fit, barbarorum religiones procedere videmus. Vt vero de auctore earum rerum cogitationem admittant, non niſi ſero fieri credere licet; quod ſi auctorem aſſignant, eius notionem tamen aliter, quam ad humanum exemplum, tale quidem, quale ipſi oculis animisque perceperant, ſuſcipere nequeunt. Ineſſe itaque fulminibus, ventis, mari, et ſic porro, ſtatuunt naturas, quae ea moueant; de ipſa mouendi ratione parum ſolliciti. Imbuuntur tamen animi ſenſim ſenſimque perſuaſione roboris, virium, celeritatis, efficaciae quae in illis naturis ſit. Ex his aliquando ſenſus aliquis religioſus enaſcitur; cumque is ab iis, quae terrent, minantur, nocent et enecant, proceſſerit, omnis barbarorum religio a metu ac terrore proficiſcatur neceſſe eſt; vt adeo hactenus recte dictum eſſe videatur, quod poëta habet: *Primus in orbe deos fecit timor.* Ad noſtrum potius quam ad rudium et incultorum hominum ſenſum comparatum eſt, quod pie magis quam intelligenter arbitrari ſolent multi, ab adſpectu ſiderum ac caeli mirabili primam religionem proficiſci debere. At plurimi ſunt barbari, ad minima quaeque ſtupentes, qui ſolem et caelum nunquam ſuſpexiſſe videntur; nec iis, quibus adſueuere, intendere ſolent animos barbari; nec in contemplationem rerum caeleſtium pronos animos rudes et obtuſos credere licet, niſi repentino aliquo ſolis aut lunae defectu. Ab hoc forte aut ſimili caſu erecti fuere nonnullorum populorum animi, vt

ſolem

ſolem mirarentur; vt vero diuino aliquo cultu eum venerarentur, fieri non potuiſſe videtur ante agrorum cultum repertum vel illatum, quo demum intellectum eſt, quanta ſit ſolis vis ad fruges producendas; tum temporum vices ad eius vices ac curſum conſtitutae; inde ad lunam ac ſidera ſimili miratione ac religione complectenda proceſſum. In iis itaque locis, in quibus maturior fuit aratio, maturiorem quoque ſolis et ſiderum cultum prodiiſſe, quis non intelligat, et ſimul illud perſpiciat, ab iis ingenii humani progreſſum fuiſſe facilem et pronum ad naturae vires generatrices indagandas; quas cum ſuo more per ſymbola conſtituerent, idololatriae inde, quam appellant, ſemina iaci debuiſſe, et ea pro ingeniorum ac locorum varietate varia ac diuerſa. Alii ſubodorati ſunt rerum elementa, ignis inprimis et aëris; inde caeli religionem et elementorum ſuis ſymbolis expreſſerunt; per temporum decurſum variatam et a primorum auctorum ſenſu admodum deflexam. Atque ita res ſe habuit inter Chaldaeos et Babylonios, inde per Aegyptum, tum per Orientis terras alias; non item apud alios barbaros, in aliis locis ac vitae generibus.

Alii enim barbari, ſiluarum horrore, fluminum fremitu, lacuum altitudine, montium vertice elato, contactis animis, ad alias naturae partes ſtupuerunt; inde miratio, horror, metus, qui ad religionem paratos ac procliues reddidit. Ineſſe et iis rerum miraculis aliquam naturam, quae, vt ea eſſent, vt durarent, vt feris, piſcibus, vtenſilibus, abundarent, efficeret, facile ſibi perſuaſere. Inde prolapſae paſſim, ſaltem cum temporum ſucceſſu, men-

tes

teſ ad Genios locorum et Deos certis locis aſſignandos. Alii tandem, quem Larem gentis auctor coluerat, deum patrium factum coluerunt, deum *vnum*, ſed *gentis ſuae.*

Cum, a ſollicitudine et metu, vt ſupra vidimus, inter terrores et minas nato proficiſcatur fere omnis barbarorum religio; et ea quidem inſtituta inter homines feros et immanes: multorum hinc populorum ritus ſacrorum ad feritatem et crudelitatem et fuiſſe et eſſe compoſitos nemo mirabitur; ſeruantur enim ritus ſacrorum patrii etiam in meliores aetates. Quod humanas victimas mactarunt *tot populi*, idque religionis loco habuerunt aut *ipſi*, aut *ii*, qui eos adiere: ſacrorum ritus arguit in ipſa feritate et barbarie enatos. Multo vero latius, et apud omnes vtique populos, quibus nondum melior diuinae humanaeque philoſophiae lux affulſit, obtinuit ea perſuaſio, vt numen haberetur iracundum, moroſum, truculentum, vindictae cupidum, ob leuem interdum culpam vel errorem calamitates ac miſerias publice priuatimque infligendas praeceps, idem muneribus ac votis factis exorari ſe patiens; totum omnino ad hominum, nondum vllo ſapientiae ac virtutis ſtudio excultorum, morem compoſitum. Haec ſemel barbaris mentibus impreſſa opinio ac notio, etiam ad numinis O. M. cogitationem miſerrimo errore translata, per ea quoque tempora durauit, quibus, melioris iam philoſophiae luce diffuſa, expolita ad omnem humanitatem hominum ingenia perſuaſionem illam diuina natura indignam, qua omnis melior dei notio tollitur, reſpuere et abhorrere debuiſſe putares;

res; ita relictum eſt paſſim in numine id, quod dudum in ſe ipſis non tolerabant homines. Adeo difficile eſt ſapere, vbi maiores deſipuere, et recedere ab iis, quae perperam a patribus tradita accepimus.

A quibus populis ſemel pluribus rebus ac naturae partibus et formis ſua eſſet aſſignata natura, quae eas incoleret, moueret, forte etiam procrearet ac fingeret, hoc eſt, genius aliquis, quem nos ſolemus appellare, ſeu deus: eorum ingenia procliuia eſſe crederes ad eam perſuaſionem, vt praeeſſe iis numinibus numen aliquod, ordine, vi ac dignitate ſuperius, aut numen aliquod ſummum, opinarentur. Tarda tamen eſt mens humana ad hanc opinionem amplectendam, nec facile eo proceſſit, niſi in iis locis ac populis, qui regis, multos regulos ſuae ditioni ſubiectos habentis, imperio parerent. Attemperauere alii deorum coetum et ordines ſuis rebus publicis, aliis aliter conſtitutis. Vt vero, omnibus excluſis, vnum tantum numen eſſe ſibi perſuaderent: ſi non ſuperbia et arrogantia populari, qua ſuum deum indigetem omnibus aliis praeferrent, eundemque alienigenis diis tanquam in honorem ac locum ſibi debitum ſubrepentibus infeſtum et in eorum exitium imminentem ſtatuerent, adducti erant homines: id, niſi duce philoſophia, ſeu reuelata ſeu ſubtiliore aliqua, non magis expectari potuit, quam vt a ſenſibus ad intelligentiam et mentem numen reuocarent. Itaque in noſtros Germanos priſci aeui nimis indulgentes ac liberales eſſe videntur, qui iis eam religionum ſubtili-

ſubtilitatem, quae acutiſſimo quoque noſtrae aetatis philoſopho digna eſſet, tribuunt. Narrantur ab iis, qui Americam peragrarunt, multa de deo aliquo ſummo, quem indigenae vniuerſis rebus praeeſſe credant; alii de numine gemino, altero bono altero malo, quorum huic, quam illi, curioſiorem ac diligentiorem plerumque cultum exhibeant. Quae tamen ad ſuos quemque ſenſus adumbraſſe arbitramur; quae ipſi barbari ſentirent, non niſi ex ipſorum ſenſibus aſſequi licet; eos vero ad rerum vniuerſitatem aliquam aſſurgere ſolere dubitare licet. Neque dubitationem eximit, quod numen aliquod caelum inſidere nutu ac verbo declarant; nam quale illud eſſe arbitrentur, vnumne, aliis ſublatis; an, quod probabilius ſit, adſcriptum et incluſum huic mundi parti, vt alia aliis; an potentius ceteris diis, nemo facile nos docuerit. Vt autem caelum dei alicuius, mox et plurium, ab naturae elementis ductorum, deorum ſedibus aſſignarent populi, in promtu vel ad vulgarem intelligentiam fuiſſe videtur.

Reſtat vt haec vniuerſe diſputata ad veterem Graeciam referamus, atque notiones eius, religiones et cultum, cum iisdem comparemus; quaeque ex iis aut cum aliis populis communia aut ex caeli ſolique ratione, aut fortunae caſibus et viciſſitudinibus habuere propria, paullo curatius inquiramus. Verum feſtinantes nos vrgent ſollennia, quae craſtino die agenda inſtant: in quibus pompa ex aedibus academicis ducetur, et in templo orationes ac caerimoniae ſolennes rite habebuntur. Iis itaque

itaque vt vos, Comites S. R. I. illuſtriſſimi, vosque aut auita generis nobilitate illuſtres, aut propria virtute ingeniique laude nobilitatem vobis paraturi, cum honoris et officii ſignificatione intereſſe velitis, ita rogamus, vt pro amore veſtro, neceſſitudine, ac ſtudio erga nos, precibus vos noſtris locum facile facturos eſſe perſuaſum habeamus. PP. Gottingae, Kal. Iul. cIↄIↄccLXXIX.

II.

II.

ACADEMIAE GEORGIAE AVGVSTAE

PRORECTOR

GODOFR. LESS D.

CVM SENATV

ANNIVERSARIA INAVGVRATIONIS

SACRA XXXII.

IN A. D. XVII. SEPTEMB. CIↃIↃCCLXXIX.

RITE INDICIT.

Vita antiquioris Graeciae ex ferorum et barbarorum populorum comparatione illuſtrata.

Commentatio II.

Anno iterum verſo, Commilitones, redit ſollennis dies, quo huius reipublicae academicae fauſtos natales grata et iucunda recordatione, gratulatione laeta, piis votis precibusque proſequimur. Habemus enim, quod laetemur gratulemurque rerum noſtrarum ſtatum incolumem, nulla calamitate, nullo per hunc annum caſu grauiore, perculſum aut conuulſum, ne tentatum quidem ab aliquo inde tempore minoribus illis, quibus academica res laborare ſolet fere omnis, malis et mor-

bis; metu vero illo, qui ſuperiore anno, cum hunc diem celebraremus, animos noſtros non parum ſollicitos haberet, ne belli ciuilis per Germaniam ſpargeretur latius incendium finibusque aliquando noſtris contagio aliquo adhaereſceret, ſublato; ita vt nunc ſuperſit vnum illud votorum genus, quod pro Occidente pacando facimus: quod tamen non remiſſius aut ſegnius, ſed eo ardentius facimus, quo magis, cum humanitatis communisque naturae ac neceſſitudinis cauſſa, tum Regis noſtri Indulgentiſſimi gratia, quem omni proſperitatis genere cumulatum vtinam videremus, vota ea ſuſcipimus, pacemque ac tranquillitatem terrarum orbi generique humano reſtitutam cupimus. Interea ea ſaltem fruamur felicitate, quae diuino aliquo munere ac beneficio nobis contigit, et oculos animumque recreemus adſpectu et cogitatione laetius in dies effloreſcentis rei academicae noſtrae. Quod enim aut bonorum aut ornamentorum genus, quod quidem aut traditum nobis ſit ab iis, quibus nos ſucceſſimus, aut noſtra virtute partum, aut labore et induſtria quaeſitum, dici poteſt, quod non integrum et illibatum ſit, multa etiam ſint aucta magisque cumulata? Nec vero vt res noſtras laudemus ac commendemus, haec commemoramus, ſed commemorando vt illud efficiamus, vt appareat, quantum ſingulari alicui beneuolentiae numinis et tutelae debeamus. Siue enim interiorem noſtrae reip. habitum, ſeu externam ſpeciem, dignitatem et famam, contemplemur: occurrunt vndique, quae gratam erga numen pietatem incendant, et diei huius prouocent hilaritatem. Quid enim? feſtus

hicce

hicce dies non tanto candidior fauſtiorque illuxerit, quo laetius ciuitatem hanc eniteſcere, ciuium frequentiam increſcere, ſtudia excandeſcere videmus? non laetemur numerum ciuium auctum, ſed eiusmodi iuuenum acceſſu et ſupplemento, quorum ingenia expoliuerit, quorum mores finxerit aut fortuna lautior aut melior inſtitutio? qui cum, ingenua indole, vitae elegantia, morum probitate ipſi ſe contineant, academica diſciplina haud difficulter contineantur? vt, ſi academiae humanitatis non minus quam litterarum officinae eſſe debeant, hoc nomine nunc cum maxime Georgia Auguſta appellanda ſit; quam etiam aduenae, qui nos adeunt, quique ex inceſſus modeſtia, nullo viarum niſi ad auditoria feſtinantium ſtrepitu, ex frequentia in templis compoſitoque ad pietatem et audiendi ſtudium habitu ac vultu, indicium faciunt, hac laude eximie commendant. Nihil enim ſegniter, nihil ſocorditer et ſupine agi vident; ſedulitas, induſtria, ſtudium acre et incitatius mutuo adſpectu, exemplo, contagione, ſtimulat et excitat, et pudore ſuffundit etiam tardiores.

Quam vtinam laudem ſibi propriam ac perpetuam habeat haec noſtra academia! vtinam ea vobis, Ciues, propoſita ſit glorioſa et memorabilis concertatio, vt factam hanc exemplis veſtris, morum ac diſciplinae honeſtate et dignitate, conſpicuam academiam tueamini, quaque locaſtis laude ac fama, in ea firmetis illam et ſtabiliatis, diligenterque prouideatis, ne, quod ſaepe factum, hac parta per vos exiſtimatione et laude vnius alicuius

 inutilis

inutilis ciuis culpa ac fraude excidatis vniuerſi. Nam ne nos officio noſtro ac fidei deeſſe videamur, et curauimus ſtudioſe, et religioſe curabimus. Sunt vero etiam, quae ſtudium noſtrum incendere poſſint: Regis Optimi indulgentia, Virorum ſummorum, quibus cura noſtrae rei academicae tradita eſt, propenſiſſimae voluntates; inſtitutorum noſtrorum tutela et inſpectio aſſidua; ſtudium ornandae Bibliothecae publicae et Muſei academici. Experti ſumus hoc quoque anno munificentiam ſingularem, cuiusque ſimilis aut par memorari hoc in genere alia vix poſſe videtur, Viri Illuſtris et ſummo cum honore cum antea nominati, tum nunc quoque a nobis nominandi, L. B. DE ASCH, qui ſumtibus, pro priuata fortuna ſatis opiparis et amplis, conquiri ac mitti curauit omnis generis res raras ex Aſia et Europa ſeptentrionali, inprimis quae ad naturae opes Muſei noſtri locupletandas, et ad numorum rariorum, quibus aut hiſtoria illuſtrari aut regnorum et imperiorum rationes numiſmaticae declarari poſſint, augendas copias noſtras ſpectent, Qua ſua liberalitate vti vir praeſtantiſſimus memoriam ſuam in hac Muſarum ſede ad perpetuam eamque gratam recordationem conſecrauit, ita inter nos, dum viuimus, commemorationem ſui honorificam et iucundam merito eſt habiturus.

Videtis, Commilitones, quae adhuc â nobis narrata ſint, ſine grato pioque animorum ſenſu et cogitatione indulgentiae diuinae, cui et haec et innumera debemus alia, narrari non potuiſſe. His itaque ipſis ſollennibus quorum indicendorum cauſſa

cauſſa haec proſcripta ſunt, Deo O. M. publice agentur gratiae. Ducetur enim a viris Ordinis Senatorii Profeſſoribusque ac Doctoribus in templum academicum pompa ſollennis, et, quod ſperamus, frequens: nam in bonorum fructu communi nefas foret communem pietatis ſenſum gratum ac religioſum non praeſtare. Votis autem publice nuncupandis habebitur primo loco oratio a Collega ſpectatiſſimo GE. LVD. BÖHMERO, Iuris Anteceſſore primario, Ill. Ordinis ICtor. Ordinario, M. Britann. R. a Conſiliis Iuſtitiae ſecretioribus, Viro et doctrina, et auctoritate ac virtute animi meritisque eminentiſſimo, nunc feliciſſimo Parente, quippe cui rara illa et vnica forte contingit felicitas, vt duobus filiis, *Io. Friderico Eberhardo* et *Io. Ludouico Bechtoldo*, praeclarae ſpei adoleſcentibus, comitatus prodeat, eosque ſummis in Iure honoribus exornandos in concionem producat. Conſequetur cum ipſis ſummos in Iure honores eodem brabeuta *Ge. Lud. Krukenberg*, ornatiſſimus Candidatus. Quibus rite factis adſcendet in cathedram facietque verba *a*) Vir Experientiſſimus, Collega coniunctiſſimus, IO. ANDREAS MVRRAY, D. Medicinae et Botanices Profeſſor, idemque ſummos Medicorum Ordinis honores Candidatis quatuor digniſſimis, *Ge. Philippo Lehr*, Moenofrancofurtenſi, *Theodoro Frid. Trendelenburg*, Lubecenſi, *Car. Henr. Wertmuller*, Stockholm. Sueco, et *Io. Frid. Adolpho Becker*, Lippenſi, impertiet. Ad haec ſollennia, praeſentia veſtra, Comites Illuſtriſſimi, veſtraque fre-

B 3 quentia,

a) de limitanda laude librorum medicorum practicorum vſui populari deſtinatorum.

quentia, fauore ac ſtudio, ornanda, Illuſtres ac Generoſiſſimi Iuuenes, et quotquot vobis ipſi veſtra virtute ac doctrina nobilitatem facietis, Ciues ornatiſſimi, vt, ſi quis beneuolentiae, amoris ac pietatis ſenſus animis veſtris inſidet, conueniatis ac confluatis: non tam noſtro, quam almae veſtrae Parentis, Georgiae Auguſtae nomine, quae a liberis ſuis hoc honoris genus, hoc nutritionis praemium, expectare ipſa videtur, rogatos vos eſſe exiſtimatote.

Interea, dum ſollennium curandorum apparatus fiet, ne vlla hora vacua ſit ab officii honeſtate et a ſtudii vtilitate, agite, Ciues, diſputationem, nuper ſumtam *b*), et manu dimiſſam, iterum repetamus. Subſtiterat autem opera noſtra in eo, vt ad Graeciae aetates antiquiores transferrentur ea, quae adhuc vniuerſe de rudibus ac vix inchoatis religionibus ſilueſtrium et campeſtrium populorum ita erant dicta, vt liberatos a noſtris opinionibus ac notionibus animos indueremus ea cogitatione ac ratione, quam illa vita, illa aetas poſtulat. Cum iis igitur, quae, ex ipſa rerum hominumque natura ducta, a nobis commemorata erant, conuenit id, quod fama acceperant Graeci, Herodotique inprimis auctoritas firmauit *c*), cum primo Pelasgi deos haberent nullos, poſtea eos habuiſſe deos ſine nominibus. Cum enim homines palantes ac ſine certa ſede vagantes, re ipſa ferente, per familias coirent: religiones ſibi quaeque ſuas conſtituit, rudi aliquo

b) Proluſ. ad 11 Iul. h. a.

c) lib. II, 52.

aliquo ſigno poſito, ad quod ritus certos faceret; neque alio nomine aut ſignum aut religio indigebat, quam quod eius familiae et eſſet et haberetur. Manſere ex hoc genere ſacra pauca familiarum, quae opes et potentiam inter ſuos conſequutae erant, quippe in quarum ſacra tranſiiſſe videntur alii ſeu clientes ſeu populares ac ciues. Superfuit tamen ex vetere more religio Larium ac Penatium, multo magis frequentata illa in Italia quam in Graecia; in qua religionibus publicis omnino priuatae ceſſiſſe et in deſuetudinem abiiſſe videntur; apud Romanos vero et Etruſcos minus obſcuratus Penatium ac Larium honos, niſi ſub Caeſarum demum tempora. Sed in Graecia vetere, cum magni hominum coetus e pluribus familiis confluerent, *dii patrii*, ſtirpium primo, tum vicorum ac ciuitatum facti, nomina quoque ſua acceperunt, quorum tamen vim et originem plerumque obliterauit vetuſtas. Eminuere autem inter eos nonnullorum nomina, quibus adiunctum quoque ſaepe loci nomen declarat patriam religionem, vt Iouis Lycaei, Iunonis Argiuae, Apollinis Amyclaei, et ſic porro: at in ipſis religionum locis πατρῷοι Ioues, Apollines, Mercurii, audiebant; vt ex Pauſania inprimis ad cognoſcendum in promtu eſt. Verum haec iam alio loco diligentius expoſita *d*) ſummatim nunc memorauimus. Attigimus illud quoque, quod cum barbarorum populorum communi more ac ritu conuenit, quod certis locis ſuum aſſignarunt numen veteres Graeci, inprimis montibus, ſiluis, flumi-

d) *de Origine et Cauſſis fabularum Homericarum* in Nouis Commentar. Soc. G. Vol. VIII. p. 37.

fluminibus ac fontibus; quae opinio non vnam eandemque habuiſſe videtur cauſſam et originem; cum modo obſcura aliqua alicuius rei, quae naturam loci ſingularem conſtitueret, notio, modo ipſe adſpectus, ſiluarum et montium ſolitudo, rupium et antrorum horror, conuallium amoenitas, modo antiquae maiorum ſedis recordatio, locis religionem faceret. In multis Graeciae partibus, inprimis iis, quae vetera inſtituta et ritus diligentius ſervarent, vt inter Laconas et Argiuos, priſca Nympharum nomina, vt Taygetes, Spartes, quae Eurotae eſſet filia, Amymones, Nemees Aſopi filiarum, et ſic alia, audiebantur, e quibus heroes indigetes ſuſceptos ferebant; at in reliqua Graecia obſcuratis nominibus omnino Genii locorum, Nymphae, Naiades, Oreades, Dii ἐγχώριοι celebrabantur.

Recte, inquis, haec diſputata ſunto; Graeciae numina nata putabimus partim e priſcis Pelasgorum diis familiarum, partim ex diis locorum; plurima quoque eſſe innouata ſeu figmentis ſeu philoſophematibus nonnullorum acutiorum, tum inſtitutis, vſu, vita, rerum viciſſitudine ac temporum decurſu: vnde tamen illud eueniſſe dicendum erit, vt Graeci nullas deorum formas, praeterquam humanas haberent? Habuere vero alias; et plurima paſſim memorata ſunt, et adhuc Pauſaniae aetate per Graeciam viſa, ſigna deorum rudia et informia, ſeu ligno ſeu lapide facta, modo columellam modo ſaxum coni vel cubi forma referentia. Rudes ſcilicet homines deficiebat ars meliorem formam effingendi: quae quum primum incrementa inter eos habuit,

habuit, ad formam humanam Graecia omnem religionem reuocauit, et vero reuocare debuit. Quam enim numinis formam ac ſpeciem effingant aut mente ſua cogitent homines aliam praeterquam ſuam? Itaque per omnem ſeptentrionem et veterum et noſtrorum temporum conſtans eſt barbarorum mos, etiam in rudiſſima arte, exprimendi deos ſuos facie humana. Vt vero ad animantium formas in diuina ſpecie effingenda aberrarent homines, factum eſt, ac fieri debuit, inter eos populos, qui hieroglyphis ac ſymbolis a natura per ſenſus obiecta ductis notiones animorum declarare ſoliti ſunt aut adhuc ſolent. Recedunt hi a natura humana in *diis*, quando quidem, de iis quae animo ſentiunt, parum explicita et explorata, nec verbis nec ſcriptura quomodo commode reddant, in promtu habent: Obſcura itaque per multo etiam obſcuriora exprimunt, a vulgo mox omnino ignorata et ſeruili ſtupore temere repetita. Verum in Graecia multa euenere, quae aliis barbaris non contigere, quibusque adeo effectum eſt, vt ab eo feritatis gradu, in quo adhuc multi populi ſubſiſtunt, ad meliorem cultum ipſi progrederentur. Primum aduenae ex aliis populis, maiore ingeniorum, artium et litterarum cultura expolitis, religiones ac ritus intulere, ſi non ſaniores ac puriores, ingenioſius tamen deſcriptos et conſtitutos, et ex notionibus certi generis philoſophicis, quales illa hominum aetas ferebat, compoſitos; quorum rituum cum haud adeo magna eſſet diſſimilitudo cum iis, quos ipſi a patribus acceperant, nec primo ſtatim nutu imperaretur eaue neceſſitas imponeretur, vt omnes

ſuas opiniones animis euellerent, cunctos ritus patrios abolerent, maiorum auctoritatem deſererent, inſtituta eierarent; haud paullo facilius eae religiones in animos hominum illabebantur et ſe inſinuabant, quam nunc noſtra ſanctior doctrina et inſtitutio, a ſenſu, ingenio, animorum vi, intelligentia, more, vſu, natura adeo ac coelo barbarorum, quos adimus, alieniſſima; ex qua ſi quid aut percipiunt aut memoria retinent barbari, rudes quidem nec aliis artibus ac doctrinis imbuti, nihil fere aliud id eſſe apparet, quam ritum aliquem ſuperſtitioſum cum priſca ac patria ſuperſtitione confuſum. Itaque mature coaluere veteres illae religiones cum nouis et aduentitiis, aliis ex his acceptis, aliis ſpretis ac poſthabitis. At rituum illorum cauſſae narratae a maioribus mira varietate ad poſteros peruenerant: coniunctae cum iis commemorationes maiorum, gentisque ac ſtirpis, fortunae; multa aetate, multa multorum iteratione ac frequentatione, auctae omnes in maius rerum miraculum. Extitere tum vates, qui religioſos hos mythos, varie confuſos ac mixtos, fundum ſuae poetices et argumentum carminum facerent, iisque adeo ſuauitatem, elegantiam, copiam varietatemque miram affunderent. Iidem vates iis vixere temporibus, quibus vitae priſcae veſtigia necdum omnia euanuerant, philoſophiae tamen incunabula aliqua erant conſtituta, ſermo autem nondum ad ſubtiliorem rationem compoſitus, non tam falſa fingendi, quam vera, aut pro veris accepta, rerum verborumque figmentis exornandi, licentiam non modo praebebat, ſed etiam requirebat. Quae omnia nullis aliis

barbaris

barbaris cum fortuna obtulit, tum Graecis illud tribuit, vt, cum meliorem animorum cultum per artes et doctrinas induerent, non hieroglyphicam aut aliam minus commodam litteraturam acciperent; qua vna ratione et cauſſa vt Aegyptiorum ita Sinenſium profectus tolluntur; vtque iidem non alium populi alicuius peregrini ſermonem adſciſcerent, quo ad peregrinum habitum mores, ingenia, litteras, deflecti, indolem propriam ac virtutem extingui neceſſe eſt, ſed vt ſibi ſaperent, ſuaque retinerent. His omnibus effectum eſt, vt Graeci, ab iisdem initiis profecti, priſcorum inſtitutorum veſtigiis vbique ſeruatis, multa tamen, etiam in religionibus, multo melius, quam alii populi, conſtituta haberent; ſaltem vt barbaries ac foeditas a publicis ſacris abeſſet, quae aliis gentibus, inprimis ex priſco Naturae, cuius vis procreatrix per ſymbola a generatione petita declarari ſolebat, cultu, adhaeſerat. Cum autem deos humana forma indutos *e*) accepiſſent poetae: quam accommodatum id poeticis rationibus eſſet, facile intellexere; et primo quidem etiam res, quae in natura apparerent, rerum elementa, naturae partes vel vires vel effecta, tum notiones aut ſymbola, quibus notiones animorum redderent, in ſimilem naturam deorum mutauere; tum vero vtrumque deorum genus epicis narrationibus adhibuere, quoties aliquid perficiendum eſſet, quod maiorem ac potentiorem auctorem, quam hominem aut heroem, deſideraret. Elaborata hinc eſt vetus illa hominum rudium et imperitorum

e) ἀνθρωποφυεῖς v. Herodot. I, 131. *Foucher* V. Cl. in *Hiſt. de l'Acad d. I.* Tom. XXXV. p. 15. ſq.

ritorum animis inſidens ratio, vt humanis ingeniis, moribus, virtutibus vitiisque ex eo quidem genere, quod inter homines eius aetatis maxime vigebat, deos inſignirent, euecta tamen et aucta in maius, vltra humanae naturae modulum, et corporum et animorum virtute; adumbrata deorum vita ex vita heroum; aſſignata ſedes in Olympo monte: quem ante oculos habuiſſe neceſſe eſt poetas eos, qui primi eam rationem ſequuti ſunt. Coniuncta cum iis, quae expoſita ſunt, erat illa quoque ratio, vt has ipſas naturas, quas deorum nomine impertierant, interdum, priſco ſaltem aeuo, inter homines verſari, hominum more agere, ferrent et putarent; cuius ſimilis ac par perſuaſio inter pleroſque barbaros etiamnum obtinet. Forma quidem ac ſpecies, qua in conſpectum venire crederentur, erat humana, ſed maior et auguſtior, nonnunqnam horrida, minax et terribilis. Serioribus temporibus, cum deorum apparitiones minorem iam fidem reperirent, ſpectrorum terriculae ſucceſſere; de quibus non minus abſurda, quam quae inter nos audiri ſolent, narrata olim ſunt. *f*) A diis iratis immitti morbos, peſtilentias, agrorum ſterilitates, omne calamitatum genus, et nunc barbari ſibi perſuadent, et olim antiquitas credidit, iram autem deorum prouocari iisdem fere cauſſis, quibus hominum impotentia, incontinentia et libido incitari ſolet; ſunt in his morbis inprimis furor et inſania, diuinitus fere

f) Narrantur enim congreſſus cum ſpectris, ſtupra, pugnae, caedes. Nota narratio de ſpectro Temeſſenſi ab Euthymo Locro pugile debellato. Pauſ. VI, 6. Aliud *Φάσμα* ab Hippota victum v. ap. Conon. narrat 26.

fere inſligi credita, de qua alio tempore erit agendum. g) Cum dii certa loca, inprimis ſiluarum ſolitudines aut conſecratos agros, frequentare crederentur: orta eſt vetuſtiſſima illa religio, vt conſecrata diis loca et omni humano vſu exemta, (ἀνειμένα) vna cum feris et armentis, quae in iis errarent, intacta ſeruarentur, vtque ea adire aut quicquam inde ſubducere nefas haberetur: vt adeo Solis armentis mactatis Vlyſſis ſocii impio et vix expiando ſcelere ſe obligaſſe exiſtimarentur. Neque alia etiamnum multorum barbarorum eſt religio. Sunt verbi cauſſa in lacubus Huronenſi, et ſuperiore Canadenſi, inſulae plures, quas certis Geniis conſecratas et ab iis habitari creditas nemo barbarorum adire auſit h). Attingere tantum ſolemus haec et ſtrictim commemorare, quandoquidem in iis, quae aut ſatis vulgata, aut late per plures populos, terras ac ſaecula, ſparſa ſunt, exemplorum auctoritas deſiderari nec ſolet nec poteſt. — Verum inſtat nunc ſollennium agendorum tempus, iubetque adeo ipſa feſti diei religio alia in aliud tempus differre ac ſeruare. Nunc, quod felix fauſtumque ſit, dum ſollennium apparatus fit,

Vos ite actutum, atque opere magno edicite
Per vrbem, vt omnes, arcem qui aſtuque accolunt,
Ciues,

g) In Comment. de maribus inter *Scythas morbo effeminatis et de hermaphroditis Floridae.* in Commentationib. Soc. G. Vol. I. 17.

h) Vt nuper iterum *Carver* docuit, (*Travels to the interior Parts of North-America*) p. 144. 134. 5.

Ciues, ominibus fauſtis auguſtam adhibeant
Fauentiam, ore obſcena dicta ſegregent i).

Vota autem, quaecunque nuncupabuntur, vti rata eſſe velit Numen O. M., ex animo precamur. P. P. in Georgia Auguſta a. d. XVI. Sept. cIↄIↄCCLXXIX.

i) Verba ſunt ex Accii Oenomao, ap. Nonium in ***Obſcenum*****, conſtituta, vt locum emendandum eſſe arbitramur.**

Epime-

Epimetrum.

Praeſcriptam habebam animo formam eorum, quae ſcriptionibus pluribus vlterius perſequerer. Duxi lineas in Comment. I. p. 5. 6. ſepoſui tamen incepta, mox etiam omiſi et abieci, cum viderem Collegam doctiſſimum, me iuniorem, maiore copiarum apparatu et otio iuſtructum, ad haec eadem tractanda acceſſiſſe, conuerſis ad generis humani, quam appellant, hiſtoriam ſtudiis. Ne itaque, ab aliis rerum principiis et argumentis ipſe profectus, de nonnullis aliter ſentiendo ac ſtatuendo, aliorum placitis ac ſtudiis obtrectare velle viderer; cum ab omni hac contentione ſim alieniſſimus; ab toto hoc genere receſſi; inprimis cum Genius natalis auri meae aureum illud inſuſurraret: *laudato ingentia rura, Exiguum colito.* Illud tamen, quod in binis his commentationibus expoſui, ſic ſatis bene mihi obſervaſſe videor: omnem de barbarorum et ferorum populorum moribus, inſtitutis et opinionibus, diſputationem eſſe inanem, ſi, vbi *verbis noſtris vulgaribus,* quibus tamen ea in re vtendum eſt, enuntiatum aliquid a peregrinatoribus et ſcriptoribus, qui de iis tradiderunt, acceperis, barbarorum hominum animis arbitreris easdem rerum notiones obuerſari, quas ipſe teneas, cum eadem verba audieris, ſique reliqua inde argumentando conſtituas. Immo vero ad *ſenſus* iſtorum barbarorum, quantum quidem licet, aſſequendos intendendus eſt animus, quales iſti fuerint aut eſſe debuerint, in ſequendo vel faciendo eo, quod noſtrates ex Europa aduenae familiari ſibi nomine, et ex ſua opinione, appellarunt; videndum

dendum eſt, in illa vita, in illo caelo ſoloque, in illo culturae ſeu defectu ſeu progreſſu, quales poſſint ac debeant eſſe hominum notiones: ad has exigenda ſunt narrata, non quae peregrinantium quisque ſtatuerit aut ariolatus ſit, ſed facta et res, quas ſenſu oculorum et animorum integro et incorrupto illi cognouerint. Docuiſſe hoc mihi videor in notione numinis ac religionis; hoc idem doceri poterat in omni religioſi cultus genere. Sic vocabulo ſacrificii, cui innutriti ſumus, decepti, quam multa de priſcis populis aut de barbaris noſtrarum aetatum appoſuere ſcriptores aliena et parum conſentanea! dum adorationis voce vtimur, quam falſo plerumque de barbarorum populorum ſenſu ſtatuimus! dum myſteriorum nomini indulgemus, dum magos, vates aut ſacerdotes pronuntiamus, quam multa ſe in animum inſinuant, profecta ex iis notionibus, quae, nominibus illis auditis, eum impellere ſolebant! De Geniis veterum, ac Daemonibus barbarorum noſtrae aetatis, locus eſt et copioſus et lubricus. Incredibili modo variata eorum fuit notio et acceptio per omnes aetates. Vellem vtique totum hoc genus ſubtiliter ſatis a quoquam declaratum dari. Accedendum vero eſt ad eam rem nulla cum opinione praeconcepta, nec ſtatuendum eſt ab initio quid effectum eſſe velis; verum videndum, quid ex iis, quae rimanti et inueſtiganti ſe obtulerint, reuocatis ſingulis ad genera ſua, ſtatuendum eſſe videatur. Vt in malos Genios maloſque deos incideret hominum multorum opinio, procliue eſſe debuit mentibus indoctis et vltra ſenſuum impulſus non aſſurgentibus, quum vitae mala

mala et aerumnas, naturae ruinas et exeidia facta viderent: obſcurum eſt alterum, quali natura, ingenio, vi, pollentes et inſtructos eos putauerint. Hoc igitur in toto hoc genere difficillimum eſſe arbitror, a noſtris ſenſibus auocatam mentem transferre ad eos ſenſus, qui hominum ipſorum fuerint de quibus aliquid traditur, multo magis, ſi aut aetas, qua vixere, aut vitae genus ac conditio a noſtra vita et aetate valde diſcrepat et abhorret. Senſu animi molli, ingenio verſatili ac facili et ſagacitate opus eſt; ab omni opinandi temeritate et arrogantia, tuendaeque opinionis ſemel conceptae pertinacia, alienus eſſe debet, qui in aliorum ſenſum, morem cogitandi et opinandi, tamquam ſubrepere vult et ſe inſinuare.

Alia in comparandis hominum diuerſi caeli diuerſaeque aetatis ingeniis, moribus et inſtitutis, poſita eſt commentatio, multo minoribus difficultatibus obſepta, minore quoque acumine ac ſollertia indigens, dum non niſi ad diverſas caeli ſolique naturas, ad ſtatum conditionemque vitae et culturae modum, et ad vim quam illa ad corpora ac ſenſus hominum habent, eſt attendendum, vt intelligas, in ſimili locorum hominumque habitu ſimiles quoque, ſaltem haud multum diſcrepantes, mores et inſtituta obtinere. Et ſunt quidem horum alia in vitae neceſſitatibus aut rerum copiis parandis ſeu fruendis occupata, quorſum cultus quoque, cura habitusque corporis, habitatio, inſtrumenta, vtenſilia ſpectant; alia in omni re domeſtica, ineundis matrimoniis, liberis educandis, negotiis ciuilibus, republica regenda, ſpectantur,

 quae

quae politicum omnino genus conſtituunt: quorum alterum hoc genus multa habere poteſt vtilia ac praeclara, prius illud plura, quae delectant, at minus vtilitatis afferunt. Vtriusque generis multa colligi poſſunt ex Herodoto, Diodoro et Strabone, multa ex aliis non ſine fructu cum ſcriptoribus de Americae Africaeque barbaris comparanda. Eſſe, verbi cauſſa, et olim fuiſſe, qui in ſpecubus habitent, Troglodytas appellant, nihil habet in quo multum moreris. Terras incultas abundare ſerpentibus ac feris, paludibus locisque vliginoſis laborare, vt veteres Delphos, Arcadiam, Argolidem; ſuccedere adeo monſtra et monſtrorum domitores; promiſcuos ferorum hominum eſſe concubitus; matrimonia barbarorum emtione venditione parata et pro dominii genere habenda; vlciſcendae iniuriae et poenae caede facta expetendae inter barbaros propinquis impoſitam neceſſitatem; ignem terebrando ligno extundi ſolitum; (Apollon. I, 1184) corpora picta et ſtigmatibus puncta, vt Thracum (apud Herodot V, 6. et alios); a Scythis caluariam itidemque cutem detractam pro victoriae ſigno habitam (apud eund. IV, 64. ſq.); inprimis rituum funebrium memorabilem inter multos populos conſenſum; fetialium ſanctitatem, oliuae vſum in ſupplicatione; ſagittas in capitis diademate fixas (ap. Aethiopes: Luc. de ſaltat. c. 18): haec et alia, memorauimus enim temere quae menti ac memoriae ſe offerebant, communia eſſe barbaris et veteris et noſtri aeui, res eſt ad obſeruandum expedita ſatis et obuia, nec adeo difficile eſt cauſſas exputare ex vita, ſtudiis, neceſſitatibus iſtorum hominum haud inter ſe diſſimilibus.

milibus. Ita moris exponendi pueros et necandi, aut ita educandi, vt vix patria aliqua in eos auctoritas eſſe videatur; conditionis, qua feminae habentur, facile reddi poteſt ratio: omninoque illa, quae ad cauſſas phyſicas retrahi poſſunt, expeditu ſunt facilia. Maiorem tamen delectationem ad meum ſenſum habent, plusque vtilitatis ad mentis humanae naturam et indolem per omnem vitae culturam eiusque incrementa variabilem et ad novos habitus induendos habilem aptamque declarandam, afferunt illa. quae ante haec omnia primo loco poſui: ſenſus barbarorum religioſi et de rerum cauſſis originibusque iudicia, et opiniones ac ſuperſtitiones; tum primorum ſapientum philoſophemata; cumque ea per ſymbola et mythos fere declarentur, accendit haec ipſa res animadverſa ſtudium iſta cognoſcendi. Accedit enim haec noua difficultas in comparandis veterum populorum ac recentiorum opinionibus quod plurima in vtroque genere per ſymbola ſunt declarata: quae ſi quis ex noſtro ſenſu interpretetur, vt plerumque fieri ſolet, alieniſſima eum de populorum ingeniis ac ſenſibus profiteri neceſſe eſt. Sunt in his multa etſi diuerſis a cauſſis inter diuerſos populos profecta, ad communem tamen humani generis indolem et naturam facile reuocanda. In hoc rerum ordine ſunt opiniones de monſtris, prodigiis et oſtentis. Vt ſint, qui praeſtigiis mirationem faciant aliis, eaque re inter ſuos auctoritatem conſequantur, etſi variis modis et artibus id efficitur, in natura tamen humana vbique cauſſas habet idoneas Non nunc praeſtigias commemorabo v. c. Telchinum in Rhodo (Diod.

 V,

V, 55) haud abſimiles earum fraudum, quas nunc inter barbaros Aſiae et feros Americae populos vbique faciunt certi homines aut furore percuſſi aut furorem ſimulantes. At mirationem facere poteſt morbus ille per omne humanum genus vulgatus, multo vero maxime inter populos barbaros, ſtupidos et omnium rerum ignaros, vt, cum nihil quod ante oculos poſitum ſit, intelligant, ſint tamen qui futura praeuideant ac praedicant. Nihil forte eſt, in quo ingenii humani imbecillitas in magis conſpicuo loco poſita ſit quam in hoc, quod, quo magis obtuſa hominum ſunt ingenia, eo plus ſibi vindicant in videndis futuris; et quo minus rerum in ſenſus incurrentium naturas explorare laborant, eo plura de geniis ac daemonibus comminiſcuntur, quos oculis vſurpauit aut alio ſenſu cognitos habet nemo. Poteſt tamen et huius rei ratio reddi idonea. Naturali enim cupiditate cognoſcendi futura incitatos multo magis irritant ſomniorum ludibria; quibus cum viderent interdum ea, quae mox euenire neceſſe fuit aut quae caſu contigerunt: arripuerunt id, quod natura obtulerat, atque etiam in artis commentum conuerterunt. Itaque ſomniis tantopere indulgent barbari, vt etiam ieiuniis diuturnis ea ſibi arceſſant. Ab his iisdem ſomniis profectam putabimus opinionem de animabus poſt mortem ſuperſtitibus; nam a philoſophica contemplatione peti illa non potuit. Obiicitur viſo nocturno Achilli vmbra Patrocli: vmbram igitur eius ſupereſſe creditum eſt. Viderat idem vmbram Patrocli currum agitantem et arma tractantem: quid mirum, ſi in inferis vmbras ſtudia priſtina ſeu armorum ſeu venationis proſequi credi-

credidit? Cum porro animi vis concitata, et ſeu corporis motu vehementiore ſeu potione inebriante incaleſcens, ſeu morbo inflammatus furor, nouarum rerum ſpecies menti obiiciat: non mirabimur incidere in hanc ipſam opinionem homines nonnullos, vt ea, quae aut ipſi aut alii cognoſcere cupiant, his artibus praeſentire ſibi videantur, vtque motus hos animi vehementiores potionibus Caſſauae aliorumque vinorum arte factorum ſibi arceſſant. Hac ſtultitia fraudi praeſtigiis doloque malo parata eſt via. In Mingreliis vix ſenſu communi praediti Papas rerum omnium ignoratione notabiles ſunt, praeter quam quod artem praedicendi futura profitentur (*Chardin.* To. I. p. 69).

Eſt tandem locus comparationis et vtilis et iucundus in ipſo progreſſu vitae et opinionum in diuerſis populis a feritate ad cultum meliorem, in multis etiam ad ipſa philoſophorum placita, aut ad artium ac ſcientiarum elementa ac principia. Saltatio omnibus barbaris communis eſt in feſtis ac ſollennibus omnis generis etiam religioſis. At apud Graecos ea deducta eſt ad chori numeros ac modos doctiores, hinc ad drama. Res cariſſimas offerre iis quos honore afficere velis, pleriſque barbaris in more habetur. Proceſſit inde mos populorum adeundi ac ſalutandi reges viroſque principes, munere oblato; et inter Graecos progreſſa hinc ſunt donaria diis in templis conſecrari ſolita. Placandae numinis irae, expiandae culpae, luſtrandi, conſecrandi, deuouendi, quot ritus, quot religiones tetrae et horrendae inter populos cum feros tum

 barba-

barbaros tum cultu expolitos fuere inuentae! omnes a prauo ſtudio homini aſſimulandi deum profectae. Petita ſunt morborum remedia a vatibus et ab oraculis, quae inter feros populos pleroſque a praeſtigiatoribus expectantur, qui, etſi herbis ac radicibus adhibitis ſalutaribus, ad morbos tamen depellendos eos, quos genios ſeu ſpiritus appellare ſolemus, inuocandos ſibi eſſe putant. Atqui inter haec ipſa artis medicae inter Graecos prima iacta ſunt fundamenta. Quo ipſo fit, vt in omnium fere artium et ſcientiarum originibus inueſtigandis ad priſcorum et barbarorum hominum opiniones et inſtituta redeundum ab iisque prima ſint rerum earum elementa deducenda. Adeo numen O. M. conſtitutum eſſe voluit, vt ea, quibus inuentis humana mens vel maxime ſuperbit ac gloriatur, a ſumma imbecillitate et infantia ingenii procedant, vtque, vbi ad faſtigium ſubtilitatis et ſcientiae perueniſſe nobis videmur, iterum ſubſiſtendum nobis ſit eo in loco, quo imbecillitatem et infantiam ingenii noſtri arguit inſcientia omnium eorum, quae ad ipſam rerum naturam eiusque cauſſas tenendas nos perducere poſſint.

III.

III.

ACADEMIAE GEORGIAE AVGVSTAE
PRORECTOR
GODOFR. LESS D.
CVM SENATV
SVCCESSOREM
CHR. FR. GE. MEISTER D.
IN
MAGISTRATV ACADEMICO
CIVIBVS SVIS
COMMENDAT
IN A. D. IVLII II. cIↄ Iↄ CCLXXX.

Foedera Carthaginienſium cum Romanis ſuper nauigatione et mercatura facta illuſtrantur.

Commentatio prior.

Exit iam annus, Commilitones, ex quo apud eum, cuius nomen huic pagellae praeſcriptum videtis, magiſtratus academici fuerunt inſignia; transferentur ea nunc, Senatus academici auctoritate a Regio Regimine firmata, in domum Viri Ill. et Conſultiſſimi,

CHR. FR. GE. MEISTER D.

qui cum iam antea hoc magiſtratu vna et altera vice feliciter functus ſit, cumque amorem eius in vos, Commilitones, perſpectum ſatis habeatis, veſtrum

omnium bonis cum votis ominibusque initurus eſt magiſtratum, eumque auſpicabitur die craſtino ſollennibus ex more in templo academico habitis: quo vt hora X. pompam ducatis, Illuſtriſſimi S. R. I. Comites, tuque, Generoſiſſima et cum genere tum animis, moribus ingeniisque, nobiliſſima Iuuentus, frequentes fauentesque adſitis, humaniſſimis precibus contendimus.

Quibus ſollennibus cum nunc praefandum ſit a nobis, et, dum praeſtolamur pompae aduentum, vos, Commilitones, tanquam confabulatione aliqua, detinendi ſitis: vt variemus ſermonem, age ſeponamus nunc in aliud tempus inceptam nuper *de vita antiquioris Graeciae ex ſerorum et barbarorum populorum moribus illuſtranda* diſputationem, et otiolum horarium, quod in manibus eſt, conſumamus in re, in quam *inter bella haec maritima, quae a potentiſſimis Europae gentibus geruntur*, nonnunquam cogitatione incidimus. Quandoquidem enim et olim fuere populi nauigationis ſtudiis maritimisque opibus clari, in quaeſtionem venire poteſt, an iisdem his inſtitutis et legibus, artibus conſiliisque, in parando tuendoque imperio maritimo vſi ſint, quae nunc ſequi videmus populos noſtros maritimo imperio praeualentes. Atqui, ſi pauca ea, quae ex antiquitate his de rebus tradita ſuperſunt, diligenter inſpexerimus, videbimus *vix aliquid ſeu iuris ſeu prudentiae cauſſa inſtitutum commemorari poſſe, quod non et olim frequentatum eſſet*; idque operam dediſſe potentiores populos, vt excluderent alios certorum locorum, tractuum ac littorum aditu, aut, ſi ab aditu

aditu interdicere non poſſent, ſaltem, ne emporium aut caſtellum ibi habere poſſent, cauerent; vt prohiberent a certo commerciorum genere, arcerentque a coloniarum ſuarum acceſſu; vt interiora terrarum adire exteros vetarent, arcanaque aliqua nauigationis et negotiationis ſibi quique ſeruarent; vt mercaturam ſeu exterorum ſeu coloniarum ſeu ſub ditione habitarum ciuitatum variis modis circumſcriberent, nec niſi certis in foris, certis ſub legibus, merces et vendere et emere iuberent; vt eius vrbis, quae princeps populi eſſet, auaritia omnia ad ſe raperet, et ſocios popularesque eidem lucro ac quaeſtui inhiantes iure ac legibus excluderet; in bello autem vt naues commeatum hoſtibus aduehentes interciperent, naues ſubmergerent, nautas vinculis traderent; porro, vt nautas, qui emporia ſua contra vetitum adirent, mari demergerent aut necarent, merces aduectas publicarent; et ſic alia.

Quae cum vel ex nobiliſſimis illis *foederibus*, quae *inter Poenos et Romanos* inita propitio aliquo fato in Polybianis reliquiis ad noſtra tempora ſeruata ſunt *a*), doceri et declarari poſſint: iuuat nunc haec ipſa foedera eo conſilio perluſtrare, vt et tem-

 porum

a) Polyb. III, 22 ſqq. Nec neglecta fuere haec monumenta antiqui iuris publici praeſtantiſſima a viris doctis. Inſeruit ea ſupplementis ſuis ad Corpus Diplomaticum Barbeyracius (*Suppl. au Corps Diplomatique* T. I. Art XCVII. CCLI. CCXCVII. CCCXXXII. cf. *Guthrian. hiſt.* T. III. p. 315. 345. *Huet Hiſt. du Commerce* c. 21.) Nec tamen ſublegere placet ea, quae in controuerſia de mari clauſo ac libero a viris doctis, Seldeno inprimis, diſputata ſunt.

porum rerumque ſtatum, qui ſub cuiusque foederis pactionem fuit, contemplemur, et, quae ex foederum legibus intelligi aut elici poſſint, inprimis quae conſilia, quas artes, maritimi populi iam tum amplexi ſint, inueſtigemus. Nondum enim hoc a quopiam accurate factum vidimus.

Polybius, vbi in cauſſas belli ab Hannibale in Romanos moti inquirit, vt calumnias in Romanos iactas, ac ſi cum Poenis pacti eſſent ab initio, vt hi Italia, ipſi Sicilia vniuerſa abſtinerent, refellat, eo deſcendendum ſibi eſſe vidit, vt, quotquot inter vtrumque populum foedera perſcripta eſſent, omnino repeteret: inprimis cum natu etiam maximis et rerum patriarum callentiſſimis ea paſſim ignota eſſent, inſpecta tamen a ſe diligenter in tabulis aeneis in Aerario Aedilium ad Capitolinum Iouem ſeruatis *b*), et interpretata, quantum intelligitur, amicorum opera adhibita; quandoquidem veteris ſermonis Romani ipſe monet tantam eſſe diuerſitatem, vt vel peritiſſimi nonnulla vix intentione animi ſumma explanare poſſint *c*).

Ad bellum igitur Punicum II. ſexies aut ſepties omnino foedus inter Romanos et Carthaginienſes ictum conſtat. Adſcribemus vno loco ſingulorum foederum tempora, ſine quorum notatione nemo in hiſtoriis excutiendis ſatis feliciter verſari poteſt.

I. Foedus factum V. C. 245. a. C. 509. Ol. 67, 4.

II.

b) III, c. 26.
c) c. 22.

II. V. C. 406. *d*) a. C. 348. Ol. 108. 1.

III. V. C. 448. a. C. 306. Ol. 118, 3.

IIII. Sub Pyrrhi in Italiam traiectum; is factus V. C. 473. a. C. 281. Ol, 124, 4,

V. Bello Punico I. finito V. C. 513. a. C. 241. Ol. 134, 4.

VI. Anno inde quarto V. C. 516. a. C. 233. Ol. 136, 4.

adiectae foederi ſuperiori conditiones nouae, vt Sardinia decederent Poeni.

VII. Facta cum Asdrubale in Hiſpania pactio, ne belli cauſſa Iberum amnem tranſirent Poeni. V. C. 526. a. C. 228.

Iam foedus illud *primum* ab V. C. 245. eo ipſo anno ictum eſt, quo Romani regibus eiectis libertatem receperant. Porſenna quidem, Cluſinorum rex, armis infeſtis Romam adortus erat, vt regem pulſum reſtitueret; diſceſſit tamen, foedere ſatis duris legibus perſcripto, vt ne ferro, niſi in agro colendo, Romanis vti liceret. Inter haec principatum illi inter Latinos ſocietate iunctos, Tarquinii Superbi maxime opera, tenebant, aliquoties cum Veientibus, Fidenatibus, aliisque Etruſcis ciuitatibus, etiam cum Caeretibus, conflixerant; oram maritimam, qua Latium patet, ſocii Latini incolebant.

At

d) M. Valerio Coruo M. Popillio Laenate IV. Coſſ. qui ex Liuii rationibus, lib. VII, 27. eſt a. 407.

At Poeni, multis cum Mauris et Numidis factis proeliis *e*), iam tum late Africam imperio tenebant, partim in loca per colonias a communi ſtirpe profectas obſeſſa ſucceſſerant. Phoenices enim iam ante ea tempora extremam Africam ingenti coloniarum, ſeu emporiorum multitudine obſepſerant; CCC. ciuitates a Pharuſiis et Nigritis XXX. dierum itinere a Lixo habitantibus euerſas narratum eſt *f*). Siciliae oram maritimam Poeni occupauerant, Machaei maxime fortuna vſi, minus tamen proſpera illa in Sardinia *g*): ſed cladis acceptae damna mox ab iis eſſe reparata, docent ea ipſa, quae in foedere commemorata videbimus *h*). Opibus tamen maritimis non minus illo tempore valebant Etruſci, et inter eos Agyllaei ſeu Caeretani. Italiae extrema et Siciliam tenebant coloniae Graecorum, quarum nonnullae nauigatione et rerum omnium affluentia ex laeto agrorum prouentu florebant; in his etiam Cumani *i*). Inter haec Phocaeenſes Aleriam in Cyrno

e) Iuſtin. XVIII, 7. XIX, 1, et 2.

f) Strabo XVII. p. 1182. C. 1185. B. add. lib. I. p. 83. A. cf. Plin. V, 1.

g) Iuſtin. XVIII, 7. Oroſ. IV, 6. Si recte rationes ſuas ſubduxere viri docti, iam tum Hanno (circa a. C. 570.) magnam Africae occidentalis partem nauigatione obierat, vltra tropicum Cancri vsque ad Promontorium Palmarum, niſi forte ad ipſam inſulam S. Thomae, euagatus; vt altera ex parte Himilco occidentale Europae littus vsque ad Inſulas Silures l. Caſſiterides, (*Sorlingues. Scilly*) luſtrauerat: Plin. II, 68. vid. Hannonis Periplus inprimis a Viro ſollertiſſ. *Bougainville*, et nuper a Viro Cl. *Campomanes* illuſtratus.

h) v. Polyb. III, 22. et c. 23. p. 284. med.

i) v. Dionyſ. H. VII, 3.

Cyrno ſeu Corſica condiderant; XX annis poſt, patria euerſa (Ol. 60, 7. a. C. 539.) eadem in inſula reliquiae gentis nouas ſedes quaeſitum iuerunt; cum latrociniis mare infeſtarent, aut forte metum ac ſuſpicionem facerent, ipſi nauigationis ſtudiis incluti, conflatum in eos bellum a Poenis et Etruſcis: pugna naualis in mari Sardoo facta. Victores Phocaeenſes, fractis ex pugna viribus, Corſica relicta diſceſſere; vt tamen aut nauium praeſtantia aut rei naualis peritia eos excelluiſſe putemus, inde colligimus, quod eductis in aciem LX nauibus CXX naues hoſtium ſuperarunt *k*). Ceſſit inde Poenis Corſica *l*). At mare aliquoties legimus fuiſſe infeſtum, modo Etruſcorum latrociniis, quae repreſſere Siculi *m*), modo Poenorum, quibus reſtiterunt Maſſilienſes *n*).

Inter haec (Aſiae enim res Poenorum animos eo tempore ſollicitos habere non poterant; a Cambyſe

k) Herod. I, 166. 7.

l) vt ex Diodoro intelligimus XI, 88.

m) Diod. eod. l.

n) Thucyd. I, 13. Pauſ. X, 8. modo non Phocaeenſium pugna in duas abiit. Audiendus tamen Iuſtin. XLIII, 5. Videtur ex manubiis huius victoriae fuiſſe Apollo Maſſilienſium Delphis dedicatus Pauſ. X, 18. p. 841. f. Ceterum praedationis maritimae frequens eſt in antiquis hiſtoriis commemoratio. Multa iniuriae genera ad id nomen videntur referri. Ita qui alios aditu locorum ac littorum excluſos eſſe volebant; qui iniurias acceptas vltum ibant, non minus latrocinia in mari facere dicti videntur, ac ſi vere feciſſent. Poenorum ληστεῖαι et Tyrrhenorum inprimis infames; Feſtus in *Tyria Maria: Tyro oriundi Poeni adeo potentes maris fuerunt, vt omnibus mortalibus nauigatio eſſet periculoſa.*

byſe XV. annis ante ſubacta Aegyptus tum ſeruientium pars erat viliſſima; Xerxis autem in Graeciam tranſitus non niſi XXVIII, annis poſt haec factus eſt) *foedus Poenorum cum Romanis ſancitum*; cuius *leges*, ſecundum ea, quae dicta ſunt, *cauſſarum momenta minus obſcura* ſperamus eſſe habituras *o*).

Scriptum itaque fuit foedus ita, *vt et Romanorum et Carthaginienſium ſocii eo tenerentur.* Quinam hoc tempore illi fuerint, paucis declarandum venit. Romanorum quidem nulli alii eſſe potuere quam Latini, foedere illo memorabili, quo prima futurae potentiae Romanorum fundamenta ſubſtructa fuere, cum Romanis iuncti: v. Liv. I. 49-52, et multo magis Dionyſ. IV, 41-49. Nominatim paullo poſt in ipſo foedere memorantur Ardeates, Antiates, Laurentes, Circeienſes, Terracinenſes, littoralem fere plagam incolentes. Carthaginienſium autem ſocii fuere partim Phoenicum partim ſuae ciuitatis coloniae. Diuerſa earum erant iura, diuerſa conditio. Vtica quidem meliore iure vſa eſt; aliae ſub ditione et imperio Poenorum erant. Durius habitae eae, quae à Libyphoenicibus habitabantur; erant hi a Phoenicibus, qui cum Libybus coniugia contraxerant, oriundi: ex eo genere inprimis fuiſſe videntur ii, qui Byzacenam prouinciam incolebant. (Plin. V, 3.) Poenorum in eos non minor erat ſuperbia, quam nunc Hiſpanorum in Meſtizos, populares ſuos cum Indis permixtos *p*).

Scriptum

o) ap. Polyb. III. *22.*

p) bene de his vir cl. *de Ste Croix* l. mox c. p. 32. ſqq.

Scriptum autem foedus, *petentibus*, quantum quidem aſſequi licet, *Romanis*, nam arbitrio Poenorum leges conſtitutas eſſe plerasque ad intelligendum in procliui eſt. Cum Etruſci, inque iis Cluſini, Tarquiniorum vrbe pulſorum cauſſam ſuſciperent: probabile fit Romanos Poenorum, qui ſolitum Etruſcorum opibus et copiis maritimis haud impares erant, amicitiam ac ſocietatem ſibi adiunxiſſe, inprimis eo conſilio, vt agri prouentum, quem Etruſcis adhuc vendere ſoliti erant, excluſi inter arma ab eorum commerciis, ipſi in Africam transueherent. Quam quidem rem acerbam accidere debuiſſe Etruſcis apparet.

Cautum vero eſt in foedere:

I. *Ne Romani et Romanorum ſocii vltra Pulchrum Promontorium nauigent, niſi tempeſtatis aut hoſtium vi coacti; ſin coacti fuerint, ne quis ibi aut mercetur aut capiat quicquam praeter neceſſaria reficiendis nauibus et ſacris faciendis; nec vltra V. dies commorandi ſit facultas.*

Iam primum hoc ſtatim memorabile in hoc foedere occurrit, quod exemplum in eo proſtat *libertatis nauigandi circumſcriptae*, adeoque ſeruitutis non nauigandi, quam vocant *pp*). *Promontorii* quidem *Pulchri* ſitus non ſatis definitus eſt *q*); ex iis tamen, quae

pp) cf. Grotius I. B et C. II, 3, 15.

q) De *Promontorio* hoc *Pulchro* alter locus eſt Liuii, qui rem facit ambiguam, lib. XXIX, 27. vt ad Vticam illud referendum eſſe videatur; id quod ſequuti etiam ſunt viri docti, *Cellarius*, qui tamen haerere ſe faſſus eſt, et *Shaw*, doctiſſimus Britannus, (*Travels* p. 142.) qui *Promontorium Candidum* etiam *Pulchri* nomine veniſſe

quae a Polybio paullo poſt ſubiiciuntur, firmatur id, quod ipſa res docet, ad oram ab oriente Carthaginis

veniſſe contendit. Non meminerat noſtrum Polybii locum, cuius haud dubie maior hac in re eſt auctoritas; id quod et Schwarzius bene obſeruauit ad Geogr. ant. Cellarii p. 887. Etſi enim ea, quae ille nimis ſubtiliter de nominis cauſſis diſputat, ſequi nolimus; manifeſtum tamen fit e Polybii verbis c. 23. nomen *Pulchri* Pr. habuiſſe procurrens in ſeptentrionem ab oriente Carthaginis promontorium, *Hermaeum* ſeu *Mercurii*, nunc *Cap Bon* et indigenis *Ras-Adder* appellatum, aut, quod d'Anville, ſollertiſſimus vir, amplexus eſt, eius partem aliquam, forte interius illud promontorium, quod *Herculis* nomine declarauit *Shaw* in Tab. ad p. 148. Locus quidem Liuii, qui fraudi viris doctis fuit, commoda interpretatione bene expediri poteſt. De Scipionis traiectu in Africam e Sicilia agitur: *Iam terram cernebant, haud ita multo poſt gubernator Scipioni ait — Mercurii promontorium* (hoc eſt illud ab oriente Carthaginis prom.) *ſe cernere; ſi iubeat eo dirigi, iam in portu fore omnem claſſem.* (Sunt autem eo in littore loca appulſui nauium idonea ſub Aquilariam: v. *Shaw* p. 158.) *Scipio — dare vela et alium infra* (propius ad Carthaginem) *nauibus acceſſum petere iubet. Vento eodem ferebantur, — vbi illuxit, ventus idem coortus, nebula diſiecta, aperuit omnia Africae littora* (eundem adeo curſum per noctem tenuerant, verſus interiorem ſinum, in cuius receſſu Carthago ſita.) *Scipio, quod eſſet proximum Promontorium percunctatus, quum Pulchri promontorium id vocari audiſſet, placet omen, inquit, huc dirigite naues. Eo claſſis decurrit: copiae omnes in terram expoſitae ſunt.* — (c. 28.) *Expoſitis copiis Romani caſtra in proximis tumulis metantur. — Poſtero die — iam Scipio claſſe Vticam miſſa, ipſe, haud ita multum progreſſus a mari, tumulos proximos ceperat* — (c. 29.) *vrbem etiam proximam Afrorum ſatis opulentam cepit* (*Male* ad *Locham* Vticae vicinam referunt, ex Appiano T. I. p. 14. nam ea ſerius capta. Fuere in eodem tractu, quo appulerat Scipio, *Aquilaria*, *Carpi*, *Miſua*.) Paullo poſt c. 34. *Ad Vticam tum caſtra Scipio ferme* clo.

thaginis verſus ſeptentrionem procurrentem illud ſpectare; vltra quod verſus orientem Byzacena regio in campos fertiliſſimos patebat. Vt ab horum locorum aditu Romanos interdicerent, cauſſae eſſe potuere plures: forte ſociorum fidem habebant ſuſpectam, quorum animos auaritia Carthaginienſium publice et priuatim ſaepe a rep. abalienauit; vnam ipſe Polybius memorat cauſſam: ne vbertatem ſoli ſummam cognoſcerent *r*). Ita vero nec minus coloniae ac ſocii excluſi fuere a commerciis cum externis populis, et neceſſitas iis impoſita, vt a ſolis Poenis emerent, vtque Poenis ſolis ius eſſet mercatum per ſociorum vrbes habendi. Adeo nec ſagacitas illa, in neceſſitate huiusmodi mercatus coloniis aut ſociis denuntianda, recentiorum demum ingeniorum felicitati adſcribi poteſt.

Porro

clo. *paſſus ab vrbe habebat; translata a mari, vbi paucos dies ſtatiua coniuncta claſſi fuerant.* Omiſerat Liuius monere, Scipionem excercitum duxiſſe terreſtri itinere per mediam terram ita vt Carthaginem a tergo circumiret, claſſe interea praeter eandem vrbem vecta. Appianus p. 13. *Toll.* multo minus ſubtiliter in his eſt verſatus. Nuper vidimus doctiſſimum auctorem libelli de coloniarum veterum conditione (*de l'Etat et du Sort des Colonies des anc. Peuples* p. 38.) *Promontorium Pulchrum* in *Porto Farino* quaerere. qui portus Promontorio *Zibib* ſ. Apollinis ſubiectus eſt. Enimuero hoc *Apollinis* Prom. ab occidente Carthaginis eſſe, non magis dubitari poteſt, quam ab oriente eſſe *Mercurii* illud, quod paullo ante diximus. Ceterum cum apud Liuium *Pulchri* Promontorium ſit, ſuſpicamur, nomen ab Appio Pulchro ductum eſſe, qui forte ibi cum claſſe fuerat.

r) Polyb. I. c. c. 41. *διὰ τὸ μὴ βούλεσθαι γινώσκειν αὐτοὺς ὡς ἐμοὶ δοκεῖ, μήτε τοὺς κατὰ τὴν Βυσσάτιν, μήτε τοὺς κατὰ*

Porro occurrit animo, ſi quis eum intendat, ſtatim illud, quod ex Liuio non conſtare poterat, *Romanos iam tum mercaturam maritimam exercuiſſe*, eorumque naues Africae littora adiiſſe. Niſi forte id tum primum a Romanis tentatum eſſe credere malimus s).

Quod, *hoſtium vi coacti* Romani ne de curſu deflecterent ad ea Africae loca, verendum erat: reſpicere inprimis videtur Etruſcos, cum quibus perpetua fere bella Romanis erant: vt adeo nauium in mari occurſus non infrequens forte eſſet. Ad rem ſacram tandem faciendam quae neceſſaria peti poſſent, fuere inprimis victimae. Obſeruanda autem eſt Romanorum religio ac pietas in curandis etiam per nauigationis incerta ſacris ac caerimoniis.

II. Porro quae ſequuntur, ad eos ſpectare putanda ſunt, qui citra Promontorium loca adierint, quae accedere mercandi cauſſa licet: in ipſo illo

κατὰ τὴν μικρὰν Σύρτιν τόπους, ἃ δὴ καλοῦσιν Ἐμπόρια, διὰ τὴν ἀρετὴν τῆς χώρας. Ita interpungendus locus. Male accipiunt: *quae propter ſoli vbertatem vocant Emporia.* Immo vero loca illa, Emporia dicta, noluere Poeni a Romanis cognoſci propter ſoli vbertatem. Paullo ante *μακραῖς ναυσὶν* ex Polybii interpretatione ponitur. In foedere non de bellicis nauibus, ſed omnino de nauigiis vniuerſe memoratur.

s) Admodum ieiuna vel ſic eſt I. Fr. Gronouii diſputatio adv. Salmaſ. ad calc. lib. de Pec. vet. p. 583. ſq Qui miraculum rei naualis intra paucos annos conſtitutae a Romanis ad miraculum augere voluere, ante b. Punici I. tempora Romanos omnino a re maritima abſtinuiſſe tradidere. Saltem dicendum erat, a triremium fabrica eos ſe cohibuiſſe.

illo ſinu, in cuius intimo receſſu Carthago ſita erat *t*): *qui ad mercaturam venerint, vectigal nullum pendunto, extra quam ad praeconis aut ſcribae mercedem; quicquid autem hiſce praeſentibus fuerit venditum, publica fide venditori debetor; quod quidem in Africa aut Sardinia fuerit venditum. Sin quis Romanorum in eam Siciliae partem venerit, quae imperio Carthaginienſium paret, iure aequo Romani in omnibus vtuntor.*

Scilicet mercis, quam afferebant Romani mercatores *u*), priuatim vendendae ius et facultas nulla erat; ſed quicquid venderetur, publice vendendum erat, praecone et ſcriba praeſente. Simili modo mercatum exterorum circumſcribi in multis Indiae emporiis nouimus. Quod ſi publica fide debetur id, quod publice venditum fuerit: facile intelligitur, in iis, quae priuatim vendita erant, exigendi debiti et perſequendi ius et facultatem fuiſſe nullam. De emtione nihil cautum: nam haec ad Poenorum vtilitatem tota per ſe erat comparata. Obſeruetur et illa Poenorum prudentia, quod interiores terras adire noluere Romanos mercatores; ſed ex iis terris merces ſua opera advectas ipſi vendidere Poeni Romanis, et ab iis emtas merces per Afrorum fora pretio, quod ipſi ſtatuebant, venditarunt. Verum circumſcriptum illud

 vendendi

t) Dura oratio eſt, quis neget, etiam in ceteris nonnullis. Sed in tam priſco monumento quis ſermonis aſperitatem miretur!

u) Quae res eae fuerint, quas Romani in mercatum apportare poſſent, non inuenimus memoratum. Frumento ipſa Africa abundabat. An coria? lanae? vina? lina? far?

vendendi ius ad Africam (h. e. agrum Carthagi-nienſem, vt ipſe Polybius interpretatur *x*) et vt ex altero foedere, ſi comparetur, intelligi poteſt) et Sardiniam ſolam ſpectauit; in Siciliae vrbibus, quae in Poenorum ditione erant, liberius ius fuit, ita vt eodem cum Poenis iure vterentur Romani *y*). Quid Poenos adduxerit, vt maiorem in hac inſula mercatus libertatem permitterent, num quod Italiae vicina erat, an quod aliae erant Graecorum ciuitates in Sicilia, quas adire poterant Romani mercatores, ſi minus liberaliter haberentur a Poenis, nunc quidem vix coniectando aſſequi licet.

III. *Carthaginienſes ne iniuriam inferunto Ardeatibus, Antiatibus, Laurentibus, Circeienſibus, Terracinenſibus, neque vlli alii e Latinis, qui ſub ditione* (Romanorum) *erunt. Quae non ſub ditione erunt, etiam ab iis vrbibus*

x) c. 23. p. 284. *εἰς δὲ Καρχηδόνα καὶ πᾶσαν τὴν ἐπὶ τάδε τοῦ καλοῦ ἀκρωτηρίου τῆς Λιβύης.*

y) *ἐὰν* (f. *ἐὰν δὲ*) *Ῥωμαίων τις εἰς Σικελίαν παραγίγνηται, ἧς Καρχηδόνιοι ἐπάρχουσιν, ἴσα ἔστω τὰ Ῥωμαίων πάντα.* ſc. *τοῖς Καρχηδονίοις, eodem iure vtuntor quo Carthaginienſes.* Ita locum accipiendum arbitramur, in quo haeſit Barbeyracius; qui ita accipere iubet, vt ſit: *eodem iure ac in Africa et Sardinia vtuntor.* Ita vero ſcriptum fuiſſet, *ὅσαγ' ἂν ἢ ἐν Λιβύῃ ἢ ἐν Σαρδοῖ πραθῇ ἢ ἐν Σικελίᾳ*: otioſa eſſent reliqua omnia. Quae in ſequ. c. 23. a Polybio ſubiiciuntur, ad declarandum id, cuius cauſſa omnem hanc diſputationem ingreſſus erat, ſpectant: vid. c. 26. At verum verborum ſenſum ſatis declarant ea, quae in altero foedere diſertius perſcripta videbimus: *ἐν Σικελίᾳ, ἧς Καρχηδόνιοι ἐπάρχουσι, — πάντα καὶ ποιείτω* (Romanus) *ὅσα καὶ τῷ πολίτῃ* (Carthaginienſi) *ἔξεστιν.* (atqui hoc eſt *ius aequum, πάντα τὰ ἴσα*) *ὡσαύτως δὲ καὶ ὁ Καρχηδόνιος ποιείτω ἐν Ῥώμῃ.*

bus abſtinento; ſi tamen ceperint, Romanis ſine noxa vlla reddunto. Caſtellum vllum in Latino agro ne exſtruunto. Si infeſtis armis terram ingreſſi fuerint, in ea ne pernoctanto.

Accurate in his cauent et prouident Romani, ne Poeni in Latio, intra Romanorum ditionem, conſidere poſſint; Mercatum autem in iis locis facere, forum habere, mari terraque vrbes circumire liberum Poenis relictum. E ſociis Latinis nominatim appoſiti, qui maritimam oram incolebant. Extrema verba eo referenda ſunt, quod ſaepe factum legimus, vt iniuriis acceptis ſiue in mari a praedonibus, ſiue in terra, vel fraude emtorum et inſidiis, vel vi publica priuataue, ſi publice ſatisfactum non eſſet, agros praedarentur: hoc igitur in iis Latii terris, quae ſub Romanorum ditione non ſunt, adeoque nec in ſocietate, facere licet Poenis eſcenſione facta, modo ne loca capta ſibi retineant aut praeſidiis impoſitis pedem in Latio figant. De Latio autem, nec de Italia, memoratur: quia Romanorum imperium anguſtis illis finibus eo tempore continebatur. z). Inter Latinos ſocios iam tum fuiſſe nonnullos iniquo foedere, ita vt ſub ditione eſſent a), cum aliunde non conſtet, ex hoc foedere diſcimus.

Ceterum in eo foedere mirationem facere poſſunt haec: *quod non aeque ſibi Romani proſpiciunt, in circumſcribendo mercatu Poenorum, qui ad vrbem Romam*

z) vt ipſe Polyb. monet. p. 284.

a) ὑπήκοοι.

mam merces aduehérent. Iis ne liber omnino fuit commeatus? vt Romanis in Siciliae vrbibus, quae ſub Poenorum ditione erant? id quod altero foedere diſertius enuntiatum eſt. Nam probabile haud fit, licuiſſe Romanis, ſibi ipſis merces ex Africa petere, Carthaginienſibus ab aditu Tiberis excluſis. Quod ſi tum primum tentata res eſt a Romanis: vt ipſi prouentum agrorum in Africam transportarent, quum adhuc Etruſci forum in vrbe Roma habuiſſent: ſuſpicio eſſe poſſit, Poenos omnino adhuc parum frequentaſſe Tiberis oſtia. Sed probabilius fit prius illud, quod poſuimus: nihil de Poenorum nauigatione in foedere eſſe memoratum, cum iam antea more et vſu illa eſſet conſtituta, in foedere autem perſcriberentur tantum ea, quae noua ſancirentur. Promiſcua adeo Etruſcorum et Poenorum fuere in vrbe Roma fora et commercia. Forte Etruſcorum et Poenorum ea de re fuere pactiones. Neque id ſtatuendum eſt, Poenis Latii littora adire hoc demum foedere eſſe permiſſum; immo vero dudum fieri ſolitus acceſſus ille nauium Carthaginienſium coercitus nunc eſt et circumſcriptus certis legibus.

Ad *alterum* foedus feſtinabamus. Sed ecce ſufflaminat impetum pompa ducta. *Templa patent auresque* — iungamus vota precesque publice priuatimque pacemque et felicitatem generis humani a deo precemur. PP. in Georgia Auguſta Kal. Iul. cIɔ Iɔ cc lxxx.

IV.

ACADEMIAE GEORGIAE AVGVSTAE

PRORECTOR

CHR. FR. GEORG. MEISTER D.

CVM SENATV

ANNIVERSARIA INAVGVRATIONIS

SACRA XXXXIII.

IN A. D. XVIII. SEPTEMB. MDCCLXXX.

RITE INDICIT.

Foedera Carthaginienſium cum Romanis ſuper nauigatione et mercatura facta illuſtrantur.

Commentatio poſterior.

Incolumi rep. noſtra academica, pace et tranquillitate per fines Germaniae integra et (vtinam in longum tempus) firmata, rebus florentibus, anniverſaria ſacra celebraturi quid prius antiquiusque habere poſſumus, quam vt animis omni pietatis ſenſu perfuſis et rerum proſpere fluentium cogitatione erectis tantorum bonorum fontem et auctorem grati, hilares et deuenerabundi, adoremus? Non itaque ex more et conſuetudine repeti, ſed ad officium pertinere putabimus, Ciues, quod craſtino die agen-

tur ſollennia in templo academico, quibus vt, veſtra praeſentia, Comites S. R. I. Illuſtriſſimi, Commilitones ingeniorum, natalium, ſtudiorum laude probatiſſimi, celebritatem addere velitis, humaniſſime rogamus. Vota publico nomine perſoluet ſuſcipietque brabeuta honorum, quos Ordinis medici iuſſu duobus Candidatis probatiſſimis, ISAACO GRVNO, Hamburgenſi, qui idem orationem gratiis agendis habebit, et IO. CAR. WALLBAVM, Hannouerano, impertiet Vir Experientiſſimus,

HENR. AVG. WRISBERG D.

oratione ſollenni ex ſuperiore loco habita. Memorabit ille ea, quae fauſta ac ſecunda per ſuperiorem annum academiae contigerunt, auctos Bibliothecae academicae nouarum aedium acceſſione loculos, auctas eiusdem et Muſei opes, muneribus quoque nouis cum aliorum tum viri immortaliter de nobis meriti, Georgii L. B. DE ASCH, cuius munificentiam admirabilem iam ſaepius praedicare in his ſcriptionibus obtigit.

Interea nos, quibus praefandi munus impoſitum eſt, bona cum pace veſtra abſoluemus diſputationem nuper inſtitutam de iis, quae inter Romanos et Carthaginienſes ſuper mercatura et nauigatione foedere pacta eſſe legimus.

Ad *alterum* ſubſtiteramus *foedus* V. C. 406. percuſſum: XII. annis ante Alexandri in Aſiam traiectum. Etruria in armis erat iam inde ab V. C. 398. Tarquinienſes aliquoties caeſi cum Faliſcis: Caerites eorum, quae auſi erant, mature poenitentia cepit.

cepit. Gallorum ingens multitudo in agro Latino conſederat: ipſi Latini obſequium detrectabant: quos vt terrore tenerent, cum fides non tenuiſſet, extendére omnes imperii vires Senatui placuit, X legiones ſcriptae *a*). Inter haec Liuius: *Mare infeſtum claſſibus Graecorum erat, oraque littoris Antiatis, Laurensque tractus, et Tiberis oſtia; vt praedones maritimi cum terreſtribus congreſſi ancipiti ſemel praelio decertarint.* — Et anno ſequente: *Graeci — Italiam reliquere. Cuius populi ea, cuiusque gentis, claſſis fuerit, nihil certi eſt; maxime Siciliae tyrannos fuiſſe crediderim.* Nec male hoc credidit Liuius; dubitari enim vix poteſt, Dionyſii iunioris claſſem eam fuiſſe. Nam is paullo ante (V. C. 398) Syracuſis eiectus in Italia circa Locros conſederat, donec altero abhinc anno 407. iterum Syracuſas recepit. Per decem hos annos in Locrenſes multa libidinoſe ac crudeliter ſtatuerat *b*); nec minus Italiae littora latrociniis infeſta feciſſe videtur.

Poeni interea intente agere, vt imperium Africae Siciliaeque amplificarent et firmarent, Romanis nondum ad ſe quicquam horum pertinere arbitrantibus *c*). Inprimis vero Hiſpanias ſui imperii arcem, ſuarum opum ac copiarum robur, commer-

D 5 ciorum

a) 42.000 pedites, 3000 equites. Nam legionem quaternum millium et ducenorum peditum, equitumque trecenorum fuiſſe, addit Liv. VII, 25.

b) Nota res ex hiſtoriis huius temporis v. Strabo VI. p. 397. D. et al. v. Progr. de Locror. rep. II. ſub f. (Opuſc. T. II. p. 57.)

c) Liv. IV, 29.

ciorum cardinem, fecerant. Cum ab initio in Erythia ſeu Gadibus emporio contenti fuiſſent: Tyro ab Alexandro euerſa, in Phoenicum locum ſucceſſiſſe videntur *d*). Sed fuit Hiſpania Poenis prima exitii cauſſa; vt Aſia victa Romanis; America Hiſpanis, Oriens Luſitanis, Batauis, Britannis et Gallis. Immenſis diuitiis Carthaginem delatis et congeſtis, fortunarum inaequalitas, luxus, auaritia et omne publicae priuataeque corruptelae genus, diſciplinam, inſtituta, leges, remp. peſſumdedit.

Tyriorum opes, qui emporia condere ſatis habuerant, vbique a barbaris oppreſſas Poeni viderant. Quid ipſi? praeſidiis occupare loca, oppida muris cingere, ciues ac ſocios in colonias educere, ſatius eſſe viſum eſt. Traxit ea res vel inuitos ad arma. Milites alere neceſſe fuit. Cum ciues ad ſupplementa deficerent, *mercede conducere milites coepere e*). Ita vno ſatu ſeges malorum prouenit. Nec alia res noſtra ac ſuperiore aetate mercatorum ſocietates, per Aſiae et Africae littora et inſulas eadem conſilia ſequutas, opibus exhauſit. Scilicet

ea

d) cf. La Croix p. 50 ſq.

e) Mercede conducere milites Poenis ſollenne fuit; primum id in bello cum Timoleonte factum volunt, adeoque circa Ol. 109, 1. a. C. 344, V. C. 410. ſed falſo; nam ſaepius iam ante id tempus Poeni mercenario milite in Sicilia conflixere; vide v. c. Diodor. XIII, 80. et tanquam perpetuo Poenorum more et vſu receptum illud memorat Polyb. I. 67. Si tamen coniecturae locus eſt, Hiſpania demum occupata, et metallis influentis, conſilium illud maxime ſequutos eos eſſe arbitramur. cf. Diodor. V, 38. Copias tamen nauales ſemper ex ſociis conſcripſiſſe videntur, quod et Romanos ſequutos eſſe nouimus.

ea communis eſt mortalium ſors, vt rebus ſecundis cupiditate abrepti res praecipites dent, mox vt ea, quae medendis malis remedia prudentia repererit, noua mala inducant, quibus antea carebant. Qui maiora pro ſorte ſua appetunt, qui imperia ac regna ſeu vi ſeu conſilio aſtuto ſibi parant, regniue fines latius extendunt: vt vi parta tueantur, non niſi aliis violenter factis ac deſtinatis graſſari poſſunt. Ita per vtramque Indiam ab Europaeis imperia exercentur, quibus nulla barbarorum crudelitas et atrocitas comparari poteſt. Grauia porro bella in Sicilia cum Dionyſio ſeniore Poeni geſſerant, fortuna varia. Cum *Etruſcis* foedera fuiſſe et pacta conventa *de rebus importandis*, *de non inferendis iniuriis et de ſocietate*, ex Ariſtotele nouimus *f*): nec ab Italiae acceſſu eos abſtinuiſſe, id ſaltem docet, quod ſub V. C. 375 commemoratum legimus, eos Vibonem Valentiam ſeu Hipponem, in extrema Italia, reduxiſſe exules *g*).

Inter haec adeo, cum communis eſſet Romanorum et Poenorum metus a Dionyſio, cumque a praedonibus infeſtaretur Italiae littus, Latinorum autem defectio, ne in agrum ſuum aduenas illi acciperent, ſollicitudinem faceret: renouatum foedus inter

f) Ariſtot. de Rep. III, 9. (6) *εἰσὶ γοῦν αὐτοῖς συνθῆκαι περὶ τῶν εἰσαγωγίμων, καὶ σύμβολα περὶ τοῦ μὴ ἀδικεῖν, καὶ γραφαὶ περὶ συμμαχίας.*

g) Diod. XV, 24. XIV, 107. Hipponem Dionyſius ſenior diripuerat: qui idem Agyllam ſ. Caere claſſe adortus templum opulentum Leucotheae ſpoliarat V. C. 368. Diod. XV, 14. Ariſtot. Oecon. II, p. 506. B. du Val.

inter Romanos et Poenos, inque eo adeo nouae adiectae conditiones ſunt pro temporum illorum rationibus. Videntur Poeni priores adiiſſe Romanos *h*).

Comprehenſi hoc foedere a Carthaginienſibus *Tyrii*, in quorum extrema tempora haec incidunt, et Vticenſes cum eorum ſociis. Inter Tyrios et Carthaginienſes mutua fuiſſe rerum commercia nemo dubitet *i*). Vticenſes iam ante Carthaginem conditam ea loca inſederant; Poſtea in ſocietatem pertractis tandem obſequii neceſſitas impoſita *k*), etſi meliore, quam ceteri, conditione fuiſſe videntur.

I. Promontorio Pulchro antea pro termino nauigationis conſtituto adduntur nunc *Maſtia* et *Tarſeium* *l*). Cum antea vltra eum terminum nauigare vetiti

h) Liv. VII, 27. — *et cum Carthaginienſibus legatis Romae foedus ictum, quum amicitiam ac ſocietatem petentes veniſſent.*

i) cf. Liv. XXXIV, 61. vbi *Tyrus et alia emporia, in quae frequentes commeant* Carthaginienſes.

k) Praeſidium Punicum habuiſſe leguntur ap. Diod. Exc. T. II. p. 567. Weſſ. Appian. T. I. p. 68. Forte etiam belli iure id factum erat, cf. Polyb. I, 88. Deteſtabilis illa bellorum neceſſitas, quae coegit tributis atterere ſocios, inter ceteros ſocios et foederatos etiam Vticenſes adeo animis a Metropoli abalienauit, vt primum bello mercenariorum ſtatim accederent, poſtea vt Romanis ſe dederent, quae res excidium Carthagini maturauit. Polyb. T. II. p. 803. in Exc. Iniurias coloniis et foederatis illatas grauiſſime expoſuit idem lib. I, c. 72.

l) *τοῦ καλοῦ ἀκρωτηρίου, Μαστίας, Ταρσηΐου μὴ ληΐζεσθαι ἐπέκεινα Ῥωμαίους, μηδὲ ἐμπορεύεσθαι, μηδὲ πόλιν κτίζειν:*

vetiti eſſent Romani: nunc diſertius declaratum: *ne praedas agerent, nec mercatum facerent, nec vrbem vllam conderent.*

II.

κτίζειν: et ipſe Polyb. pr. c. 24. *πρόσκειται δὲ καὶ τῷ καλῷ ἀκρωτηρίῳ Μαστία, Ταρσηΐου, ὧν ἐκτὸς* etc. quod male accipiunt, etiam Iac. Gronov. *cui adiacent.* Immo vero: *accedunt in hoc foedere. Maſtiae* et *Tarſeii* ſitus obſcurus ſane eſt, non tam per ſe, quam ad huius loci rationes. Nam eius nominis vrbes ac populos Hiſpaniae extremi Occidentis verſus fretum Herculeum fuiſſe, dubitari nequit. v. inpr. Auienus in ora marit. v. 422 ſq. vbi et vrbs Maſſiena 452. Apud Steph. Byz. in Μαστιανοί; *ἔθος πρὸς ταῖς Ἡρακλείαις στήλαις. Ἑκαταῖος Εὐρώπῃ. Εἴρηται δὲ ἀπὸ* Μαστίας *πόλεως.* (v. id. in *Ἰβηρίαι* et Conſtantin. Porphyr. de adm. Imp. c. 22. Banduri T. II. p. 76. Imp. Orient. Videtur vrbs eſſe eadem, quae paullo ante in Stephano Μασσία, *χώρα ἀποκειμένη* (attributa) *τοῖς* Ταρτησσίοις. Et Μαινό*βωρα πόλις* Μαστιηνῶν. In Conſtantino Porphyrog. (extat quoque Excerptum ap. Hudſ. Geogr. min. ad calc. T. IV. p. 40.) Μαστηνοὶ in Hiſpania inter *Tarteſſios, Elbyſinos et Calpinos* memorantur. Mirum tamen, quod Steph. Byz. in Ἐλβέστιοι. *ἔθνος Λιβύης. Φίλιστος ή. περὶ δὲ τοὺς Λίβυας ἐκτὸς* Εὐρώπης Ἐλβέ*στιοι καὶ* Μαστιηνοί. Niſi leg. *ἔθνος* Ἰβηρίας -- Ἑκαταῖος Εὐρώπῃ. Iam Ταρσήϊον ap. Steph. *πόλις πρὸς ταῖς* Ἡρακλείαις *στήλαις.* Πολύβιος *τρίτῳ.* Reſpexit adeo hunc ipſum locum. Inf. III, 33. vbi milites ab Annibale ex Hiſpania in Africam et ex hac in Hiſpaniam traiectos narrat, qui in Africam tranſiere, ſunt Θερσῖται (f. Ταρσηῖται) Μαστιανοὶ, *ὀρεῖται* Ἴβηρες (an Ὀρητανοὶ, Ἴβηρες?) Ὀλκάδες. (Ὀλκάδες ap. Steph.) Secundum haec Romanis libera eſſet nauigatio per totam Africam vsque ad Gades et hinc in Hiſpaniae ora citra Malacam; quod per ſe parum ſit probabile, cum verſus Orientem non vltra proximum a Carthagine promontorium Romanos euagari vellent; et quam ſuſpicioſi fuerint Poeni, notum eſt vel ex eo, quod peregrinos, qui ad Columnas Herculis naue accedere auderent, mari merſiſſe narrantur; (Strabo XVII. p.

1154.

II. *Si in Latio vrbem aliquam Carthaginienſes ceperint, quae ſub ditione Romanorum non erit: praedam et captiuos ipſi habento, vrbem reddunto* m).

III. *Si qui Carthaginienſium aliquos ceperint, quibuscum foedere ſcripto iuncti ſunt Romani, qui tamen ſub Romanorum imperio non erunt: hos in populi Romani portus ne deducunto; ſi quis erit deductus et manum Romanus iniecerit, liber eſto. Eodem iure et Romani tenentor* n). Barbeyracius praeclare haec illuſtrauit,

1154. C.) tum cur non ſcriptum ſimpliciter, per totam Africam et partem Hiſpaniae? cur in Hiſpania ignobiles iſtae vrbes pro finibus conſtitutae? nec aliunde conſtat, Romanos Gades iam tum nauibus adiiſſe; et ſi adiiſſent, quam parum expectandum, vt extra illud in Oceano Atlantico praedarentur! Id curae ſcilicet Poenis fuit, modo vt intactae eſſent interiores Africae et Europae orae! Bochartum, qui adeo Tarſum in Tarſeio quaerit, Phaleg. III, 7 haec concoquere potuiſſe non miramur, quippe qui perſuadere ſibi potuit, iam Moſis tempore extra Herculis columnas nobilem fuiſſe Phoenicum coloniam. Probabilius itaque eſt, fuiſſe Maſtiam et Tarſeium vrbes vicinas Carthagini ab occidente, quarum nomina impertita mox ſunt coloniis Hiſpaniae, ex more communi Sidoniorum, Tyriorum et Poenorum non minus quam aliorum populorum. Vrbes illas poſtea e notitia hominum abiiſſe, ſi quis miretur, cogitet, quam ingens vrbium multitudo per Africam interierit. Nec tamen cum viro doctiſſimo de S. Crnce p. 38 aſſeuerare audeamus, *Maſtiam eſſe le Cap Blanc, Tarſeium le Cap Serra;* quod ſine omni auctoritate pronuntiatur.

m) In priore foedere: *Ῥωμαίοις ἀποδιδότωσαν ἀκέραιον.* Exciderine hoc, vt Romanis tradendae ſint, an omnino relinquendae a Poenis ſint vrbes, nec in ditione ſua retinendae, non definiri poteſt.

n) *ὡσαύτως δὲ μηδ' οἱ Ῥωμαῖοι ποιείτωσαν. pariter nec Romani id faciunto*, vt, ſi quem e populo cum Poenis foedere

ſtrauit, tria populorum genera, reſpectu ad Romanos habito, conſtituendo: aut enim illi ſocii Romanorum ſunt; ii vero ab omni Poenorum iniuria intacti et tuti praeſtantur, vi ipſius foederis; aut ſunt populi in Latio, qui ſui iuris ſunt, nec in ditione a Romanis habentur: horum ſi quam vrbem ceperint, praedam et captiuos ipſi habento, vrbes reddunto; quod iam priore foedere ſancitum, ne Poenis aliquam agri Latini partem inſidere liceret; aut ſunt foederati Romanorum, ſed nullo imperii iure obnoxii: ex his captiuos in portus Romanos abductos liberare ius eſto Romanis. Recordandum eſt illorum temporum more captos homines pro mancipiis vendi: hinc eſcenſiones in littus; praedationes, latrocinia. Quod nunc Europaei in Africa faciunt, vt multis modis ſeruitia inde parent: hoc fecere Phoenices, Poeni et alii, per littora maris mediterranei; *abducebant Poeni ex Europa homines in Africam.* Tanta rerum eſt viciſſitudo! Redeunt ceteroqui ea, quae in foedere ſcripta recitauimus, fere eodem, quo ea foederum noſtrorum capita, in quibus perſcriptum eſt: captas naues eorum, quibuscum ſocietas et amicitia nulla eſt, in portus noſtros adducere licere; ſociorum contra non licere; tempeſtate

foedere iuncto ceperint, in Carthaginienſium portus deducant. Hunc loci ſenſum ratio grammatica et ſenſus fatentur. Minus bene Barbeyrac. accepit l. c. p. 222. Conueniunt fere cum ſupra dictis ea, quae in recentioribus foederibus conuenta legimus, v. c. inter Britanniam et Ruſſiam a. 1734. (v. *Chev. d'Eon Loiſirs* T. V. p. 329.) vt ex naualibus copiis naue in portum ſubducta reddantur amicis ii, qui ex eorum ſunt ditione.

tempeſtate vexante naues eas in portum admitti, ſed in paucarum horarum ſpatium *o*).

IV. *Si ex aliqua regione, quae ſub Carthaginienſium imperio eſt, Romanus aquam commeatusue ſumſerit: cum his commeatibus ne cuiquam iniuriam facito eorum, cum quibus pax et amicitia eſt Carthaginienſibus.*

V. Caput foederis quod ſequitur obſcurum et ambiguum eſt, cum et lacuna in verbis ſit et verborum iunctura ſit varia et multiplex, vndique tamen impedita. Interea acquieſcendum in ea ſententia, *vt, ſi iniuria cuiquam ſeu Poeno ſeu Romano facta fuerit, apud iudicem vel magiſtratum is ius petat; ſin minus obtinuerit: publica illa cenſenda ſit iniuria et armis vindicanda a republica, cui ille adſcriptus fuerit* *p*).

VI.

o) v. Pactionem inter Gallos et Britannos de nauigatione et commerciis Vltraiect. 1713. Art. XV. XXXVI et VII. ap. *Lamberti* T. VIII. p. 85. et cum Belgii foederati Ordinib. art. XIII. p. 146. Hiſpaniae et Britann. de 1667. quae pactio pro fundo ac formula aliorum foederum conditionibus adhiberi coepit.

p) .... *ποιείτω. εἰ δὲ, μὴ ἰδίᾳ μεταπορευέσθω. ἐὰν δέ τις τοῦτο ποιήσῃ, δημόσιον γιγνέσθω τὸ ἀδίκημα.* Videri poteſt ad illud caput ſuperioris foederis pertinere, quo, ne quis priuatim mercetur, interdictum eſt; *ſin factum fuerit, ne exigito vi priuata debitum;* (ſed ad iudicem deferat) *ſin factum fuerit, publica ea erit iniuria.* Grotius de Iure b. et p. lib. II, 21, 6. not. 9. iubet iungere: *εἰ δὲ μὴ, ἰδίᾳ μ.* quem ſequitur Barbeyracius, ita vt plura ſuppleat: *ὡσαύτως δὲ καὶ ὁ Καρχηδόνιος ποιείτω. εἰ δὲ μὴ, i. ſi quis* (ſeu Romanus ſeu Poenus) *ſecus fecerit,* (is cui iniuria facta fuerit) *ius ſuum priuato iudicio perſequatur; ſi quis hoc fecerit* (nec is ius ſuum obtinuerit) *publica eſto iniuria* (ſc. populi eius, apud quem ius ſuum conſequi non potuit). Duriſſimam eſſe orationem facile ſentias. Quod

ad

VI. *In Sardinia et Africa neque quiſquam Romanorum negotiator, neque vrbem condito,* (neque eo appellito) *q*) *niſi commeatus accipiendi cauſſa aut nauis reficiendae; ſi tamen tempeſtas detulerit, intra dies quinque excedito.* Superioris foederis caput agnoſcimus hactenus noua lege ſancitum, vt, cum in Sardinia et in Africa adſumto praecone et ſcriba mercari antea liceret, nunc ab vtriusque prouinciae aditu interdicatur Romanis. Adeo mutatus erat rerum ſtatus. De Sardinia aliunde nouimus, ponto ſubmerſos eſſe aduenas, qui adiiſſent *r*). De Africa dubitari poſſet *s*): enimuero ſtatim in ſequenti capite manifeſtum erit, ad ſolam vrbem Carthaginem omnem negotiatorum exterorum turbam fuiſſe confluere

ad ipſam rem: melius prouiſum eſt in recentiorum foederum ſponſionibus, vt ne, ſi qua talis iniuria inciderit, publica pax turbetur, aut iniuriae iniuriis vindicentur, verum vt miſſis vltro citroque idoneis viris componantur res: *Nec guerra ob id fieri vel moueri debet, ſed per Principes vnius vel alterius partis attentata ipſa debite reparabuntur et in priorem ſtatum reponentur;* cap. XXVIII. *Tractatus Pacis et Commerc. inter Henric. VII. R. Angl. et Philippum Archid. Auſtr. 1495. Tr. Nauigat. et Commerc. inter Gall. et Britann. 1713. Vltraiecti* art. XXXVIII. ap. *Lamberti* Tom. VIII. p. 90. *cum Belgis foed.* art. XXXII. ibid. p. 150.

q) excidit hoc, ſi quid recte percipimus. Sic ſup. foedere: *μὴ πλεῖν Ῥωμαίους* etc.

r) ap. Strabon. XVII. p. 1154. C.

s) videri poteſt *καὶ Λιβύη* additum a male ſedulo, qui in priore foedere vtrumque iungi viderat. Si tamen verum eſt, ea Libya eſt, quae vltra Tarſeium et Maſtiam ſita erat. Sed potius abeſſe iubebo.

ſluere coactam. Adeo occaecauerat animos auaritia, vt ciues Carthaginienſes ad ſe et ſuam ciuitatem omnem quaeſtum, omne ex negotiatione et mercatu commodum raperent, vt nec vrbes in vicinis locis ſocias a peregrinis adiri vellent.

VII. *In Sicilia* tandem, *quae quidem in Carthaginienſium ditione eſt, item Carthagine, omnia Romanus facito, vendito, quae ciui licebit t): idem Romae Carthaginienſi ius eſto.* In Sicilia adeo omnia liberioris iuris, vt in priore foedere; nunc acceſſit eadem negotiandi libertas in ipſa Carthagine.

Tertio foedus renouatum V. C. 448. *u*) iisdem, vt probabile ſit, conditionibus; etſi res Polybium fugiſſe videtur. Carthaginienſes in ſummum diſcrimen ab Agathocle adducti, eius diſceſſu ex Africa vix reſpirare coeperant eo anno: attritis itaque in Africa et Sicilia rebus, videntur ſociorum ſtudia in ſe et animos firmaſſe.

Quarto, aut ex Polybiana ratione, tertio, foedus inter Poenos et Romanos ſancitum tempore Pyrrhi in Italiam traiectus *x*): neque cauſſas inueſtigare

t) haec erant in ſuperiore foedere: *ἴσα ἔστω τὰ Ῥωμαίων πάντα.*

u) Ita Liv. IX, 43. diſerte, P. Cornelio Arnina Q. Marcio Tremulo Coſſ. *et cum Carthaginienſibus eodem a. foedus tertio renouatum; legatisque eorum, qui ad id venerant, comiter munera miſſa.*

x) Polyb. III, 25. *κατὰ τὴν Πύῤῥου διάβασιν.* Pyrrhus traiecit Tarentum V. C. 473. Foedus tamen ſub id demum tempus pactum eſſe videtur, cum Pyrrhus in Siciliam vocatus eſſet: adeoque ſub a. V. C. 476. a. C. 278.

ſtigare difficile eſt: imminebat ille Siciliae, cum belli in Italia ſucceſſus votis haud reſponderet, Siculi autem, inteſtinis diſcordiis et Poenorum armis attriti, eum ad ſe vocaſſent. Seruatae in hoc foedere conditiones priſtinae; adiectae hae:

I. *Si ſocietatem cum Pyrrho alteruter populus foedere perſcripto inierit: foederis legibus vterque caueto, vt ſi alterutrius* (Romanorum et Carthaginienſium) *ditionem hoſtis* (externus) *inuaſerit, inuicem ſibi opem ferre liceat.* Quo ipſo adeo caueri debebat, ne, pace cum Romanis facta, Poenos armis peteret Pyrrhus. Praeclara cum prudentia ſcripta foederis lex, cuius exempla plura ſunt in recentioribus foederibus.

II. *Vtriutri autem opus auxilio habuerint, naues a Carthaginienſibus praebentor, et ad iter et ad praelium; ſtipendia ſuis vtrique danto.* Perperam haec accepta a viris doctis ita ſunt, vt nullas omnino naues Romanis fuiſſe tum putarent: cum tamen ipſi illi bello, quod cum Tarentinis geſtum, facta nauibus Romanis iniuria cauſſam dederit, et Antiatum naues abactae et in naualia Romae ſubductae, partim incenſae, roſtris in foro fixis, iam ſub a. 417. memoratae ſint.

III. *Carthaginienſes etiam claſſe, ſi opus fuerit, auxilium ferunto. Socios nauales inuitos nemo nauibus exire cogito:* ſc. ad militiam terreſtrem obeundam.

278. **Idem ex rerum narratarum ordine in Liuii Epit. lib. XIII. intelligitur:** ***Iterum aduerſus Pyrrhum dubio euentu pugnatum eſt. Cum Carthaginienſibus quartum foedus renouatum eſt.***

Similia interdum foederibus recentioribus pacta eſſe, ex rerum geſtarum memoria facile repetas.

Non ſatis conſtat, ſitne ad tempus ante foedus percuſſum referendum, an iam facto foedere ſequutum ſit, quod a Iuſtino narratur: miſſum a Poenis auxilium cum CXX nauibus fuiſſe a Romanis remiſſum; ſi tamen verum eſt, quod Valerius Maximus in eadem re ſubiicit, ſuperbe a Romanis eſſe reſponſum, pop. R. bella ſuſcipere ſolere, quae ſuo milite gerere poſſet: ſerius miſſa auxilia eſſe neceſſe eſt, cum aut Romani iam ſatis fiderent viribus ſuis, aut iam refrixiſſet gratia inter vtrumque populum; quandoquidem eodem illo bello cum Pyrrho geſto prima diſſidiorum ſemina ſparſa eſſe intelligi poteſt *y*). Poeni clam id agebant, vt Pyrrhus in Italia detentus attereretur viribus, nec in Siciliam traiiceret. Manifeſtiores etiam odii cauſſae paullo poſt in arce Tarentina occupanda apparuere ſub a. 482. a. C. 272. *z*).

Iusiurandum, quo foedera ſancita fuerint, addit Polybius *a*); ſed ad cauſſam noſtram ea res nihil facit: vti nec de reliquis Poenorum cum Romanis pactionibus nunc laborabimus. Vt ne tamen deſiderari aliquid poſſit, quo conſiliorum vtriusque populi ad nauigationem et mercaturam ſpectantium rationes pateſiant, ex iis, quae poſtea pacta conventa

y) cf. Iuſtin. XVIII, 2. Valer. Max. III, 7, 10.

z) Bene has expoſuit Freinshem. in Suppl. Liv. XIV, 44-46. *Suppl. au Corps dipl.* T. I. p. 293.

a) Polyb. l. c. c. 25.

venta ſunt, ea ſeligamus, quae propoſito noſtro conſentanea ſunt.

Igitur bello primo Punico id actum a Romanis, *vt Poenos Sicilia excluderent*, mox altero, *vt omni mari mediterraneo*. *Nec* tamen *ipſi Romani in eorum locum ſucceſſiſſe* videri poſſunt; nam nec maritimis opibus magis, quam terreſtribus copiis imperii robur ineſſe voluere; maritimorum autem negotiorum libertatem potius ciuibus reliquerunt et ſociis, quam vlli magnopere curae habuere. Habetur hoc inter praecipua ſagacitatis ac prudentiae huius ſaeculi argumenta; quod primum intellectum eſt, ab imperio maritimo Europae principatum pendere, regnorum neruos ac robur mercatura et nauigatione contineri, claſſibus et copiis nauticis vt quisque populus ſit inſtructiſſimus, ita etiam ad ipſum continentem reuerentia maieſtatis ſuae, interdum etiam metu, continendum plurimum virium habere. Enimuero Romani ſua per tot aetates experientia exploratum habebant, *non magis diuturnas ac perpetuas eſſe opes maritimas quam reliqua humana*; virtuti bellicae cedere omnia, etſi nec ipſa quicquam facere poſſit diuturnum, nec ipſi ſucceſſui diu ſuperſtes eſſe. Vt taceamus florentiſſima commercia Tyri maritima ab exercitu terreſtri Alexandri euerſa et profligata; vt nec attingamus alia externa exempla: ipſi Romani ab omni nauigationis ſtudio alieni Etruſcos et Poenos maritimis opibus validiſſimos fregerant et perdomuerant; et Etruſcos quidem ſaepe mirati ſumus in bellis cum Romanis nusquam legi virium aliquid, ſeu comparandis ſeu reparan-

dis opibus, ex re maritima habuiſſe; Poenos autem maris imperium tenentes, claſſibus inſtructiſſimis valentes, Romani recentibus claſſibus mari ſuperarunt; nauium regendarum peritia Poenis relicta, ipſi pedeſtrem pugnam in nauale inferentes praelium, et cominus tanquam in continenti e naui pugnantes; mox quotannis in Siciliam et Africam exercitu pedeſtri miſſo adeo fregere Poenorum opes, vt victos ſe faterentur. Hoc idem ſequuti ſunt in bello Annibalico et in bello nouiſſimo, vt pedeſtri exercitu in Africam traiicerent. Etſi itaque Poeni claſſe et re maritima ſuperiores eſſent, Romani tamen multis praeliis eos profligarunt, prouinciis externis exuerunt, tandem cum imperio vniuerſam remp. Poenorum euerterunt: adeo *virtus et bellandi peritia praeualuit opibus maritimis.* Nec tamen Poenis prudentia aut mens aut animus defuit. Nullum facile eſt aut inuentum aut commentum aut conſilium, quod noſtrae Europae auaritia atque auiditas inexſatiabilis excogitauit, quod non Carthago iam olim adhibuiſſe reperiatur, vt ſtudia nauigationis aleret, opes ſibi ſoli pararet, aliorum lucro inhiantium cupiditatem aut reprimeret aut eluderet, emporia opportuniſſima, munitiſſima, inſtructiſſima haberet; vna defuit virtus, quae nulli facile populo in ſimili fortuna adfuit, moderatio. Et haec cognoſcere et declarare poſſumus, cum ex Poenorum hiſtoriis vix exigua aliqua fragmenta ſuperſint. Quam vellemus vnam Carthaginienſium rerum hiſtoriam magno Romanorum ſcriptorum numero redimere! Sed redeamus ad id, vnde haec orſa eſt oratio.

Bello

Bello Punico I. confecto V. C. 512. pax his conditionibus facta, *vt Carthaginienſes Sicilia et omnibus, quae inter Italiam et Siciliam ſunt, inſulis decederent; vtriusque populi ſocii ab vtroque populo tuti eſſent; vt neuter in alterius populi ditione aliquid imperaret, neue publice inaedificaret, nec militem conduceret, nec alterius populi ſocios alter populus in amicitiam reciperet; vt Carthaginienſes intra X. annos* cIɔcIɔCC. *talenta conferrent,* cIɔ *ſine mora perſoluerent; captiuos omnes vt Romanis ſine pretio redderent b*).

Integra in ceteris prouinciis ac locis praeter Siciliam manſere omnia. De mercatu in Africa et aliis locis faciendo a Romanis, et de iis, quae ſuperioribus foederibus cauta erant, nihil memoratum legimus. Videtur tamen parum probabile, ſeu tacito ſeu publico conſenſu ea ſublata eſſe et abolita.

Poſtea bello cum mercenariis finito a Carthaginienſibus poſtulatum a. V. C. 516. *vt Sardinia quoque decederent* et ad compenſandas impenſas in apparatum belli, quod, etſi nulla idonea de cauſſa in ſe ſuſceptum, Poeni tot calamitatibus fracti deprecabantur, factas alia cIɔCC talenta ſoluerent. Nihil ſuperbius vnquam factum legimus. Haec iniuria et iniquiſſima perfidia Romanorum, ſi quid aliud, valere debuit ad belli Punici II. incendia conflanda; ſatis enim manifeſtum erat, ſi vel maxime ſe intra Africae limites Poeni continerent, a cupiditate huius populi parum tutos ſe fore. Sardi cum in Romanorum

b) Polyb. III, 27. cf. I, 63. Alios ap. Barbeyrac. l. c. p. 310 ſqq.

norum ditionem detrudi ſe aegre ferrent: ortum bellum atrox, ingenti cum Sardorum internecione; vnde *Sardi venales.*

Sub initium quidem belli cum mercenariis aequiores ſe praebuerant Romani. Permiſſum ab iis fuerat, vt ad hoc ſolum bellum militem Italum mercede conducerent, quod ex foederis legibus non debebatur. Miſſi etiam a Romanis, qui pacem inter Poenos et Afros rebelles componerent; nec receptae ab iis ciuitates Africae, quae ſub Romanorum imperio ſe futuras dixerant *c*). Interea mercatores ex Italia in Africam nauigabant et commeatum hoſtibus comportabant: *hos Carthaginienſes in ſuos portus deduxere iamque prope D. id genus homines carceribus incluſos tenebant.* Iure factum quis dubitet? iure quoque noſtrorum populorum maritimorum communi, foederibus quoque firmato. Romani tamen ſuccenſere et tanquam de iniuria facta conqueri. Miſſi legati, qui vt redderentur poſtularent. Carthaginienſes temporibus cedendum eſſe rati remiſere. Vetitum inde ab Senatu, *ne ad hoſtes commearent ſocii, Carthaginienſibus autem vt commeatum apportare liceret d*). Cum vero, quod non expectauerant, tantarum calamitatum fluctibus emerſiſſe viderent Poenos Romani, iniuria rem gerere maluere;

c) v. Appian. fragm. de reb. Sicul. (ed. Schweigh. p. 95. 96. de b. Pun. lib. I, p. 7. Toll. (p. 301. ed. Schweigh.) in his Vticenſes. Polyb. I, 83 iidem bello tertio Punico vix orto ſe in Romanorum poteſtatem tradiderunt: v. Polyb. Exc. Legat. CXLII. To. III. p. 803. Appian. VIII, 75.

d) Polyb. III. 83.

maluere; nauigant, vt modo commemoratum eſt, in Sardiniam, et Poenis bellum denuntiant. Nec tamen vel ſic, cum Sardinia ceſſum eſſet, Romanorum ſuſpiciones dimotae aut ſublatae: nam ſub a. 521. per legatos Carthaginem miſſos conqueſti ſunt, Poenorum clandeſtinis artibus ad defectionem allici Sardos bellumque minati ſunt: ferociter reſponſum eſt a Poenis minaeque legatorum reiectae *e*).

Poeni inde ſuarum rerum praeſidium in *Hiſpania* quaerere; nec ſane ad maximas opes parandas aliud potentius et efficacius a Poenis cogitari poterat: adeo terrarum ſitus, rerum copiae, metallorum inexhauſta vis, littorum opportunitas, incolarum frequentia conducendis militibus nouo ſemper hominum prouentu propullulans, potentiae materiam praebebat. Quod cum Romanis patefactum eſſet, in omnes illi partes ſe vertere, varia tentare; tandem miſſis ad Senatum Carthaginienſium et ad Aſdrubalem legatis a. V. C. 525. pactum eſt cum Aſdrubale, vt Iberus vtriusque populi ditioni fines faceret *f*). Mox cum diſiuncti Ibero interiecto ſocii Romanorum Saguntini ab Annibale armis eſſent petiti et Romani Poenorum perfidiam incuſarent, reſponſum ab his: Aſdrubalis pactionem non ratam factam a Senatu Carthaginienſi, in pacis autem foedere de ſociis vtriusque populi *qui tum eſſent*, non de iis, qui

 ad

e) v. Zonaras VIII. p. 401. (302.)

f) v. Polyb. II, 13. (Non ſatis exploratum eſt, an iam tum in foedere Saguntum verſus occidentem ab Ibero ſitum, exceptum fuerit. cf. Liv. XXI, 2. Appian. Hiſpan. 7. et ibi V. C. Schweigh.)

ad ſocietatem poſt pacem factam acceſſuri eſſent, ſcriptum eſſe. Saguntinos autem ex hoc, non ex illo genere fuiſſe *g*).

Belli Punici II. qui exitus fuerit, nota res *eſt: fractae et euerſae Poenorum opes maritimae;* naues roſtratas, praeter X. triremes, habere iuſſi nullas; bellum iniuſſu pop. Romani ne gererent; vt tamen legibus ſuis viuerent, quas vrbes, quosque agros, quibusque finibus (in Africa) ante bellum tenuiſſent, tenerent *h*). Ne acciſis quidem rebus his diu frui licuit. Perfidus Numida, Maſiniſſa, ex inuidia et odiis, quibus Poeni a Romanis habebantur, creſcere didicerat; is nullum iniuriis modum ſtatuere, cumque armis vti Poenis non liceret, ipſe in fines eorum incurrere, agros, oppida, caſtella, occupare, Romanorum animos per ea ipſa, quae Poeni conquerebantur, exacerbare *i*). Poeni, cum ſe infenſiſſimi hominis libidini et arbitrio condonari viderent: alia praeſidia circumſpicere, cum Perſeo Macedone conſilia communicare, tandem aduerſus peſtilentem hominem arma ſumere coepere: verſum id ipſum in perfidiae crimen. Ita exarſit *bellum* illud *vltimum*, quod excidium attulit vrbi florentiſſimae non ſua magis quam temporum, in quae inciderat, iniuria; nam nec prudentia et conſilio Poeni, nec patientia et moderatione rebus ſuis defuiſſe videntur.

g) v. Polyb. III, 29. Liv. XXI, 18. et Appian. de reb. Punic. 67.

h) Liv. XXX, 47. Appian. VIII, 54. qui vrbibus et agro *extra foſſam Punicam* cedendum fuiſſe ait: etiam c. 32.

i) Liv. XLII, 23.

tur. Omnino in iis bellis, quae cum Romanis geſta ſunt, vel Romanis ſcriptoribus teſtibus adhibitis, *Poenos cauſſa, conſilio, fide ac religione, ſuperiores*, nec, niſi *fortuna*, *inferiores fuiſſe* apparet. Adeo per iniurias et ſuperbiam Romanorum expetitae ab iis ſunt poenae eorum, quae in alios populos, quos dominatus acerbitate vexauerant, commiſſa ab iis erant; etſi nec horum populorum conditio in melius eſt mutata; nihil enim niſi nouas Romanorum iniurias poſt veteres illas Poenorum ſunt lucrati. Ceterum per vltima haec tempora nihil de mercatura et nauigatione actum, nec de facto aliquo adverſus foedera conqueſtum meminimus.

Adoremus, Ciues, venerabundi numinis O. M. potentiam, libere, ſed haud dubie conſiliis ſapientiſſimis iuſtisque cum cauſſis, per imperiorum et regnorum fata graſſantem, et pro rerum hominumque naturis de eorum ortu et occaſu ſtatuentem. Sane quidem nos talpis caeciores homunculi arceſſimus cauſſas modo ab his modo ab aliis rebus: nec male; videmus tamen iisdem artibus, corruptelis, flagitiis et facinoribus, quibus alii euerſi fuerant, alios populos ac reges creuiſſe, opes imperiaque paraſſe; aliorum mox iniuriis et ipſa ruitura; temporibus et fortunae omnia ſeruire, etiam ſapientiam mortalium et prudentiam. Scr. Gottingae d. XVII. Septemb. cIɔ Iɔ cc lxxx.

Epime-

Epimetrum.

In hac foederum inter Romanos et Poenos factorum illuſtratione operae me haud poenitere lubenter profiteor; quam multa enim ex ipſo foedere elicita a me et expreſſa ſunt, quibus iura maritima et commerciorum artes noſtratum tantum non mutuatas et in vetus aeuum traductas eſſe putes. Videmus *libertatem nauigandi vſu et pacto circumſcriptam, marium aditum interdictum, leges mercatus faciendi ſcriptas;* omnino pauca in hoc genere ſunt, quae non in iſtis foederibus occurrant. Fac Poenorum annales et hiſtorias ad nos perueniſſe integras, quibus omnis eorum nauigatio et mercatura expoſita eſſet! quae in illis rerum memorabilium huius generis ſeges futura eſſet, cum ex paucis ſtipulis tanta meſſis facta ſit? Quid? quod haud pauca alia, non memorata, ex iis, quae memorantur, ſi ſagacitatem adhibeas, elici poſſunt. Negotiorum geſtores, quos Conſules vocamus, in emporiis conſtitutos, memorari non memini: cum tamen tot emporia Poenorum et Graecorum in terris barbarorum memorentur, praefuiſſe his neceſſe eſt non vnius ordinis homines. Negare tamen ne ſic quidem auſim, multa noſtris temporibus ad noſtras neceſſitates melius, ſubtilius et curioſius, eſſe conſtituta et circumſcripta. Ita de vendendis mercibus praeclare proſpici coepit noſtrorum temporum foederibus, vt in Vltraiectino foedere a. 1713. art. XII. inter Gallos et Britannos (Lamberti T. VIII. p. 84).

Inter

Inter has Poenorum cum Romanis pactiones mirari ſatis nequeo, *nullam fieri aut Aegypti et Alexandriae mentionem*, aut *Ptolemaeorum intercurſus* in rebus maritimis et mercaturis. Tertium foedus tempore Ptolemaei Soteris, quartum Philadelphi, factum; ſucceſſere bella Punica cum Romanis. Eſt locus Appiani in Excerptis Legat. (ap. Schweigh. p. 92) qui ad annum belli Siculi ſeu Punici I. duodecimum ſpectat, ab V. C. 502. Miſſi a Carthaginienſibus legati ad Ptolemaeum Philadelphum, vt peterent ab eo mutua duo talentorum millia *), ſubiiciuntur haec: fuiſſe Philadelphum amicitia cum Romanis iuxta et Carthaginienſibus deuinctum, tentaſſe quoque pacem inter eos conciliare: quod cum efficere nequiret, „*amicis*, inquit, „*aduerſus hoſtes, non aduerſus amicos opem ferre oportet.*„ Quo quidem intelligitur, a Poenis eum, vt aduerſus Romanos auxilia mitteret, ſollicitatum fuiſſe. Iunxerat autem ille iam antea amicitiam cum Romanis accepto nuntio de Pyrrho a Romanis victo, quem rex ſibi inimicum habebat. (v. Dio. Caſſ. et ad eum laudd. T. I. p. 61). Philadelphi iudicium amplexi et ſequuti ſunt ſucceſſores. Ademtum eſt Poenis et translatum ad Romanos imperium tum maris mediterranei, tum Africae; nec tamen aut odia aut ſtudia Ptolemaeorum in Poenos Romanosue eminuerunt. Expectares tamen, ad Alexandriae commercia Carthaginis opes, ſiue auctas ſiue fractas, non contemnendas; a regum autem curis, Poenorum, quorum finibus contermina erat Libya et Cyrenaica a Ptolemaeis occupata, fortunas nullo modo alienas fuiſſe

*) 2,400,000 thaler.

fuiſſe *). Verum ex veterum faeculorum hiſtoriis tam multa ad noſtram memoriam non peruenere, vt temerarium ſit, ex iis quae nouimus, de iis quae ignoramus, iudicium facere velle. Vnum tamen eſt, quod aſſequi licet. Alexandrinorum commercia, regum quoque opes maritimas, quantum intelligo, ad Orientem maxime ſpectabant, Poenorum ad Occidentem; porro, cum Romani commercia ſpernerent, nihil habuere Alexandrini quod eorum potentiam per inſulas et maris mediterranei littora auctam metuerent, cum contra de Poenorum opibus multo magis iis metuendum eſſet; reges autem Aegypti illo maxime tempore, quo cum Poenis bella geſſere Romani, fuere luxu, mollitie et ſeditionibus domeſticis a rerum externarum curis abducti. Inierant quoque aut renouauerant foedera cum Romanis Ptolemaei, Philopator, Epiphanes, Philometor, Euergetes II. verum partim regum Syriae metu, partim vt in turbis domeſticis Romanorum interuentu reges aut retinerent regnum aut recuperarent. Ad mercatum et nauigationem in his foederibus et legationibus nihil ſpectaſſe video. Interea ſatis aſſequi licet vti antea Tyro ab Alexandro euerſa, Carthaginem ita nunc Carthagine, et eodem anno Corintho exciſa, *Alexandrinorum commercia mirum in modum fuiſſe aucta.*

*) Non oblitus eſt vir Ill. Fr. Sam. de Schmidt in Diſſ. de Commerc. Ptolem. p. 297. ſqq. Carthaginienſium et Alexandrinorum commercia attingere; nec tamen materiem diſputandi reperiſſe videtur idoneam, cum nihil ex veteribus narratum ſit.

V.

V.

ACADEMIAE GEORGIAE AVGVSTAE

PRORECTOR

CHR. FR. GEORG. MEISTER D.

CVM SENATV

SVCCESSOREM

IN

MAGISTRATV ACADEMICO

IO. ANDR. MVRRAY D.

CIVIBVS SVIS

COMMENDAT

IN A. D. II. IVLII CIƆ IƆ CCLXXXI.

De Romanorum prudentia in coloniis regendis.

Rem Romanam ad tantas opes tantamque imperii magnitudinem excreuiſſe, non adeo miratione dignum videbitur, Ciues amantiſſimi, ſi Italiae, in paruas ciuitates diuerſis ſtudiis agitari ſolitas diſtrictae, et reliquarum terrarum ſtatum et conditionem, qualis illis temporibus fuerit, et alia, quae ad fortunam et fatorum ordinem referri ſolent, reputaueritis; in primis hoc, quod ipſi barbari et in omnium rerum egeſtate aerumnis et laboribus tolerandis aſſuefacti imminebant finibus Etruſcorum,

rum, quos commerciorum et nauigationis ſtudia a bello abduxerant, luxuries autem et mollities corporum robur fregerat. Etſi porro non armis magis ac virtute, quam conſilio et prudentia excelluiſſe Romani videri debent: in hac tamen prudentia contineri videbitis multa, quae cum iuſtitia, humanitate et moderatione, parum ſunt coniuncta: vt enim priuatae ſortis homines, ita ciuitates et imperia haud facile ad inſignes aliquas opes et fortunas perueniunt, niſi interdum vtilitatis cauſſa ius ſibi deſerendum eſſe ſtatuerint. Romani autem omne fere ius ad reip. vtilitatem reuocabant, quam tamen ex philoſophorum placitis conſtitutam ab iis nolite putare: ſe ſupereſſe, res gerere, opes et copias habere, cum totius generis humani ſeruitute, et, ſi ferre iugum nollet, excidio, dignum et aequum habebant.

Inprimis vero conſilia et artes, quibus Senatus vſus eſt, ad tot tantosque populos et terras in obſequio retinendas, etſi ſummis laudibus a multis ſint celebratae, ita tamen comparatae ſunt, vt partim ad ius, quod in manu poſitum eſt, quodque is, qui ceteros viribus excellit, potentior ipſe et fortior, exercet, et ad vim iniuriamque omnia fere redeant, partim tam abominandae ſunt fraudis, inſidioſae aſtutiae et ſuperbiae, vt legentibus indignationem et horrorem faciant. Itaque, vt populi, hominum rerumque copiis florentiſſimi, et prouinciae latis finibus patentes, imperio tuto haberi poſſent, hominum caedibus, vrbium excidiis, vaſtitie et ſolitudine agrorum effectum eſt. Nihil adeo eſſe videatis

videatis hactenus, quo Genghiſcanis aut Timuris meliores ac praeſtantiores videri debeant, praeter quam quod diuturnior Romanis imperii fructus fuit, quo plura rerum momenta et mutationes euenire et in illa vrbium agrorumque vaſtitie iterum noua hominum ſtirps efflorescere poſſet. Nec vero vllum magnum inperium eſſe poteſt, quod non vaſtas agrorum ſolitudines aut habeat aut faciat.

Si tamen Romanos tantum coloniarum numerum *a*) in obſequio ac fide retinuiſſe audiamus, ſaltem hac in parte inſigne illi prudentiae exemplum propoſuiſſe videri poſſunt; inprimis ſi noſtrae aetatis caſus et euenta comparemus. Inquiramus itaque, agedum, Ciues, quos communia litterarum ſtudia in eandem ſeu ciuitatem ſeu coloniam adduxere, in cauſſas ac conſilia, *b*) quibus effectum ſit,

a) Recenſum coloniarum Romanarum diligenter fecit *Sigonius* ad Liv. XXVII, 9. et de ant. Iure Ital. II. 5. III, 4. ex eoque *Beaufort de la Rep. Rom.* T. II. p. 246. cf. *Pilati: Tr. des Loix polit. des Romains* T. I. p. 288 p. 351. 5. Loca claſſica ſunt Livii XXVII, 9. 10. XXIX, 15. XXVII, 38. XXXVI, 3. et Vellej. I, 14. Vsque ad a. 663. coloniarum LIV. nomina reperiuntur. Sub aduentum Annibalis in Italiam coloniae deductae fuerant LIII. e qua ſuperſtites erant non niſi XXX. reliquae XXIII. iam tum e medio erant ſublatae.

b) De natura et generibus coloniarum, de earum iuribus, de educendi et deſcribendi more, de conſiliis et de cauſſis, cum modo ad liberandam a ciuibus egenis vel ſeditioſis vrbem, modo ad ſuſtinendam egeſtatem, modo vt praeſidii loco eſſent in terris ab hoſte captis, modo vt praemii loco ager diſtribueretur, nunc non diſputamus; proſtant libri hiſce de rebus ſatis multi: et tradi ſolent haec cum in antiquitate tum in hiſtoria Romana. Cf. *de vet. coloniar. iure et cauſſis.* To. I. Opuſc. p. 290 ſqq.

ſit, vt colonias ſuas Romani adeo obnoxias et iuſſis imperiisque parentes haberent. Iamprimum iis ea felicitas contigit, vt mature coloniarum ſortem et conditionem certa lege conſtituerent, nec, quod Europae populi admiſere fere omnes, cum non conſilio certo, ſed partim temerario nonnullorum priuatorum auſu, partim auaritia, partim odiis ciuilibus ac religioſis, ſuſciperentur coloniae, caſui rerumque fortunae eam permitterent. Cum autem ad retinendas in officio ac fide colonias duae maxime viae et rationes ſint, vt aut pari cum metropoli iure conſtituantur, aut deteriore ſint: Alterum, quod quidem iuribus humanitatis conſentaneum, et ad felicitatem publicam ac priuatam, quae ſine iuris aequitate non niſi ad partem tantum ciuium manare poteſt, primarium eſt, non niſi conſilio et prudentia ſtare poteſt ſumma; videndum enim, vt metropolis omnium rerum ſummam et imperium retineat, et vniuerſarum vt prouinciarum, ita coloniarum, caput, omnis iuris et auctoritatis fons et origo, omnium rerum ſit principium, vt coloni et ſua ſibi iura habeant et ius ſummum a metropoli petant, vt ne ipſae inter ſe plures paucioresue artius, quam cum metropoli, vinculum et coniunctionem habeant, et ſic alia, quae proſpicere difficile eſt, inprimis in magna locorum longinquitate et coloniarum, caeli, ſoli, inſtitutorum, diuerſitate; Alterum exigua perficitur ſapientia, cum in parentium et ſeruientium locum et ordinem detruduntur capita libera; multo magis, ſi libertati naturali ac ciuili ciuium ſubducitur et auellitur omne id, quod imperio in eos vim et momentum ſatis graue addere poteſt;

poteſt; ita vt ſalus metropoleos ſumma, niſi forte vnica, lex ſit, cui concedant et ſeu poſthabeantur ſeu condonentur et addicantur cetera omnia; vtque poenarum et ſuppliciorum metu retundantur, ſi naturali libertatis ſenſu erecti ſuis rebus et ipſi conſulere audent, qui imperio ex lege parere, non ad vltima ſeruitutis ludibria deprimi volunt. Romani quidem alteram hanc viam ingreſſi ſunt, et colonias iuris aequalitate priuatas et ad parentium obſequia redactas fide ad ſpeciem, aut vt verum dicamus, metu continere maluere.

Scilicet ius ciuitatis verbo quidem ac nomine retinebant coloniae, re amittebant, ſaltem non niſi admodum imminutum habebant. Nam iure ſuffragii in vrbe ferendi excidebant qui in coloniam deducendam adſcripti erant ciues Romani: nec iis cenſus Romae erat, nec honorum petendorum ius, niſi in colonia. Tributa imperabantur a Senatu, vt et milites, et in coloniis maritimis copiae nauales. Nec ipſis arma ſumere licebat, ne laceſſitis quidem hoſtili impetu. At ſuis rebus ipſi ſupereſſe poterant, leges ſibi et iura ſcribere, ſuis legibus in nocentes animaduertere; modo ne coloniae lex intercederet. c) Nam in SCto, ſeu populi lege, qua deducebatur colonia, eius deducendae et conſtituendae formula erat propoſita. Ceterum relinque-

 batur

c) Ergo quod noſtris vocabulis nuncupamus, *ius publicum externum* ademtum, *internum* ex parte relictum cum *iure Quiritium priuato;* ſeu quod ad ſtatum priuatum ſpectabat, connubii, patriae poteſtatis, gentilitatis et agnationis, tutelae, dominii Quiritarii, eiusque acquirendi, hereditatis etc.

batur facies reip. Romanae et forma: erat ſenatus, Decurionum nomine, cum magiſtratibus, Duumuiris, Aedilibus, Cenſoribus: *vt effigies paruae ſimulacraque eſſe quaedam* vrbis *videri* poſſent; at *iura inſtitutaque omnia populi Romani, non ſui arbitrii*, habebant: *quae conditio magis obnoxia et minus libera* erat; vt notis Gellii *d*) verbis vtamur. Interdum coloniae deſcriptae ſunt in formulam iuris Latinorum et Italici; in his *iura* quoque *priuata Quiritium* amittebant ciues Romani nomina in iis deducendis profeſſi: vt adeo vix, niſi pauperes et egeni, qui domi ciuitatis fructum ſibi exiguum aut nullum eſſe videbant, nomina dare voluiſſe videantur. Factum quoque interdum, vt iam adſcripti in colonias aut forte ducti recuſarent in colonias ire. Sic V. C. 260. cum Volſcis deuictis ager Veliternus eſſet ademtus, Velitras coloni ab vrbe miſſi et colonia deducta; ſed non niſi grauiſſima et inexorabili poena propoſita exiere, qui forte ducti exire detrectauerant. *e*)

Igitur principio ſtatim id curarunt Romani, vt colonias haberent ſibi obnoxias, ad obſequium paratas et imperio parentes. Iam in quaeſtionem venit, quid illud fuerit, quod ad tam ſapiens et prudens inſtitutum eos deduxerit; miraque ea res videri debet eo magis, quo municipia multa ea lege eſſent, vt Romae ſuffragii et honorum ius haberent, melioreque adeo iure eſſent quam coloni. Cum omnino pauca de iis, quae ad ius publicum Romanorum ſpectent, in ſcriptoribus Romanis occurrant, probabili

d) Gell. XVI, 13.

e) Dionyſ. VII, 13. cf. Liv. II, 31.

babili aliqua opinione pleraque ſunt conſtituenda. Manifeſtum autem fit, tempora et res ipſas potius quam exquiſitam aliquam prudentiam, principio ſaltem, morem et inſtitutum hoc in remp. intuliſſe.

Omnino vt colonias mitterent, Romanis neceſſitatem fecit immane, quod tum erat, ius belli, cum omni pube caeſa aut ſub corona vendita vaſtitiem agrorum facerent. Vt agri capti vſus aliquis eſſet, deducendi erant coloni; nec minus tum, cum mitiore conſilio ad augendum ciuium numerum victi et capti Romam traducerentur. Cum coloni longius ab vrbe abſcederent, ad ſuffragium ferendum Romae cum commodo ſuo adeſſe nequibant; gratum itaque et pro beneficio habitum, ſi ſuis rebus ſine interpellatione vacare liceret. Verſum hoc poſtea in morem, quem in comitiis habendis vtilitas reip. commendare debuit; isque mox in ius abiit, iuriſque Quiritium caput conſtituere coepit praecipuum. Ademto autem iure ſuffragii reliquis omnibus Quiritium iuribus, quae quidem ad ſtatum publicum, vt nunc loquimur, pertinent, excidere colonos neceſſe fuit. Nec vero, etiamſi conſiliorum prudentia haec ita inſtituta eſſe liquido conſtaret, mirationem id facere deberet: nam facile eam ſubiicere animis potuit ac debuit ſtatus et conditio quae tum erat Italiae: habitabatur illa ab omni inde memoria a coloniis Auſonum, Etruſcorum, Pelasgorum et Graecorum; Latium XXX. coloniis Albae Longae erat frequentatum; erat in iis ipſa Roma. Multa igitur tempus et res docere ac ſuadere debuit, quae nunc ignoramus. Videntur igi-

tur in his coloniarum deſcriptionibus Romani aut morem ſequuti eſſe ſine conſilio, aut conſilium, quod vſu et experientia illorum temporum ſatis obuium et in promtu eſſe potuit. Enimuero fuere plura, quae in coloniis conſtituendis difficultates, quas noſtra aetas ſentit, tollerent. Nihil enim illo tempore de mercatu et nauigatione, operarum et rerum commerciis, mercium, opum et operarum interceptione et occupatione erat ſtatuendum. Liberum erat, merces petere aut mittere, vnde et quo quisque vellet; nihil haec reip. ab omni commerciorum vſu alienae intererant; ſi interfuiſſent, ipſa res docuiſſet, coloniarum iura in his quoque circumſcribere. Nam in vtilitate ſua perſpicienda acute quisque facile videt; caecutimus fere in ea cum aliorum vtilitate ad aequitatem comparanda. Numerus colonorum primis ſaeculis admodum erat exiguus et agri iugera pauca ſingulis aſſignata: huius generis colonias in obſequio retinere, non adeo difficile eſſe potuit, inprimis cum intra Italiae fines haberentur omnes. Ex quo vero validiores et numero ciuium et iugerum frequentiores colonias educere placuit, ſatis firmae iam tum erant res Romanae. Mox Senatus alienior ab hoc inſtituto viſus: nec immerito, non enim ſuppetebat ager in Italia, niſi publicus ac vectigalis: quo per leges agrarias Gracchorum, Druſi, Caeſaris, remp. priuari aegre ferebat. Extra Italiam colonias deducere, ſi Aquas Sextias (V. C. 629.) et Narbonem Marcium (V. C. 635.) excipias, conſultum haud viſum; exemplo Carthaginis, Syracuſarum et aliarum vrbium diſcere in promtu erat, potentia et opibus colonia-

rum

rum premi poſſe vrbem, ex qua eae exierant *f*). At metu omni mox ſublato, Caeſar et Auguſtus per Hiſpanias, Gallias, Macedoniam, Aſiam et Syriam aliasque prouincias magnum coloniarum numerum conſtituerunt, omninoque tanta rerum conuerſio ſucceſſit, vt nomen adeo et iura coloniarum peterent et acciperent vrbes in prouinciis *g*). Verum haec notiora ſunt quam vt ea copioſius perſequi neceſſe ſit; nec de coloniis militaribus mentionem faciemus, quae ad noſtram diſputationem non faciunt.

Imperio igitur ac metu colonias continuerunt Romani, vbi cum maxime eas in obſequio ac fide retinuere: idque multo magis intellectum eſt aduerſis reip. temporibus; nam coloniarum defectiones cum ceteris Latii et Italiae ſociis memorantur plures; vt ſatis appareret, non admodum eas in ſua conditione et ſtatu ſibi placere, niſi vis ac metus circumſiſteret. Nec vero non indignum videri debuit colonis, ſe ciuitatis iure potiore eſſe priuatos, *h*) et tantum non capite deminutos: hinc odia

f) Ipſe Vellej. Paterc. II, 15. hanc rationem afferre putandus. Quod ibi adiectum: *vt ciues Romanos ad cenſendum ex prouinciis in Italiam reuocauerint*, perperam inter cauſſas conſilii refertur. Eſt vero declarationis cauſſa adiectum: *ita vt etiam.*

g) cf. Spanhem. de V. et P. Num. T. I. p. 106. 602.

h) An ii, qui colonia relicta Romam rediſſent, ius ſuffragii recuperauerint, quaeri videas, affirmari quoque. (Vt nuper quoque a *Ferguſono* V. C. lib. I. hiſt. incrementi et excidii reip. R. *interpret. Germ.* p. 17. et 102. ſed ibi plura ſunt quae expuncta eſſe malim) Ita vero fieri non potuiſſet, vt interdum vni et alteri ius ciuitatis daretur (cf. Cic. pro Balbo 48) interdum municipii

mutua et ſubleſta fides. Incendere animos potuere Latinorum et aliorum ſociorum, inter quos viuebant, conſilia et ſtudia, cum iura ſibi aequari cum Romanis ii poſtularent: vnde orta bella grauiſſima, et clades mutuae: quibus finis plerumque ita impoſitus, vt internecione delerentur ſocii, vaſtarentur oppida et agri. Raro Senatus, quae prudentia et aequitas ſuadere poterat, ſequutus eſt: quod ſemel factum Camilli maxime conſilio V. C. 417. *i*). Per eadem tempora eueniſſe videtur, vt tot coloniarum, quae per Italiam fuerant, iam ſub Punicorum bellorum tempora non niſi nomina extarent. Non enim ad eos, quos ſuis legibus parere iusſiſſet, in obſequio continendos, ſapientia Senatus Romani meliora conſilia reperire potuit, quam quae omnibus iis, qui magna imperia condiderunt, vſurpare ſollenne fuit, ad quae quidem excogitanda nec adeo magna ingenii ſollertia opus eſt, vt, quos vi ac metu oppreſſerant, ſi ira ob amiſſam libertatem aut ob ſeruitutis onus auctum incenſi imperium detrectauerant, non tam onere eos leuarent, ad aequitatem et humanitatem conſilia reuocarent, et, cum ſe ipſos culpae auctores habendos eſſe meminiſſent, ad ignoſcendum eſſent faciles; verum vt in noxios aut ſuſpectos poenis ac ſuppliciis ſaeuirent, iniurias veteres nouis iniuriis cumularent. Ita ſtatim V. C. 320. cum quarto inde anno Fidenae ad Veientes defecerant, victis Fidenatibus et Veientibus oppugnata

nicipii iura impertirentur. Et peſſimi exempli res fuiſſet, ſi colonia deſerta Romam noui coloni redire potuiſſent.

i) v. Liv. VIII, 14.

gnata vrbs; capta et diruta *k*). Velitrae in Volſcos (circa V C. 260) vix erant deductae, cum conſilia cum Volſcis ad recuperandam libertatem inire coepere. Non ſatis conſtat, quid Romani in eos ſtatuerint; *l*) verum vbi aliquoties rebellauerant, cum a. 417. de toto Latio a Camillo ad Senatum eſſet relatum, *in Veliternos, veteres ciues Romanos, quod toties rebellaſſent, grauiter ſaeuitum:* et muri deiecti, et Senatus inde abductus, iuſſique trans Tiberim habitare *m*). Etiam Antiates cum Latinis defecerant: Antium colonia noua miſſa; *n*) Antiatibus naues longae abactae et incenſae (roſtris in foro ſuggeſtus exornatus) interdictumque mari. Nec minus tamen etiam haec colonia noua cum Latinis bella aduerſus Romanos fecit, donec a C. Maenio 416. de Antiatibus triumphatum eſt.

F 5 Condi-

k) Liv. IV, 17. 22.

l) Cum Circeiis defecerant, circa 372. Liv. VI, 21. Velitrae expugnatae 375. Liv. VI, 29. vbi nil memoratur, quid Romani in eos ſtatuerint. Iterum bellum renouant VI, 36. vrbs obſeſſa c. 42. nec conſtat, quo euentu. Faciunt nouam incurſionem Veliterni VII, 15. a. 397. deficiunt tandem cum Volſcis et Latinis 415. Liv. VIII, 3.

m) Liv. VIII, 14.

n) ibid. Liuii verba difficultatem habent iam ab aliis animaduerſam: *Antium noua colonia miſſa, cum eo vt Antiatibus permitteretur, ſi et ipſi adſcribi coloni vellent* — interdictumque mari Antiati populo eſt *et ciuitas data.* Si coloni adſcripti, quomodo ciuitas data? Et ſi tam grauis multa impoſita, vnde ciuitatis beneficium? Niſi verba nouiſſima ab aliena manu ſunt, tenendum eſt quod Sigonius ſuppeditat; *ciuitatem* accipiendam h. l. de iure Quiritium, quod coloniae Romanorum competebat; quod adeo conſequebantur Antiates adſcripti ciuibus Romanis in coloniam Romanam deductis.

Conditio coloniarum, vt ſociorum, maxime dura et interdum vix toleranda videri poterat maxime in hoc, quod per continua Romanorum bella ſtipendia et milites imperabantur. Ita opibus et viris exhauriri eas neceſſe erat: in iisdem bellis haud raro ab hoſtibus Romani nominis oppugnatae et expugnatae ipſae, ager incurſu hoſtili direptus et vaſtatus. Inprimis autem bello Punico II. attritae cum ſociis coloniae. Itaque a. 545. (qui erat belli fere decimus;continuatum tamen illud eſt in annum abhinc ſeptimum) delectibus ſtipendiisque exhauſti ſocii detrectare militiam; cum his XII ex XXX coloniis P. R. quae tum erant, *negauerunt Coſſ. eſſe, vnde milites pecuniamque darent; quotannis ferme clade magna pugnari; alios in acie occidi, alios morbi abſumi, magis perire ſibi ciuem, qui ab Romano miles lectus ſit, quam qui a Poeno captus; quippe ab hoſte gratis remitti in patriam, ab Romanis extra Italiam in exilium verius, quam in militiam ablegari.* Deteſtabile viſum conſilium detrectandi munera militiae, a quo eas caſtigando increpandoque potius quam leniter agendo deducere placuit. Satis adeo viſum eſt Senatui, poſtulare vt praeberent coloniae, etſi, vnde ſumerent, non haberent o). Quarto fere inde anno, demto a Poenis metu, memoria rei patribus renouata, memorabili cum ſeueritate decernitur, vt XII illae coloniae

o) Liv. XXVII, 9. Totus locus eſt grauiſſimus. Verum quod eae Coloniae XII. altero loco XXIX, 15 *Latinae* appellantur, ſcrupulum iniicit, etſi nullam inde moleſtiam creatam videamus. Certe in Latinarum coloniarum numero eas Intpp. fuiſſe aliunde non conſtat. Latinas vero dici poſſe quia in Latio ſitae erant, valde dubitare licet.

loniae militum numerum duplicatum darent ſtipendiumque in millia aeris aſſes ſingulos, cenſusque quotannis ageretur e formula a Romanis cenſoribus data *p*). Pari modo coloniae maritimae exhauſtae ſociis in claſſes datis fruſtra vacationem petierunt *q*); nec vacatio quidem a militibus dandis e legibus ſacratis impetrata *r*). Praeclare haec pro imperio et ex reip. forte temporibus. An vero harum coloniarum conditio ab hoc inde tempore ſatis proſpera resque florentes fuerint, Liuius narratione ſua non adiecit. Tandem in bello ſociali coloniarum magna pars aduerſus Romam conſpirauit; vnde etiam ciuitas Lege Iulia Sociis data coloniis nonnullis, quae mox inter municipia cenſentur, impertita eſſe videtur; qua quidem lege tanta hominum omnis generis colluuie in ciuitatem recepta ſuffragiis comitiorum turbatis, vt resp. paullo poſt eſſet nulla, eſt effectum.

Mirentur itaque, qui volunt, praeclaram illam Romanorum prudentiam in regendis et in obſequio retinendis coloniis. Praeſtat diligenter videre, ne res in eum locum adducantur, vbi regni cauſſa ius violandum eſt. Vbi ſemel vi et imperio agere aut licet aut lubet, expedita ſunt conſilia. Nec quicquam ineſſe videas quod magnam mirationem facere poſſit, modo viribus, copiis, opibus, praevaleas,

p) Liv. XXIX, 15. Stipendii ſane ſeu tributi ſumma ceteris non reſpondet; eſſet in annum $\frac{1}{10}$ in centena. Sed laborant verba.

q) Liv. XXXVI, 3.

r) XXVII, 38.

valeas, ſi in obſequio retineas vel inuitos eos, qui; quo ſe tueantur, non habent. Miramur tamen vulgo omnes eos, quibus maiores vires et copias fortuna praebuit; eſſet ſaltem videndum, an cum iſtis opibus, quae ſuppetunt, aut virtus adſit maior, aut maior prudentia ad arripienda ea, quae idonea conſiliis ſeu tempus ſeu ratio ſeu calliditas afferre poteſt.

Et haec quidem praefandi cauſſa, vt mos ferebat. Properandum eſt ad id, cuius cauſſa haec praefati ſumus. Craſtino die, Iulii II. inſignia Magiſtratus Academici, quae per totum hunc annum in domo eius, cuius nomen huic paginae praeſcriptum eſt, fuere, transferentur ad Virum Experientiſſimum, Collegam coniunctiſſimum,

IO. ANDR. MVRRAY D.

quod cum et nunc precamur, vt reip. noſtrae felix fauſtumque ſit, tum in ipſis muneris auſpiciis bona vota et omina conceptis ſollennibusque verbis nuncupabuntur. Ducetur pompa craſtino die h. x. ad templum academicum, cui vt, ſtudioſa et noſtri et litterarum Iuuentus florentiſſima, adeſſe velitis frequentes, publico priuatoque nomine rogamus. Hoc igitur eſt, Comites S. R. I. Illuſtriſſimi, Generoſiſſimi et Nobiliſſimi Ciues, quod, ſi a vobis impetrauerimus, amori veſtro et beneuolentiae imputatum habebimus. PP. Kal. Iul. cIↃIↃccLxxxI.

VI.

VI.

ACADEMIAE GEORGIAE AVGVSTAE

PRORECTOR

IO. ANDREAS MVRRAY D.

CVM SENATV

ANNIVERSARIA INAVGVRATIONIS

SACRA XXXXIV.

IN A. D. XVII. SEPT. MDCCLXXXI.

RITE INDICIT.

De animabus ſiccis, ex Heracliteo placito, optime ad ſapientiam et virtutem inſtructis.

Iterum vitae rerumque curſu, quod propitio numini debemus, delati ad ea ſollennia, quibus recolentur vniuerſitatis huius initia, tam fauſtis auſpiciis facta, vt nec nunc poſt XLIV. annos, qui elapſi ſunt, fortuna nos deſtituat; quid magis ad officium noſtrum, quid ad pietatem pertinere putabimus, aut rerum humanarum fluxam inſtabilemque conditionem reputantibus quid magis conſentaneum videri poteſt, quam vt ad auctorem et moderatorem ſecundi huius rerum curſus referamus actorum fatorumque principia et exitus, grataque et

et pia mente quicquid publice priuatimque per hunc quoque annum in vtramque fortunam euenit, recolamus. Et publice quidem, recenſu facto, rerum noſtrarum incolumitati et proſperitati detractum videbimus nihil; contra accidiſſe multa, quibus reipublicae noſtrae ſeu ſtabilitati ſeu dignitati et ſplendori haud parum accederet. Augmenta habuit laetiſſima Bibliotheca noſtra academica, Georgiae Auguſtae Palladium, decus ornamentumque palmarium, quod, quamdiu naturae beneficio ingenia non deficient, acuet ingenia facietque doctos quos indoctos acceperit, ſalutaremque in tota Germania operam ſacris profaniſque litteris praeſtabit. Naturae opes nonnullae cum corpore Aegyptio medicato acceſſere Muſeo. Celebritas noſtro Muſarum ſacrario noua ex eo quoque acceſſit, quod multi per hunc annum aduenae, et in his Sereniſſimi Principes Ducesque aliquot, illud adire et plures noſtra inter ſacra dies exigere, lectionibus habitis intereſſe, ſuaque praeſentia ſtudia noſtra accendere nouosque animis ſtimulos admouere haud ſunt dedignati.

Haec nos non iactantiae cauſſa, quae a nobis alieniſſima eſt, ſed eo conſilio memorari, Ciues, facile intelligitis, vt ne bonorum noſtrorum ipſi incurioſi ſupina negligentia transmittamus ea, quae animis rerum noſtrarum fiduciam, ſtudiorum ardorem, ferendis iis quae ſecus ceciderint robur, addere poſſint; ſimulque vt vos excitemus, quo frequentes coeatis ad celebranda ſollennia ea, quae nunc in craſtinum diem indicimus in templo academico habenda. Ornabitis, ſi nos amatis, praeſentia

tia veſtra, Comites illuſtriſſimi, pompam in ſacrum adytum ducendam, aderitisque, Ciues natalium ingeniorumque laude conſpicui, ſacris rite celebrandis. Agentur pro rebus laetis et iucundis, quibus alma numinis prouidentia remp. noſtram auxit, gratiae debitae: ſoluentur ſuſcipienturque vota cum pro incolumitate academiae et ſtabilitate, tum pro vniuerſa rep. praeibitque verba Themidis ſacerdos, nunc pietatis noſtrae interpres, Ill. ICtorum Ordinis Decanus Spectab. cuius caritate vos duci et alias vidimus,

GE. LVD. BöHMER,

oratione ſollennibus ritibus praemiſſa, quibus Candidato digniſſimo, IO. RVTGERO FLOR, Hamburgenſi, ſummos in vtroque Iure honores impertiet; quo facto rite creatus Doctor alia oratione et ipſe bona vota precesque faciet.

Interea, Commilitones, quandoquidem vſus et mos ita fert, vt indicendis ſollennibus praefanda ſint non nulla, eaque non tam ex intimis diſciplinarum receſſibus petita, quam potius, vt in amicorum circulis et in famililiari ſermone ipſa humanitas poſtulare videri poteſt, de re aliqua, quae ad communia ſtudia ſpectet, aut ex vita cummuni petita, aut quam caſus obtulerit, ſeu coſabulantium memoria et recordatio ſuggeſſerit, ſeu quae ex proximo arceſſita, nuper lecta auditaue, aut curis ſtudiisque ſollennibus agitata, in animum venerit: agitedum, ne nunc quidem altius aliquid repetere, aut de conſilio doctam ſcriptionem inſtituere, quam potius aliquid, quod caſus modo obtulit, ad vos adferre,

adferre, vobiscumque recolere curatiusque excutere placet; ſi forte inde vtilitas aliqua, aut taedii ſaltem, quod mora, quae intercedit ſollennibus, facere poteſt, detractio vobis parari poſſit.

Cum in hoc eſſemus vt ſcriberemus haec, aliud agentes incidimus in *Muſonii Rufi*, philoſophi Stoicorum placita aemulantis, et Neronis Veſpaſianique aetate *ſtudia iuuenum praeceptis ſapientiae fouentis a)*, ſermonem apud Ioannem Stobaeum memoriae mandatum *b*). Grauiſſima eſt Rufi diſputatio adverſus intemperantiam, qua ſane nihil eſſe poteſt ad mentis vim et acumen retundendum pernicioſius; obnubere ait et offuſcare animam vapores impuros, qui ex cibis male concoctis, aceſcentibus et corruptis, cerebrum infeſtant. Iam reliqua eius argumenta, e Stoicorum diſciplina petita, parum forte ad iudicium noſtrum ſubtilia, omittamus nunc; ſed poſt alia multa, praeſtare ait alimenta, quae ſunt leuiſſima et puriſſima *c*); *ita et animam noſtram fore puram*

a) Tacit. An. XV, 71.

b) Serm. XVII. p. 160. l. 34. Ed. Gen. Male adſcriptum: *Muſonii in libro de alimentis*. Immo vero ſunt petita, ſi recte iudicamus, ex Pollionis Valerii Alexandrini, qui ſub Adriano vixit, libro, qui inſcriptus erat: *ἀπομνημονεύματα* Μουσωνίου *τοῦ Φιλοσόφου*.

c) *οὕτω δ'ἂν καὶ τὴν ψυχὴν ἡμῶν ὑπάρχειν καθαράν τε καὶ ξηρὰν, ὁποία οὖσα ἀρίστη καὶ σοφωτάτη εἰς πᾶν· καθάπερ* Ἡρακλείτῳ *δοκεῖ λέγοντι οὕτως· αὔη ψυχὴ σοφωτάτη καὶ ἀρίστη*. Lectionem reſtituit P. Weſſeling in docta commentatione ſuper hoc dicto Heracliteo Miſc. Obſſ. crit. Vol. V. T. III. p. 42. ſqq. Repetitur illud in multis veterum locis, ſed fere vbique corruptum eſt illud *αὔη* mutatumque in *αὐτὴ*, *αὐγὴ*, ſubſtituto

puram et ſiccam, qualis anima ad omnia eſt optima et ſapientiſſima; vti Heraclito quoque viſum eſt dicenti: SICCA ANIMA SAPIENTISSIMA ET OPTIMA. *αὔη ψυχὴ σοφωτάτη καὶ ἀρίστη.* Magnum vero hoc ac conſideratione dignum, quodque noſtri omnium, qui in litterarum et ſapientiae ſtudio cum maxime verſamur, haud parum intereſſe videtur, ſi *ſicca anima eſt ſapientiſſima et optima*, vt cognoſcamus, quaenam illa ſit, et quomodo ea poſſit parari; ſi forte eam et ipſi habere aut nos ita, vt eam habeamus, inſtituere poſſimus.

Iam primum cum in omnibus philoſophorum placitis diligenter indagandus ſit ſenſus is, quo ille, qui primus dictum aliquod protulit, iſtud extulerit, ſecernendaeque ſint ab eo rationes, quas mox intulere alii, qui iisdem verbis in ſuam rem vſi ſunt: tum multo magis in antiquiſſimorum philoſophorum dogmatibus praecepti huius memores vt ſimus neceſſe eſt: faciunt enim cum multa alia, tum ipſa philoſophiae ratio nondum ad hanc ſubtilitatem euecta, et multo magis ſermo parum verbis dialecticis et metaphyſicis inſtructus, ſed in verbis fere a rerum ſenſu petitis, adeoque in ipſis rebus quae ſenſibus ſubiectae ſunt, occupatus, vt multa pronuntientur aut pinguius aut obſcurius, aut tam ambi-

tuto interdum ξηρή, quod vir doctiſſimus vbique emendauit. Satis antiquum illud lectionis vitium fuiſſe vel ex Clementis et Galeni loco p. 44. ſuſpicari licet. Nos vtemur auctoritate viri docti, ſed multo magis erimus occupati in dicti Heraclitei ſententia diuerſis modis a ſcriptoribus accepta.

ambigue, vt plures ſenſus dicta facile admittant: quae ipſa res ſcholarum ac coetuum neceſſitatem illa aetate facere debuit; plurima enim ex philoſophi, ſua placita interpretantis, ore erant accipienda, quae aliis ab iisdem, qui acceperant, quaſi per manus tradebantur; ita vt, quo ſenſu ea intelligenda eſſent, non lectione magis quam auditione conſtaret. Nec dimittendum animo, quod eadem philoſophandi ratio isque ſermo propius ad eum ſermonem, quo tum vates maxime vtebantur, accedebat: quo ipſo magna ſubtilitatis pars non tam ad iudicii acumen, quam ad ingenii ſollertiam imaginandique vim redibat. In Heraclito vero etiam haec tenenda ſunt: quod is ex primis fuit philoſophis, qui a carmine et oratione vincta ad ſolutam proſamque deduceret philoſophiam; quique adeo laboraret luctareturque in verbis, quae non niſi inuita ſententiam ſequebantur; multa idem ex antiqua ratione retinebat, poeticis ſimilia: vt in omnibus eius aetatis ad Platonem vsque philoſophis multa veteris ſymbolicae orationis per mythos et apologos graſſantis veſtigia, tropis et allegoriis variata, deprehendimus. Iam autem in tali oratione multa occurrere neceſſe eſt, acutorum dictorum ſimilia, eademque ad interpretandum difficilia, obſcura et ambigua, in primis cum illa interpretatio, quae diſcipulis in ſcholis tradita fuit, non ab his ipſis perſcripta, ſed per ſeriora et aliis dogmatibus imbuta ingenia ad nos ſit propagata. Pauciſſima itaque ſunt veterum philoſophemata, de quibus, auctorum mentem ſatis nos perſpicere, pignore propoſito contendere liceat. Neque, ſi ſcriptorum non modo grammaticorum,

ſed

ſed et aliorum antiquorum interpretationes ſequimur, tutiore nos via incedere putabimus; nam iam a Platone inde, tum multo magis a Stoicis aliisque philoſophis, plurima Pythagorae, Heracliti aliorumque placita ex ſui ſaeculi notionibus perperam eſſe interpolata, multis exemplis manifeſtum fit. Etſi igitur haud dubie, ſi quis induat eius aetatis mores et ingeniorum habitum, ſermonemque rite teneat illum antiquum, multa declarari poſſunt accuratius et declarata ſunt a viris doctis cum ab aliis tum nuper a viris praeſtantiſſimis; in plerisque tamen hariolari nos verius, coniectorum more, quam interpretari vetuſtiſſimos Graeciae philoſophos, fatebimur: neque aliter in Heraclito rem ſe habere arbitrari licet.

Dictum enim illud *de animabus ſiccis*, ſi quod aliud, interpretationes admittit plures: quod vel Muſonii exemplo intelligitur. Cum animi noſtri inſtrumenta iis, quae a cibo potuque ſecernuntur, exhalationibus plurimum et acui et obtundi, fibrasque cerebri intenſas inde vel laxatas aut diuerſis vtique modis impulſas varie mentem ipſam afficere, facile vnusquisque ſentiat; inprimisque vino largius hauſto vaporum ad cerebrum ſe inſinuantium vis cogitandi intelligendique facultatem modo intendat, modo obtundat et offuſcet: accommodatiſſimum ſane ad hoc obſeruatum videri debet Heracliteum illud: *animam ſiccam eſſe ſapientiſſimam*, quam minimum ſcilicet infeſtatis eius principiis et inſtrumentis per alimentorum vinique exhalationes. Neque tamen ita confectum eſt, Heraclitum quoque hac

eadem acceptione pronuntiaſſe dictum illud, de quo nunc agitur.

Simili fere modo Plutarchus *d*), cum ex cruditate et crapula grauato corpore turbari animam et hebetari docet, ad Heracliteum dictum prouocat. Nec admodum diuerſum eſt, quod ad animorum ſollertiam ex tenuitate aeris et ſiccitate, nebuloſo contra et craſſiore caelo mentis facultates obtundente, hoc traxere Galenus *e*) et Philo *f*).

Inde Stoici et Platonici Heracliteum dictum ad alia traduxere, luſu potius accommodatis verbis quam

d) Plutarch. de Eſu carnium (T. II. Opp. p. 995. E.) *οἶνος γὰρ καὶ σαρκῶν ἐμφορήσεις σῶμα μὲν ἰσχυρὸν ποιοῦσι καὶ ῥωμαλέον, ψυχὴν δὲ ἀσθενέα — τοὺς γὰρ Βοιωτοὺς ἡμᾶς οἱ Ἀττικοὶ καὶ παχεῖς καὶ ἀναισθήτους καὶ ἠλιθίους, μάλιστα διὰ τὰς ἀδδηφαγίας, προσηγόρευον. οὗτοι δὲ αὖ σῦς. καὶ ὁ Μένανδρος, οἳ γνάθους ἔχουσι. καὶ ὁ Πίνδαρος Γνῶναί τ' ἔπειτα. αὔη ψυχὴ σοφωτάτη κατὰ τὸν Ἡράκλειτον· οἱ πίθοι κρουσθέντες* etc. Ita ſaltem haec legenda ſunt, extruſo altero loco *γνῶναί τ' ἔπειτα* quod ex margine repetitum cum *ἔοικεν*, cum grammaticus quis non recordaretur verba eſſe ex Olymp. VI, 151. Vulgari autem dicto hoc idem obſeruatum in multis veterum locis occurrit, quae collecta videas a Dauiſio ad Cic. de N. D. II, 16. Fere eodem ſpectat Proluſio b. Richteri in Opp. T. III. p. 469. de ſiccis et ſobriis.

e) Opp. ed Baſ. T. I. p. 346. l. 48. *καὶ γὰρ οὗτος* (Heraclitus) *εἶπεν· αὔη ψυχὴ σοφωτάτη.* Sed videndus eſt de h. l. Weſſel. l. c. p. 47.

f) Philo apud Euſeb. Praep. Euang. lib. VIII. ſub f. p. 399. A. vnde in Ed. Mang. ſub f. T. II. *μόνη γὰρ ἡ Ἑλλὰς ἀψευδῶς ἀνθρωπογονεῖ — λεπτότητι ἀέρος ἡ διάνοια πέφυκεν ἀκονᾶσθαι. διὸ καὶ Ἡράκλειτος οὐκ ἀπὸ σκοποῦ φησιν· αὔη ψυχὴ σοφωτάτη καὶ ἀρίστη.* Locum appoſuimus ex neceſſaria medela Weſſel. l. c. p. 46.

quam ex philoſophi Epheſii conſilio et mente. Et Plutarchus quidem *g*) per idem placitum vim diuinandi calore per cerebrum didito illuſtrauit; ſubtiliorem enim magisque purum et aethereum reddi animum, calore et ſiccitate; quippe incaleſcere animum ſentiunt ii, qui deum recipiunt et extra ſe rapiuntur. Idem *h*), vbi animas ait corpore exutas ſibi reddi, purasque et mundas, carnisque tabo ac ſanie quaſi liberatas exilire, leues, agiles, aetheris ac fulguris ſimiles, eodem Heracliti dicto ſi non vere, ingenioſe tamen et ſuauiter, vtitur. Quis enim non cupide amplectatur hanc animae ſuae quaſi in ſpeculo propoſitam imaginem, corporis vinculis ſolutam eam auolare per aetherem et implere ſe *lumine vero, ſtellasque vagas mirari et aſtra fixa polo*, ac videre *quanta ſub nocte iacet haec* NOSTRA DIES.

Iam Stoicos omnino plura Heraclitea ſuis rationibus accommodaſſe ſatis nota res eſt, inprimis

 vero

g) Plutarch. de Orac. def. (Opp. T. II. p. 432. F.) *ἅμα δ᾽ ἄν τις οὐκ ἀλόγως καὶ ξηρότητα φαίη μετὰ θερμότητος ἐγγινομένην λεπτύνειν πνεῦμα καὶ ποιεῖν αἰθερῶδες καὶ καθαρόν. αὔη γὰρ ψυχὴ καθ᾽ Ἡράκλειτον.* (nihil amplius apponendum; ex more eorum, qui vulgare dictum laudant, reliqua omittit) *ὑγρότης δὲ οὐ μόνον ὄψιν ἀμβλύνει καὶ ἀκοὴν, ἀλλὰ καὶ κατόπτρων θίγουσα* (quae hic interponuntur *καὶ μίχος καὶ πρὸς ἀέρας* corrupta ſunt et, vt arbitror, e margine profecta) *ἀφαιρεῖ τὴν λαμπρότητα καὶ τὸ φέγγος.*

h) Plutarch. in Romulo (T. I. Opp. p. 35. extr.) ſuperſtes eſt anima. *τὸ γὰρ ἐστὶ μόνον ἐκ θεῶν· ἥκει γὰρ ἐκεῖθεν, ἐκεῖ δὲ ἄνεισιν. οὐ μετὰ σώματος, ἀλλ᾽ ἐὰν ὅτι μάλιστα σώματος ἀπαλλαγῇ καὶ διακριθῇ καὶ γένηται καθαρὸν π.κ.τ. πασι καὶ ἄσαρκον καὶ ἁγνόν. αὔη γὰρ ψυχη ἀρίστη καθ᾽ Ἡράκλειτον.*

vero hoc de animabus ſiccis. Nam etiam Zeno ex ignea ſubtiliſſima materia animam gigni ſtatuebat: *ignem eſſe ipſam naturam quae quidque gigneret et mentem atque ſenſus i*). Nec repugnat, quod alii Stoici ſpiritum vel aerem laudant: eſt enim *πνεῦμα ἔνθερμον*, vel vt apud Theodoretum *k*) *πνευματικὴ φύσις πλείστου μετέχουσα τοῦ θερμοῦ*. Igitur et ipſi animam eſſe *ἀναθυμίασιν* ſtatuebant, eamque colligi ſubtiliſſimis particulis ex calido humore exhalatis ſeu terrae et aquae ſeu corporis et ſanguinis: nam in hoc aut variaſſe aut vtrumque iunctim aſſumſiſſe videntur. Haec autem vt declararent, ipſis Heracliti verbis ſaepe vſi ſunt.

Verum videndum eſt quid in hoc dicto *de animabus ſiccis* ipſe Heraclitus ſenſerit: in quo quidem, cum a philoſopho ipſo, quae diſcipulis propoſita fuit, interpretatio ad nos nulla peruenerit, duo maxime ſunt, quae ſequi licet: primum vt ex ſyſtemate, adeoque ex doctrinarum indole, nexu et ordine, eruamus, quid ipſe ſenſiſſe videri debeat, tum an forte eius, quod ſenſerit, in aliis eius verbis veſtigium indagare liceat. Iam, vt omnium rerum principium ille materiam igneam conſtituit, hoc eſt, (etſi, quae notio eius animo obuerſata ſit, nemo indubitanter aſſeuerare auſit,) materiam ſubtiliſſimam, leuiſſimam, celerrimam, qualis ignea eſſe

i) Cic. Acad. Qu. I, 11, 39.

k) lib. V. ad Gentes p. 822. ed Schulz. Apud Nemeſ. de Nat. hum. c. 2. *πνεῦμα ἔνθερμον καὶ διάπυρον* cf. *Tiedemann. Syſt. philoſ. Stoic.* T. II. p. 146-152.

eſſe deprehenditur: animarum quoque ortum ex eodem igne duxit *l*).

At idem *ἀναθυμίασιν* dixiſſe animam fertur, *m*) (*exhalationem*, etſi vox parum accommodata videtur) ad quam omnino philoſophematum Heracliteorum ſumma redibat; *n*) hoc eſt materiam illam ſubtiliſſi-

 mam

l) *πυρώδη τὴν φύσιν* ap. Theodoret. Or. V. ad Gent. p. 822. T. IV. ed. Schulz. Cum Heraclito ſenſit Parmenides et Hippaſus.

m) Obſcura eſt oratio Cleanthis (ex Porphyrio de anima) ap. Euſeb. Praep. Ev. XV, c. 20. p. 821. D. eſſe animam ex Heracliti ſententia *effluuium*, *ἀναθυμίασιν*, collectam adeo ex particulis igneis ex materia craſſiore emicantibus. Circumfuſum itaque hunc aerem animabus quaſi ſcaturire: iam cum hae ſenſum et mentem habeant, ipſum hoc caelum *νοερὸν* eſſe ſequitur. Verba autem ſic conſtituenda videntur: Κλεάνθης *μὲν* — *φησὶν*, *ὅτι Ζήνων ψυχὴν λέγει* (*αἴσθησιν ἢ* haec tollenda ſunt ab aliena manu inſerta ex ſeqq.) *ἀναθυμίασιν*, *καθάπερ* Ἡράκλειτος. *βουλόμενος γὰρ ἐμφανίσαι*, *ὅτι αἱ ψυχαὶ ἀναθυμιωμέναι νοεραὶ ἀεὶ γίνονται*, *εἴκασεν αὐτὰς τοῖς ποταμοῖς*, *λέγων οὕτως· ποταμοῖσιν τοῖσιν αὐτοῖσιν ἐμβαίνουσιν ἕτερα καὶ ἕτερα ὕδατα ἐπιῤῥεῖ* (male haec accipiunt Interpretes: *in fluuios*, *licet iidem vsque decurrant*, aliae *atque aliae illabuntur aquae*. Graecis *ποταμοὶ* non dicuntur *ἐμβαίνειν*, ſed ii qui ingrediuntur eas. Eſt adeo: iis qui fluuium intrant, etſi idem eſſe videtur, aliae tamen atque aliae aquae itidem affluunt, plantasque alluunt: ita etiam continuo exhalantur animae, ignea materia ab humido et craſſo furſum elata. Diuerſum adeo hoc ab illo altero, quod iam ex Platonis Cratylo p. 402. A. innotuit, *δὶς ἐς αὐτὸν ποταμὸν οὐκ ἐμβαίνομεν*, et diſertius apud auctorem de Alleg. Homer. p. 443. legitur: *ποταμοῖς τοῖς αὐτοῖς ἐμβαίνομέν τε καὶ οὐκ ἐμβαίνομεν. εἰμέν τε καὶ οὐκ εἰμέν.* id quod ad continuam illam rerum *ῥοὴν* ſpectat, quam ipſa illa *ἀναθυμίασις* inferre videri poteſt.

n) Poſt Brucker et al. inſpiciendus ſaltem eſt doctiſſimus Collegae coniunctiſſimi MEINERS liber *Geſch. der Wiſſ.*

mam igneam, quae craſſiore materia ſoluta in altum euolat, eumque adeo aetherem conſtituere videri debet, qui nos ambit. Cum porro materia illa animam conſtituat, adeoque mentem et ſenſum: et ipſam habere mentem et ſenſum neceſſe eſt *o*). Quo ipſo fit, vt natura quoque diuina ad eandem illam materiam igneam ſubtiliſſimam referenda ſit. Quod ſi animas nunc ab igneis, alias ab humidis exhalationibus ducit Heraclitus: non tam inconſtantia aliqua haec dixiſſe videri debet, quam ea ratione, qua et Stoici igneum vaporem modo ignem modo humidum appellant; colligitur enim ignis ex iisdem corporibus humidis tanquam per vaporem.

Videtur porro ita ſtatuiſſe Epheſius philoſophus, vt igneam naturam, quo magis ab humido illa liberata ſit, tanto plus diuinitatis habere, ſaltem maiorem mobilitatem, celeritatem, puritatem conſequi exiſtimaret: Delatas vtique in corpus animas

Wiſſ. in Griech. T. I. p. 622. ſq. Sufficit praeter Diog. Laert IX, 9 et 11. vnus Nemeſii locus de Nat. hom. c. 2. Ἡράκλειτος δὲ τὴν μὲν τοῦ παντὸς ψυχὴν, ἀναθυμίασιν ἐκ τῶν ὑγρῶν (dicit), τὴν δὲ ἐν τοῖς ζώοις, ἀπό τε τῆς ἐκτὸς καὶ τῆς ἐν αὐτοῖς ἀναθυμιάσεως ὁμογενῆ πεφυκέναι. De humana autem anima per ἀναθυμίασιν declarata v. inpr. Ariſtot. de anima I, 2.

o) Bene adeo Sextus lib. VII. p. 398. ἀρέσκει γὰρ τῷ Φυσικῷ, τὸ περιέχον ἡμᾶς λογικόν τε ὂν καὶ Φρενῆρες — τοῦτον δὴ τὸν θεῖον λόγον κατὰ τὸν Ἡράκλειτον δἰ ἀναπνοῆς σπάσαντες νοεροὶ γινόμεθα: quae ſequuntur de ſomno, Sexti potius interpretamentum habenda ſunt quam Heracliti. Similia Stoicorum ſunt. Sed in illis ap. Diogen. VII, 145. τὸν μὲν ἥλιον ἐκ τῆς μεγάλης θαλάττης νοερὸν ὄντα ἄναμμα non dubitamus praeferre νότερον, vt et reſcribendum arbitramur in Porphyrii loco c. 11. etſi enim et τὸ νοερὸν in ea re locum habet, non tamen in hac orratione ferri poteſt.

mas humidi aliquantum habere; eo tamen ipſo vitam hanc mortalem lucrari *p*). Quae quidem cum Stoicorum ſimili placito conſpirant *q*). At vero quo magis humidum, craſſus ille aer, ſeu materiam dixeris, defluit, igneumque illud ſuperat, calidiorque adeo et purior natura animae redditur, liberata a terrena faece corporis, ſeu humore iſto inerti: eo melior anima ac diuinior, eoque in ſapientiam ac virtutem prominentior; ita tandem *αὔη ψυχὴ σοφωτάτη καὶ ἀρίστη r*). Contra vero animarum exitium

G 5 praeſens

p) Itaque naſcendo animabus dixit gratum eſſe, non mortiferum, ſi humidae naſcuntur: *ψυχῇσι φάναι τέρψιν, μὴ θάνατον, ὑγρῇσι γενέσθαι· τέρψιν δὲ εἶναι αὐτοῖς τὴν εἰς γένεσιν πτῶσιν*. Vltima haec de ſuo addit Porphyr. de A. N. 10. quae vero ibidem ſubiiciuntur: *καὶ ἀλλαχοῦ δὲ φάναι, Ζῇν ἡμᾶς τὸν ἐκείνων θάνατον, καὶ ζῇν ἐκείνας τὸν ἡμέτερον θάνατον*· vix aliud ſunt quam Porphyrianum interpretamentum (non male expoſitum a b. Geſnero de animab. Heracl. T. I. Commentat. loc. p. 105. 6.) Nam Heraclitus paullo aliter haec de dis extulerat, ſententia ſatis ambigua. Videntur enim verba apud Auct. de Allegor. Homer. p. 442. (Alia loca congeſſit Fabric. ad Sext. p. 185. C.) in hunc ſenſum accipienda eſſe: Sunt dii et hominum animae ex eadem ignea materia: dii igitur ſunt *homines immortales*, nos homines ſumus *dii mortales*, *ζῶντες τὸν ἐκείνων θάνατον*· h. ſi ignis ille in animam humanam colligitur, non ille fit deus; ſin deus fit, non humana inde conflatur anima. In hunc fere ſenſum interpretatus haec eſſe videtur Maximus Tyrius Diſſert. XLI. p. 489. At Sextus et ex eo alii vulgo ita accipiunt: cum anima corpus ſubit, igneam ac diuinam vim oppreſſam quaſi mori; at per mortem liberatam animam ad diuinam naturam redire. cf. Brucker. p. 1222.

q) Animas enim in corpus immigraturas *ῥέπειν πρὸς τὸ ὑγρὸν* Porphyrius ex Stoicis refert de A. N. c. 11.

r) Nondum harmoniam illam inter *τὸ θερμὸν καὶ τὸ ψυχρὸν, καὶ τὸ ξηρὸν καὶ τὸ ὑγρὸν* cogitauit Heraclitus; ſunt tamen eius commenti elementa ap. auctorem libri de Diaeta; v. in recenſione Geſn. p. 111. 121. 126.

praeſens ac certum eſt humor *τὸ ὑγρὸν*, quo opprimi igneam materiam neceſſe eſt *s*); quod quibus verbis, aut quo ſenſu enarrauerit philoſophus, non conſtat: niſi quod apud Theodoretum memoratum reperimus: animas humano corpore ſolutas redire ad animam communem, hoc eſt ad circumfuſum illum aetherem, qui igneas illas particulas emicantes recipit ac continet *t*).

Paullo minus ad conſilium noſtrum ſpectant reliqua Heraclitea, etſi cum his ipſis, quae diſputata ſunt, admodum coniuncta *u*); attingenda enim eſt

s) Loca Clement. Alex. Procli et Philonis nota ſunt. cf. Brucker. p. 1219. XXII. In Clementis quidem verbis (Strom. VI, p. 746.) *ψυχῇσι θάνατος, ὕδωρ γενέσθαι, ὕδατι δὲ θάνατος, γῆν γενέσθαι*, quae ſequuntur: *ἐκ γῆς δὲ ὕδωρ γίνεται, ἐξ ὕδατος δὲ ψυχὴ*, aliena ab re et ab indocto homine ex Orphicis verſibus paullo ante recitatis expreſſa ſunt. Neque ea in Philonis loco occurrunt, de Mundo incorrupt. p. 958. (T. II. Mang. p. 509.) nec placitis apud Diog. IX, 8. 9. conueniunt. Traxit ad hanc ſententiam verba Heraclitea, ſupra *p*) in diuerſum ſenſum allata de animabus in corpora abditis Proclus in Timaeum p. 36 *med. καὶ ἄλλως οὗτος ψυχῶν τῶν νοερῶν θάνατος ὑγρῆσι γενέσθαι φησὶν* Ἡράκλειτος, inuito, vt arbitramur philoſopho Epheſio. Obliti ſumus illo loco monere, ab auctore libri de diaeta *σύγκρησιν πυρὸς καὶ ὕδατος* corpus ingredi narrari: v. Geſner. l. c. p. 91. qui tamen nimis diuerſa ad eam illuſtrandam affert.

t) Theodoret. l. c. p. 824. verbis vtique haud Heracliteis vſus: *ἐς τὴν τοῦ παντὸς ἀναχωρεῖν ψυχὴν, οἷα δὴ ὁμογενῆ οὖσαν καὶ ὁμοούσιον*, h. e. in *θεῖον* illum *καὶ κοινὸν λόγον*, ſ. *τὸ περιέχον ἡμᾶς λογικόν τε καὶ φρενῆρες*.

u) vt de perpetua illa rerum viciſſitudine per *τὸ ῥεῖν* et *ῥεῦμα* declarata; de via *ἄνω* et *κάτω* bene a Geſnero expoſita p. 77. p. 115. add. Bruck. p. 1219. XXIV. Locus praecipuus eſt Diogenis lib. IX, 7. 9. ex quo declaran-

eſt verbo ſaltem altera illa ratio, qua in ipſis Heracliteis veſtigia interpretationis *animarum ſiccarum* deprehendere licet. Occurrit locus, in quo Heraclitus non multum abfuiſſe videtur ab ea ſententia, in quam iam alios diſceſſiſſe vidimus philoſophos, vt alimentorum potusque copia oppreſſam animam vocaret *madentem et humefactam*, contra vero ſobriam *ſiccam x*). Probabile igitur fit, ipſum Heraclitum ad ſenſus rerum hoc reuocaſſe, vt humidum illud, quod nimio cibo vinoque ingurgitantium ſe corpus obruit, igneas particulas animae extinguat, calorem opprimat, vim motricem interimat. Neque eſſe poteſt vlla res ad ſenſus noſtros magis accommodata, quam ſi intemperantia animorum igniculos extingui dixeris: vti nihil eſt, quod eos magis excitet, acuat et incaleſcere ingenium faciat, quam temperatus cibi potusque vſus: cuius adeo ad ſapientiae ſtudia laudem honoremque praecipuum eſſe, nobis monentibus vix indiget. Nulla itaque grauior ſententia reperiri poteſt quam illa Epicharmi: Νᾶφε καὶ μέμνασ' ἀπιστεῖν. ἄρθρα ταῦτα τῶν φρενῶν. Scr. Gottingae d. XVI. Sept. cIↃIↃCCLXXXI.

clarandus locus Iamblichi de anima ap. Stob Ecl. phyſ. p. 113. ext. ex hoc emendandus Plotini locus p. 468. cf. Ariſtot. de anima l, 2. Verum de his in tranſcurſu. Nec diſputandi nunc copia datur, e quibus antiquioribus ſua repetierit Heraclitus.

x) apud Stob. in tit. de temperantia ed. Gen. p. 74. Ἀνὴρ ὁκόταν μεθυσθῇ, ἄγεται ὑπὸ παιδὸς ἀνήβου, σφαλλόμενος, οὐκ ἐπαΐων ὅκη βαίνῃ, ὑγρὴν τὴν ψυχὴν ἔχων. αὔη ψυχὴ σοφωτάτη καὶ ἀρίστη. Videtur ad hanc opinionem deueniſſe auctor de diaeta, qui ab igne vires humani corporis repetit: v. p. 138. et 98.

VII.

VII.

ACADEMIAE GEORGIAE AVGVSTAE

PRORECTOR

IO. ANDR. MVRRAY D.

CVM SENATV

SVCCESSOREM

IN

MAGISTRATV ACADEMICO

IO. CHPH. GATTERER

CIVIBVS SVIS

COMMENDAT

IN A. D. II. IVLII cIↃ IↃ CCLXXXII.

De febribus epidemicis Romae falſo in peſtium cenſum relatis.

Magiſtratu academico, Commilitones, per hunc annum geſto, nunc ad exitum ſpectante, cum Vir Illuſtris, Collega coniunctiſſimus,

IO. CHPH. GATTERER

in munus hoc et onus ſucceſſurus ſit, eique rei ſollennia in a. d. II Iulii ſint indicenda, quibus inſignia academica transferentur in aliam domum: noſtrum eſt, florentiſſima Iuuentus, rogare vos et hortari, vt ad ſollennia haec conueniatis frequentes, audiatis orationes ex more hinc et inde habendas, fauea-

ſaueatis ore animoque votis pro ſalute et incolumitate reipublicae faciendis, conſtitutumque apud animos veſtros habeatis: ad res proſpere et ex veſtris parentumque votis agendas quam maxime intereſſe, vt legibus magiſtratuique obſequium praeſtetis, et ad litterarum ſtudia, quorum cauſſa huc veniſtis, rite proſequenda, tranquillitate et ſecuritate vos non minus, quam rempublicam, opus habere.

Panegyris haec noſtra inſignem mutuabitur celebritatem et ſplendorem ex praeſentia veſtra, Princeps Sereniſſime, *) Comites Illuſtriſſimi, Commilitones generis ingeniorumque nobilitate commendatiſſimi, qua vt eam condecorare velitis, ſummopere contendimus.

Interea, cum tanquam ad ſalutationem et congreſſum inter nos deducta res ſit, faciamus, quod in confabulatione familiari plerumque fieri videmus, vt prima quaſi verborum velitatione commiſſa tranſiliat ſtatim ſermo ad nuperam veris inclementiam contagiumque febriculae, quae ab extremis ſeptentrionis oris progreſſa late per tot prouincias eſt vagata, nec noſtram vrbem reliquit intactam; **) etſi, id quod in aliis quoque contagioſis febribus experti ſumus, in hac vrbe multo mitior quam in plerisque aliis locis morbus fuit. Iucundum erit aliquando audire et cognoſcere, a quibus oris primo exorta, quibus immutationum gradibus ad caeli, temporum corporumque habitus factis illa ſit progreſſa

*) *Henr. Lud. Car. Albertus*, Princeps Naſſouienſis.
**) L' *Influenza*.

greſſa et citra quos fines ſubſtiterit *). In illam autem cogitationem facile incidat animus, an non in ſuperioribus aetatibus eiusdem huius luis per terras noſtras graſſantis vlla vsquam facta ſit mentio; audiuimus quoque fide neſcimus qua traditum, ſaeculo ſuperiore haud abſimilem luem, ex Hiſpaniis progreſſam, verſus boreales oras contagio manaſſe. De antiquitate vero ſi quis quaerat, occurrat ne in ea aliqua ſimilis contagionis mentio; miſerandam eſſe in hoc, vt in aliis, videmus fortem humanam, ſi cogitamus, quam obſcura et manca ſit ab rerum inde primordiis per orbem terrarum hominum rerumque memoria; ex ſexaginta fere, quae effluxiſſe creduntur, ſaeculis vix eſſe ſex, quorum notitiam habeamus paullo exploratiorem, atque etiam hanc vix vnius alteriusue populi, et maximam partem in populorum excidiis per bella et praelia, exitioſioraque his regum imperia, occupatam:

*) Egere de ea ab eo inde tempore plures viri docti et acuti, et febris quidem naturam, affectiones et medelas bene deſcripſere; cauſſae tamen remotiores adhuc in penetrali Naturae latent abditae et arcanae. Inquiſitum quoque eſt in alias ſimiles febres epidemicas, quibus Europa vexata eſt, praecipue a. 1580. 1675. 1729 et ſeqq. annis. Primi, ſi bene memini, de ea egere Itali: *Saggio ſopra il Morbo detto Ruſſo di Bened. Gallicc'o. Vicenza* 1782. *Guil. Lud. Hoffman conſtitutio epidemica Heidelbergenſis* 1781. *Heidelbergae* 1782. Variorum medicorum obſeruationes in *Medical Obſervations and Inquiries by a Society of Phyſicians in London* Vol. VI. p. 340. — 407. (Eſt in illis vir doctus Tho. *Glaſſ*, qui p. 377. adeo ſtatuit, peſtilentiam Achiuorum caſtra tentantem apud Homerum nullam aliam fuiſſe quam ſimile epidemiae genus). *Vber den iüngſten epidemiſchen Katarrh von D. Phil. Lud. Wittwer.* Norimb. 1782.

patam: iacere reliqua nocte tenebriſque ſepulta; adeoque nos, quibus hoc terrarum orbe iam ſeneſcente naſci contigit, rerum tamen euentorumque notitiis eſſe pueros; adeo multa ex ſuperiorum ſaeculorum memoria ingnoramus; vt ſaepe, cum doctos viros de antiquorum populorum opinionibus, religionibus moribuſque, tamquam de re luculenta et explorata, tam aſſeueranter pronuntiare audimus, in animum veniat illud, quod apud Platonem ſacerdotes Aegyptii occinebant: *Graeci, ſemper pueri eſtis!* a)

Inter haec animus recurrit ad res Romanas, et ad memoratas toties a Liuio, quod vel puerilis doctrina in memoriam reuocare poteſt, peſtilentias; quae ſi vere ex eo, quod nos hoc nomine appellare ſolemus, genere fuiſſent, mirationem facere deberent, quod populi Romani his cladibus ſtragibuſque exhauſti tanta ſupereſſe potuit frequentia. Enimvero peſtilentiae vocabulum, nec noſtris aetatibus ſatis ſubtiliter conſtitutum, cum nec inter medicos omnino conueniat, quinam potiſſimum peſtilentiae character habendus ſit, b) multo magis vetere

a) In Tim. p. 22. Tom. III. *ὦ Σόλων, Σόλων*, Ἕλληνες *ἀεὶ παῖδες ἐστέ. γέρων δὲ* Ἕλλην *οὐκ ἔστιν. — νέοι ἐστὰ τὰς ψυχὰς πάντες.* Omni hoc generi humano dictum putabimus; inprimis ſapientibus ac doctis, quibus omnia a ſe ad liquidum perducta videntur.

b) cf. v. c. *de Haen* Ratio medendi P. XIV. S. 2. c. 2. 3. p. 225. ſq. vbi Hippocrates p. 240. perperam laudatur, nam is peſtem proprie dictam non attigit. Galenus autem, qui ſua aetate ſaeuiſſimae peſtis vim graſſantem vidit, tam parum ſubtiliter de ea agit, vt naturam eius potiſſi-

tere aeuo ita frequentatum fuit, vt omnem febrem malignam, inflammatione corpus occupantem, exanthematicam, epidemicam, homines eo nomine appellarent. Quod vero multo grauius eſt, re accuratius penſitata, et locis in Liuio aliisque ſcriptoribus, in quibus de peſtilentia agitur, conſideratius exploratis, manifeſtum nobis fieri videtur, ne vllam quidem inter Romanos peſtilentiam memorari, quae pro peſtilentia proprie dicta haberi poſſit, nec ante Saec. II. a C. N. vllum exemplum, de quo ſatis certo conſtet, occurrere: ſiquidem, in quo fere omnes conueniunt, peſtis naturam, a putredine ortam et contagio manantem, per tumores glandularum, anthraces, parotides, bubones, contactu mortifero, ad praeſentem mortem properantem, certa ſui ſigna, quibus ab aliis febribus putridis diſcerni poſſit, ſuppeditare concedamus *c*). In iis ſaltem, quae ſcriptores de peſtilentiis ſubinde Romam vaſtantibus narrarunt, nihil eiusmodi commemoratur,

potiſſimum in hoc ponat, quod multos illa perimat: ad Epidem. III, 20. p. 263. To. IX. *οὐ γὰρ δὴ νοσήματός γέ τινος ὄνομα ἐστὶν ἐπιδήμιον ἢ λοιμῶδες, ἀλλ', ὅτι περ ἂν πολλοῖς ἐν ἑνὶ γίνεται χωρίῳ, τοῦτο ἐπιδήμιον νόμιζεται· προσελθόντος δὲ αὐτῷ τοῦ πολλοὺς ἀναιρεῖν, λοιμὸς γίνεται.* Fuit hoc plerumque inter cauſſas incrementorum quae peſtis contagio habuit, quod ipſis medicis controuerſa res fuit, peſtilentiane an alia febris luesue corpora tentaret. Ita Maſſiliae, 1720, ita Venetiis 1576. et aliis locis ac temporibus ſe res habuit. (cf. Galliccio *Saggio ſopra il Morbo detto Ruſſo* p. 4. ſqq. *della Comprovazione*).

c) v. *Mead* de Peſte c. I. nec valde diuerſa ſunt, quae a *de Haen* l. c. diſputantur; etſi ille recentiorum de peſte diſputata aut ignorare aut eleuare velle videri poteſt.

moratur, quod non in quacunque alia febre putrida euenire potuerit.

Quod igitur aſſeueramus, hoc eſt, vt non pronuntiemus, nullam omnino ante Saec. II. a C. N. Romae fuiſſe peſtilentiam, verum vt ſtatuamus, ea, quae apud Liuium aliosque leguntur, peſtilentiae proprie dictae ſigna ſatis certa nulla habere. Non enim ignoramus, de ſaeculis Romae prioribus in multis rebus nos certi et explorati aliquid non tenere; famam enim obſcuram et exilem a maioribus acceptam litteris conſignarunt primi Annalium ſcriptores a Saeculo inde ab V. C. ſexto, et variis pro ſuo quisque ingenio modis amplificarunt ornaruntque; ex iis arripuit ea, quae maxime probaret, Liuius, alia Dionyſius, alia Plutarchus, ſaepe diſſona inter ſe et diſcrepantia, eaque ſuo quisque more tractarunt et ornarunt, vt in ipſis locis de peſtibus intelligere licet. Quod ſi vero ea, quae aetati ſuae propiora erant, certiora et exploratiora tradere potuiſſe videri debent: non tamen ea naturae reique medicae iſta aetate vigebat notitia, vt morborum calamitates ſatis diligenter et preſſe exponere poſſent. Etſi itaque, quoniam ad religiones ſpectabant morborum notationes, in Pontificum annalibus vna cum prodigiis prodigiorumque procurationibus peſtilentiae accurate ſuis annis adſcriberentur, non tamen expectari poterat, vt de earum natura, ortu ac progreſſu, aliquid diſerte et docte ſatis memoriae mandaretur. Hoc enim erat illud, quod antiquitatem omnino ab ſubtiliore naturae, adeoque et morborum cognitione reuoca-

vit et retraxit, quod ea, quae ad interiorem eius notitiam ſpectabant, inprimisque quae ab ſollenni rerum curſu recedebant, ad religiones metumque deorum referebantur. Adeo nulla grauior ac peſtilentior ignoratio eſt quam naturae ſeu hominum ſeu rerum; *Hoc fonte deriuata clades Inque patres populumque fluxit.* Quot prauis religionibus ac placitis, quot ſuperſtitionibus perniciofisque inſtitutis liberata eſſet aut intacta manſiſſet gens humana, ſi naturae et ſuae et rerum accuratiore ſcientia cum ipſo ortu imbuta fuiſſet, aut ab his tanquam omnis verae ſcientiae elementis ſua rudimenta petiiſſent ii, qui religiones et iura condere videri volebant! Cum itaque ſemel imbibitum eſſet animis, nihil mali, nullam calamitatem, nullam febrem ac morbum grauiorem niſi ab ira numinis immitti, declarari hanc iram certis euentis naturae inſolitis, hoc eſt oſtentis prodigiisque, curationem morborum a placata numinis ira eſſe expectandam, nec placari eam poſſe niſi certis ritibus et formulis a Pontificibus praeſcriptis: inter haec, fieri nullo modo potuit, vt ſagacitas aliorum de morbis his ſollertius obſervata et inueſtigata traderet. Quo factum eſt, vt diſerta ſatis ſit ſcriptorum narratio de prodigiis eorumque procurationibus, de morbis autem non niſi pauca, eaque vulgaria commemorentur.

In his tamen prodigiis agnoſci interdum poſſunt veſtigia cauſſarum, a quibus lues ortum traxerit: ſunt autem eae nullae aliae, quam quae febres putridas vulgares gignere ſolent: aeris intemperies, anni vel frigoris inclementia, intolerabilis calor

aeſtiuus,

aeſtiuus, ſiccitas, agrorum ſterilitas cum fame, ventorum procellae, terrae motus, ignes e ſoli viſceribus erumpentes cum mephitibus. Nullum enim, quod ſatis conſtat, in iis, quae ab Liuio aliisque commemorata ſunt, prodigium oſtentumque, ne imbrium quidem cruentorum aut quod lapidibus pluit, occurrit, quod non ad naturae euentum caſumque referri poſſit. Alia a metu repetenda ſunt et a terroribus falſisque perſuaſionibus, quas mentibus, ſemel perculſis et attonitis, religiones deorum iniicere ſolent; vt, ſi auditae fuerunt in montibus ſiluisque voces aut mala ominantes aut ſacra intermiſſa repetentes; et quae huiusmodi ſunt alia. Vt igitur, quam vere haec a nobis dicta ſint, intelligatur, agedum peſtilentias, quae a Romanarum rerum ſcriptoribus commemoratae ſunt, breuiter pro conſilii ratione recenſeamus: ſi modo hoc monuerimus, plerumque malum intra vrbem et agrum Romanorum ſubſtitiſſe; quo ipſo peſtilentiae notio circumſcribitur.

Prima peſtis ſub Romulo poſt Tatium caeſum narratur a Dionyſio, *d*) multoque ornatius a Plutarcho, nam agrorum pecorumque ſterilitatem pluviasque cruentas adiicit; cui quidem narrationi tam diſertae in tam remotis aetatibus, nulla rerum memoria per libros prodita, parum fidei habemus: ſi tamen fidem habere placet, luis cauſſa inde manifeſta ſit. Iterum ſub Tullo Hoſtilio peſtilentia labo-

d) Dionyſ. II. 54. Plut. in Romulo Opp. T. I. p. 32. F. vbi inter alia: *ὕσθη δὲ καὶ σταγόσιν αἵματος ἡ πόλις* non, *ἤσθη*.

laboratum eſt: praedicta ea prodigiis, cum in monte Albano lapidibus pluiſſet: *e*) quo ipſo intelligitur, ventorum procellis agros vexatos fuiſſe. Memoriam huius peſtilentiae inſignem fecit Tulli mors, quam a ritibus occultis procurandi morbi vetuſtas repetiit *f*). Ab hoc tempore nulla peſtilentiae mentio niſi V. C. 266. ex fide Dionyſii: *g*) qui Marcio pulſo, morbum peſtilentem non modo multitudinem tentaſſe, ſed et pecudum ſtragem feciſſe narrat: quo ipſo intelligitur, luem, non peſtem, eam fuiſſe. Eodem auctore V. C. 284. morbus peſtilens inuaſit maxime mulieres, inprimis grauidas; *h*) quae res in multis peſtilentiis non minus obſeruata eſt; *hh*) ſed eadem paullo poſt ſaeuius exarſit nec vlli aetati aut ſexui perpercit; *i*) illud memorabile viſum, morbum tam atrocem celeriter euanuiſſe. — V. C. 292. iterum peſtilentia; ſed luem potius arguunt ea, quae Liuius addit: „graue tempus et forte annus peſtilens erat vrbi agrisque, nec hominibus magis, quam pecori; et auxere vim morbi, terrore populationis pecoribus agreſtibusque in vrbem acceptis.„ Exornauit haec mirifice Dionyſius pro more ſuo. *k*) V. C. 301. „duo mala ingen-

e) Liv. I, 31. at Dionyſ. III, 35. in ſuis auctoribus nihil de his narratum inuenerat; ſaltem non repetit.

f) v. Liv. l. c.

g) Dionyſ. VII, 68. Nam Liuius II, 36. tantum de praeſultore ludorum memorat.

h) Dionyſ. IX, 40. ſimilem luem idem IV, 69. ſub Tarquinio II. commemorat

hh) cf. Mercurial. Lectt. de Peſtilentia c. 10.

i) id Dionyſ IX, 42

k) Liv. III, 6. Dionyſ. IX, 67.

ingentia exorta, fames peſtilentiaque, foeda homini, foeda pecori.„ Ita Liuius; at Dionyſius iterum rhetorico ſpiritu: „mancipia tantum non omnia abſumta, ingenuorum dimidiam partem ſublatam, vt aegrotorum numero non ſuppeterent medici;„ ac ſi iam illo tempore Roma medicos ſuos habuiſſe videri poſſit. *l*) V. C. 318. „peſtilentia populum inuaſit; — ceterum magis vis morbi ingraueſcens curae erat terroresque ac prodigia; maxime quod crebris motibus terrae ruere in agris nuntiabantur tecta.„ *m*) Probabile fit, hiatibus ſoli corruptum aerem contagium ſparſiſſe: quo fere modo peſtes Saec. VI. et XIII. a C. N. ortae feruntur. *n*) Videtur ea lues ſeu reuixiſſe ſeu duraſſe vsque ad annum hinc quartum, V. C. 321 et iterum V. C. 324 inualuiſſe ex ſiccitate. *o*) — Iterum a. 342. „peſtilentia coorta, minacior tamen quam perniciosior, — defuncta ciuitate plurimorum morbis, perpaucis funeribus, peſtilentem annum inopia frugum, neglecto cultu agrorum, vt plerumque fit, excepit *p*) —, a. 355„ inſignis annus hieme gelida ac niuoſa, adeo vt viae clauſae, Tiberis innauigabilis fieret; triſtem hiemem ſiue ex intemperie caeli, raptim mutatione in contrarium facta, ſiue alia de cauſſa, grauis peſtilensque omnibus animantibus aeſtas excepit„ *q*) Suſpecta eſt omnino

l) Liv. III, 32. Dionyſ. X, 53.

m) Liv. IV, 21.

n) vid. Chicoyneau p. 61.

o) v. Liv. IV, 15. et 30.

p) Liv. IV, 52.

q) Liv. V, 13.

nino peſtilentia a. 372, Manlianum ſupplicium breui inſequuta, et ex ea ortum habuiſſe magnae parti viſa *r*); at ea, quae a. 389 exarſerat, hoc et inſequente anno ſaeuiit: maxime eam inſignem mors M. Furii Camilli fecit *s*). Omitto fabuloſam de Curtio, qui in voraginem tetro halitu vrbem infeſtantem ſe immiſiſſe fertur, narrationem a. 392 *t*) ex qua tamen intelligitur, in media vrbe mephitin ſeu putorem ſulfureum e terra prorumpentem vicina loca peſtilenti afflatu infeciſſe, donec alia ſoli mutatio venam occultam ſpiramenti occluderet ſeu elideret; omitto aliam peſtilentiam a. 406 *u*) et alteram a. 420 *uu*) tum tertiam a. 441 *x*) et quartam a. 451 tanquam parum memorabiles, niſi quod in hac „terram multifariam pluiſſe, et in exercitu App. Claudii pleroſque fulminibus ictos nuntiatum eſt *y*);" vt grauibus tempeſtatibus aerem turbatum eo anno fuiſſe facile intelligas. Alia peſtilentia a. 562. Aeſculapio Romam arceſſendo locum fecit *z*), a. autem 476. et inſequente pecudes hominesque communi ſtrage corripuit peſtis, grauidarum maxime abortibus infamis. *a*) Peſtis, quae in caſtris Poenorum et Romanorum ad Syracuſas a. 542. per intole-

r) Liv. VI, 20.
s) Liv, VII, 1. et 2.
t) Liv. VII, 6.
u) id. VII, 27.
uu) ibid. VIII, 17.
x) IX, 28.
y) id. X, 31.
z) id. X, 47.
a) v. Oroſ. IV, 2.

intolerandam aeſtus vim corpora labefactauit *b*), vt et altera, quae in Bruttiis vtraque caſtra pari clade affecit, *c*) cauſſas habuit ſatis obuias; ea autem quae a. 546. in vrbem agrosque incidit, vix in cenſum venit; „nam in longos magis morbos, quam in perniciales, euaſit.“ *d*) Inde a. 573 „peſtilentia in agris forisque tanta, vt Libitina vix ſufficeret,“ eaque in tertium annum vrbem Romam atque Italiam vaſtauit. *e*) Perculſi terroribus animi ad varias ſuperſtitiones ſeſe appulere; inuenta quoque arca ſepulcralis Numae cum eius libris; adeo proni in ſuperſtitiones leuesque perſuaſiones eſſe ſolent homines calamitatibus publicis oppreſſi. Memorabilior ceteris eſt peſtilentia a. 580. quae priore anno in boues ingruerat, nunc autem verterat in hominum morbos: „qui inciderant, haud facile ſeptimum diem ſuperabant; qui ſuperauerant, longinquo, maxime quartanae, implicabantur morbo.“ *f*) Non peſtem vere dictam tum corpora tentaſſe, vel verba extrema docent. Nec affirmare audemus, an inter veras peſtilentias referenda ſit atrociſſima illa, quae a. 627 Africam, peſtilentiae natiuam ſedem, vaſtauit, locuſtarum ingenti multitudine, poſtquam in agris fruges herbasque exederant, in

 pela-

b) v. Liv. XXV, 26.

c) a. 546. ibid. XXVIII, c. 46.

d) XXVII, 23.

e) XL, 19. add. Obſequ. de Prodig. c. 60, vbi praeterea narratur, per ſex menſes non pluiſſe.

f) Liv. XLI, 21. add. Obſequ. c. 65. Idem aliam anno 589. aſſignauit c. 72. tertiam a. 612 c. 81.

pelagus merſa et iterum in littus expulſa. *g*) Antecedente anno Inſulas Liparaeas peſtilentia afflixerat, ex terrarum motibus flammisque ex terra marique emicantibus. *h*) Ab hoc tempore, per ipſa bella ciuilia, non vidimus memorari peſtem, praeterquam eam quae a. 711. Hirtio et Panſa Coſſ. totam Italiam corripuit; praeceſſerat tamen exundatio Padi et Tiberis ingens, vt eiectorum in littus piſcium tabes inficeret aerem; quae vnde profecta ſint, colligere licet ex eo, quod eodem tempore inter prodigia procellae, terrarum motus, variaeque caeli ſpecies memorantur. Simili modo a. 732 cum Auguſto principatum tenente peſtilentia per totam Italiam graſſabatur, praeceſſerat Tiberis exundatio cum procellis. *k*) Sub Nerone C. N. 69. Romae peſtilentia unius auctumni fuit, quo XXX funerum M. in rationem Libitinae venerunt. *kk*) Iterum ſub Tito peſtilentia fuit, quanta non temere alias *l*), et iterum ſub Antonino Pio ſub a. 141. multas Imperii R. partes peruagata. *ll*) Prima peſtis vero nomine ſic dicta a. C. 169. a L. Veri Imp. exercitu a Parthis reduce in Italiam eſt reportata;

g) Oroſ. V. 11. Auguſtin. C. D. III., 31. Liv. Epit. LX. Obſeq. c. 90.

h) Digna res, vt de ea conſulantur ſcriptores Strabo VI. p. 424 C. (277.) ex Poſidonio. Oroſ. V. 10. Obſeq. 89.

i) v. Dio. XLV, 17. Fuit haec amnium eluuies aliis quoque temporibus, vt 590. ſub Gregorii M. pontificatus auſpicia, inter peſtilentiae cauſſas.

k) Dio LIV, 1. eſt ea, quam Plin. VII, 45. ſ. 46. innuit.

kk) Suet Nero 39.

l) Suet Tit. 8.

ll) paſſim Galenus.

tata; Babylone illa, fomite peſtilenti ex abdito loco in aerem protracto, tabem in Parthos vulgauerat; *m*) inde vsque ad Gallias et Rhenum cuncta contagiis et mortibus polluit; altera quae ſub Commodo a. 189. ingruiſſe dicitur, niſi prior illa tum forte recruduit, vix in cenſum venire poteſt. *mm*) At Romanum imperium peruagata eſt tertia a. 252 Gallo et Voluſiano Imp., orta et haec in Aethiopia; *n*) tandem quarta famoſiſſima illa 543. Iuſtiniano principe: *o*) quae ab Aegyptiis orta, Peluſio hinc Alexandriam inde per Palaeſtinam ſparſa, ſequente anno per extremos terrarum fines diffundi coepit.

Ex his igitur, quae commemorata ſunt, manifeſtum eſſe arbitramur, ante L. Veri tempora nullam peſtilentiam memorari, cuius ſigna ſatis certa memoriae tradita ſint; etſi res ipſa ſatis probabile faceret, bellis cum Poenis geſtis populorumque mutuis per Italiam, Siciliam et Africam commerciis, peſtilentiae ſemina ex Africa per alias terras ferri ſpargique debuiſſe; nam in his terris zonae torridae propioribus peſtem gigni indeque contagio

 aliis

m) Iulius Capitol. in Vero c. 8. add. Ammian. XXIII, 6. p 293. ed Lipſ. Oroſ. VII, 15. et quidem per plures annos. cf. Jebb in Vita Ariſtidis ad ann. 173. 5.

mm) v. Dio. LXXII, 14.

n) v. Oroſ. VII, 21. Eſt haec illa, de qua Cypriani libellus de mortalitate agit, Opp. P. 1. p. 156. etſi pauca inde de ipſa lue diſcas: conf. tamen ib. not. et Dodwell. Annal. Cypr. ad. a. 252.

o) Praeclara de ea loca Procop. de b. perſ. II, 22. Evagr. IV, 29.

aliis terris inferri, conſtans nunc eſt virorum docto- rum opinio. Quod ſi de Carthaginienſium rebus fatisque plura ad memoriam hominum propagata eſſent, luculentiora forte peſtilentiae iam antiquio- ribus aetatibus argumenta haberemus; nunc pauca, eaque parum diſerte et accurate expoſita. *p*) Anti- quiſſima haud dubie eſſet peſtilentiae memoria in Chronico Euſebiano memoratae ſub ipſum diluuii Deucalionis tempus, niſi illud commentum eſſet indocti hominis, cui male fides habita eſt. *pp*) Peſtilentiam Moſi bene innotuiſſe ſatis conſtat; ab Herodoto tamen ea non memoratur in iis quae de Aegypto exponit. *) In Graecia auditur quidem nomen λοιμοῦ ab vltima inde memoria: depuliſſe peſtem narratur Aeacus precibus ad Iouem factis; item

p) Vt ante C. 372. Olymp. CII. v. Diod. XV, 24. in op- pugnatione Syracuſarum Ol. XCVI. 1. ibid. XIV, 70. 71. et in obſidenda vrbe Agrigento Diod. XIII, 86.

pp) *In Aethiopia multae peſtilentiae locales, vt Plato me- minit, fuere:* Chron. Euſeb. Hieronymi Nu. 490. Eadem Oroſius et alii repetierunt. Si tamen Platonis Timaeum inſpexeris p. 22. C. (Bipont. p. 291) facile patet ho- minem plura diuerſa in idem miſcuiſſe. Male quoque prouocatur ad Maxim. Tyr. Diſſ. III. extr. nam is de peſte ſub b. Pelop. ingruente agit.

*) Potuit in antiquioribus aetatibus ſacerdotum cura et inſpectione multis modis, v. c. religioſis luſtrationum et caſtimoniarum ritibus, peſtilentiae contagio proui- ſum eſſe: vt acute ſuſpicatur Collega coniunctiſſ. Gat- terer (*Weltgeſchichte 1785*) p. 209. Nec magis tamen ſub Ptolemaeis vlla peſtis mentio occurrit. Omnino illud, quod vulgo de peſtis in Aethiopia ortu et per Aegy- ptum in Aſiam deſcenſu traditur, nondum fide ſatis explorata niti conſtat.

ſtem Ariſtaeus ſacro facto circa Sirii ortum; *q*) Notiſſima eſt peſtis in caſtris Achiuorum in primis Iliadis verſibus; Sequioribus aetatibus feruntur alia, ſed fabulis propiora, de Epimenide Athenas arceſſito ad liberandam peſte vrbem, et de Empedocle, peſtem ab Agrigentinis, ciuibus ſuis, miris artibus auerruncante. Verum vna eſt, cuius memoria ita ad nos peruenit, vt de ea iudicium facere liceat; peſtis, quae ſub belli Peloponneſii initia Atticam inuaſit; etſi de ea quoque Hallerum dubitaſſe videmus: „non putes, inquit, vero nomine peſtem fuiſſe„ *r*).

Etſi eſſent adhuc nonnulla, quae forte non iniucunde commemorari poſſent, veluti de auertendarum peſtium modis ac conſiliis apud Romanos, quibus ſubeſt plerumque ratio aliqua a vanis religionibus petita; porro, ſi comparatio inſtituatur inter morbos contagioſos veterum et recentiorum aetatum

q) v. Apollon. II, 520. Diod. IV, 82.

r) Haller Biblioth. med. pract. To. I. p. 102. Peſtem illam accurate narratam eſſe a Thucyd. II, 47. III, 87. Diod. XII, 45. 58. ex alio auctore, tum a Lucretio, nota res eſt; Etiam illud vulgo nunc tenetur, ab Hippocrate in Epidem 1. non veram peſtem, ſed febrem epidemicam, quae Thaſios et alias Graeciae vrbes infeſtabat, narrari v. Freind. Comment. ad eum lib. p. 119. Fuere viri docti qui recenſus variarum peſtilentiarum, quae vsquam traditae ſunt, ediderunt; in his eſt ad calcem (*Franc. Rondinelli*) *Relazione del Contagio ſtato in Firenze l' a. 1630 et 33.* Firenze 1714. Verum parum explorate et locis ad nullam criticam hiſtoricam exactis iſta appoſita ſunt.

tum, vtri maiorem corporum ſtragem ediderint, quibusque de cauſſis id factum ſit in tanto maiore corporum robore victusque ſimplicitate: dimittenda tamen eſt de manibus diſputatio tam male ominata, et a ſacris et ſollenibus his, quae indicimus, aliena. Meliora omina et fauſtiſſima auſpicia petetis, Commilitones, ab iis, quos verba facientes in ipſis ſollennibus audietis. PP. Kal. Iuliis cIↄIↄCCLXXXII.

Epime-

Epimetrum.

Cum ad hoc argumentum ab eo inde tempore redire non licuerit: adiiciam ſaltem nonnulla ſuper iis, quae in extremis verſibus e manibus dimiſſa ſunt.

Incuria et ſocordia partim in prouidendis et cauendis iis rebus, quae aerem corrumpere ſolent, partim in depellendis aeris caelique iniuriis, ſoli porro et aquarum vitiis tollendis, vt inter omnes populos barbaros, inprimis magna hominum multitudine in vnum locum congregata, ita et Romae haud dubie febres leuiores in malignas plerumque mutauit. Si in vllo populo politia ad ſummum, quo ea adduci poteſt, peruenerit faſtigium: probabile fit, febrium vim malignam obſcura ſui veſtigia eſſe relicturam. Vt in noſtrarum ciuitatum faſtis, ita Romae peſtilentiae mentio crebra per antiquas aetates fit: in recentibus rarior occurrit. In tanta rei medicae ignoratione nihil recte curabatur. Vbi corpora morbo eſſent tentata, cum ad deorum iram mali cauſſas referrent, a ſuperſtitioſis ritibus auxilium petere: ſacrum nouendiale indicere, clauum pangere, expiatione luſtratione et ſupplicatione pacem et veniam deorum expetere. Quid? quod ſacra arcana curarunt, quibus ipſe Iupiter eliceretur, cogereturque fateri, quibus ritibus ira eius placari poſſet; vt a Tullo Hoſtilio factum: Liv. I, 31. Caſu accidit vt is fulmine ictus cum domo ſua conflagraret; nam, eum arte aliqua temere adhibita ignem caeleſtem in ſe deriuaſſe videri, temporum barba-

barbaries credere vetat; etſi potuit certos ritus patrare, ſacris factis, in loco incluſo, quibus fulminis vim alliceret; potuit quoque res fabuloſe ornari, quum fama tantum hoc conſtaret, incendio Tullum periiſſe. Dionyſius e ſuis auctoribus nihil ea de re memorauit III, 35. Nihil ad ſuperſtitionem Romanorum defuit, quam, quod per Orientem a tot populis factum videmus, vt graui calamitate afflicti deorum iram ſacrificiis humanis placarent.

Romae antiquioribus temporibus habitationis ad corporum valetudinem inſtituendae cura fuit nulla; tantum conuallium inter montes ab aquarum colluuie liberandarum rationem inierat Tarquinius cloacis ductis. Tiberis exundantis aquas ſtagnantes ſaepe incuſant ſcriptores. An paludes Pomtinae iam tum, cum minus late Volſcorum agros obducerent, aerem corruperint, dicere non auſim. Mancipiorum multitudo in eadem domo in anguſta cella habitorum luem haud parum contagio ſpargere debuit. Tum ſaepe terrore ab hoſtibus fines populantibus orto, fuga in vrbem facta pecora agreſtesque in vrbem ſunt recepti: (vt Liv. III, 6 et al.) Hac colluuie hominum animantiumque tecta ac vias vallesque confertis corporibus opplente, interdum per immodicum aeſtum, ſeu frigus inſolitum, aliamue aeris intemperiem, contagium per omnes ordines ſparſum eſſe quis miretur?

VIII.

VIII.

ACADEMIAE GEORGIAE AVGVSTAE

PRORECTOR

IOAN. CHRISTOPH. GATTERER

CVM SENATV

ANNIVERSARIA INAVGVRATIONIS

SACRA XXXXIV.

IN A. D. XVII. SEPT. cIↃ IↃ CCLXXXII.

RITE INDICIT.

De Leone M. Pontifice Rom. Attilae et Genſerico ſupplice facto.

Summi Pontificis Romani Pii VI. iter hac aeſtate Viennam ad Imperatorem ſuſceptum iis, qui in hiſtoriis ſunt verſati, multarum rerum partim ſimilium partim diſſimilium memoriam refricuit. Vidimus itaque plura in comparationem adducta. Poterant inter haec legationes Pontificum cum Romanorum tum aliorum de rebus grauibus actae memorari. Nec abſonum itaque videri potuiſſet, ſi nunc, cum ſollennibus craſtino die habendis proludendum ſit, de Iaddua, Pontifice Iudaeorum, voluiſſemus agere, Alexandro ad Hieroſolyma pergenti in

in occurſum prodeunte. Suauis vtique narratu fabula. Sed ferebat animus ad alteram narrationem de Leone M. bis legatione functo, altera ad Attilam, altera ad Genſericum Vandalorum regem: quarum tamen prior illa longe maiorem celebritatem aſſequuta eſt pictura Raphaelis Vrbinatis nobiliſſima. Adeo verum eſt, quod in hiſtoriis legendis ſaepe in animum venit, aliorum plerumque ingeniis potius quam propriae virtuti famam plerorumque ad poſteritatem deberi; multas magnas res geri, paucas ſatis claras: ſcilicet niſi ea fortuna contigerit, vt ingenioſorum hominum opera illae nobilitentur *). Picturam hanc his ipſis diebus chalcographico opere, coloribus ſuis ad tabulae pictae ſimilitudinem ſcite elaborato, vidimus: quo ipſo animus ad alterum hoc argumentum inclinatus eſt. Verum Leonis legatio altera ad Genſericum ſi non maiore, ſaltem non minore admiratione quam prior digna erat; facta et illa ad regem victorem eumque barbarum, vt vrbs propugnatoribus vacua ei dederetur. Quanto melior in hoc fortuna Pii VI. qui, non vrgente neceſſitate, ſed conſilio ac ſponte, adiit Imperatorem omni humanitatis et facilitatis laude celebratum, aequo iure ac loco de rebus communibus egit, et lautiſſime exceptus mirificeque recreatus ad ſuos rediit. Rerum curſu procedente mature intelligetur, quae cauſſae ſatis graues, qui fructus ſatis memorabiles, huius profectionis fuerint. Verum ad Leonem Sanctum progrediamur.

Sane

*) Hinc illud: *O fortunate adoleſcens, qui tuae virtutis praeconem Homerum inueneris!*

Sane quidem in argumento verſamur tam trito, et in vulgaribus quoque hiſtoriis recocto, vt ſtolidum eſſet, ſi profiteri vellemus, noua nos eſſe his de rebus allaturos. Neque vero id ſcriptionis genus aut conſilium poſtulat; et vana eſt nouitatis laus ex rerum figmentis verborumque fuco puerili; nec quicquam tam alienum ab hiſtoriae dignitate, quam leuiſſima quaeque ingenii commenta (quorum noua ſemper propago pullulans ſuppetit etiam minus ſollertibus) factorum veritati ſubſtituere. Multo minus inanem operam iactare placet in reuocandis ac refellendis iis, quae perperam paſſim tradita, et ab aliis dudum ſunt animaduerſa. Interea ſuum vtique iudicium, ſua ratio, cuique poteſt conſtare in rebus ſeu explorandis et trutinandis ſeu exponendis. Eſt aliqua laus etiam in hoc, ſi ad antiqua ornanda, obſcura illuſtranda, ingenium non defuerit. a) Attilam

a) Incredibile eſt, quam multa de Attila narrata ſint, cum tam pauca certo tradi poſſint. Fabuloſis commentis onerarunt res Attilae certatim monachi, tum rerum Hungaricarum ſcriptores, porro Itali, inprimisque qui ciuitatum nonnullarum, vt Mediolani, Mutinae, Patauii, Aquileiae, res exſequuti ſunt. Eſt in gentis Ateſtinae honorem ſcriptus libellus a *Nicolao Tomaſo d' Aquileia*, vt praefatio prae ſe fert, Patriarchae Nicetae (fuit vtique eo tempore Nicetas Epiſcopus Aquileienſis, vt ex S. Leonis Epiſtolis conſtat) a Secretis, verſus in ſermonem prouincialem a Nicolao de Caſola Bononienſi, et Italice editus Ferrariae 1568. 4. Habemus cum hoc in manibus alium e bibliotheca academica libellum 1477. italice exaratum quaternionibus impreſſum, Venetiis haud dubie: *La hyſtoria de Atila dicto flagellum dei, translata da lingua franceſcha in latina*-1421. Eſt hic libellus is, de quo Sabellicus agit Lib. III. de vetuſtate Aquileiae p. 72. E. Ital. illuſtr.

Attilam re in campis Catalaunicis male geſta, refecto exercitu, anno ſequente (a. C. 452.) per Pannonias Italiam ingreſſum, late omnia populando vaſtaſſe, Aquileiam vi expugnatam ſolo aequaſſe, inde Ticinum et Mediolanum, vi captum, diripuiſſe ſatis conſtat. *b*) Res iam in eo erat, vt victor Romam peteret. Valentiniani Imp. ſocordia nulli rei proſpexerat, quae aut ad auertendum hoſtem, aut ad tutandam Italiam idonea eſſet; ne Alpium quidem clauſtris occupatis, qua aditus ad Italiam erat. Aëtius abſuiſſe dicitur ad copias parandas; ex Idatio patet, ad Marcianum Imp. Conſtantinopolin eum eſſe profectum, vnde mox, quod infra videbimus, cum auxiliis rediit. Omnino illa aetate copiae, ſi parandae erant, arceſſebantur a barbaris: hoc

illuſtr. vt ex nota exemplari noſtro adſcripta didicimus. Suppar ei nec forte multum aetate ſuperius eſt carmen nuper a Fiſchero V. C. vulgatum, de prima expeditione Attilae in Gallias. Iam haec quidem vana figmenta eſſe nemo nunc facile dubitet. At tamen meliores quoque ſcriptores poſt Sigonium et alios, ipſi, inquam, Muratorii, Belil, Prayi, nimis copioſi videri poſſunt in Attilae rebus exponendis, cum eadem lance apponant ſeriorum ſcriptorum commenta cum iis, quae ex Priſco aut Iornande hauſta ſunt; vt adeo melius conſilium ſequutus videatur Gebhardi V. C. in nupera rerum Hungaricarum expoſitione, allatis tantum iis, quae ex ſcriptoribus fide dignis hauriri poſſunt. Ea vtique, quae de Attila Italiam ingreſſo cum fide tradas, ad pauca redeunt, quae ex Priſco Iornandes, tum quae Proſper memorat, qui Leonis Pontificis primus Notarius fuit, et ſecundum hunc Idatius. Nam Hiſtorias Miſcellas, quae Paullo Diacono ſubiiciuntur, a ſeriore manu in hoc loco interpolatas eſſe nunc ſatis conuenit.

b) Alia vrbium nomina ſunt in Hiſtor. Miſcell. Paullo Diacono ſubiectis p. 98. Murator.

hoc erat exercituum Romanorum robur. Adeo degenerauerat Romanum nomen; imbelle vulgus, laboris et diſciplinae adeo intolerans artisque militaris rude, vt in pugna Catalaunica Attilam loquentem inducat Iornandes: *Nota, inquit, nobis ſunt leuia Romanorum arma. Primo enim non dico vulnere, ſed ipſo puluere grauantur.* De Romanis haec dicta eſſe quis non obſtupeſcat? Pergit: *Dum* inordinate coeunt, *et acies teſtudinemque connectunt: vos confligite praeſtantibus animis, vt ſoletis, deſpicientesque eorum acies, Alanos inuadite, Veſegothis incumbite.* c) In ſociis nempe ſumma pugnae erat poſita; Romani ipſi pars agminis viliſſima. Mos autem pugnandi erat Hunnorum, idem qui aliorum barbarorum, vt primo impetu effuſi aciem hoſtium perfringerent. Interea a Valentiniano ſpes in eo poſita eſſe fertur, vt Italia decederet. d) Tandem conſultius viſum eſt, vt legatione facta Attilae animus tentaretur: e)

I 2 *Suſcepit*

c) Iornand. de reb. Get. c. 39.

d) Proſper in Chron. *Herculano et Sporatio Coſſ.* qui ipſum Aetium huius conſilii arbitrum edit: *Attila redintegratis viribus, quas in Gallia amiſerat, Italiam ingredi per Pannonias intendit, nihil duce noſtro Aetio, ſecundum belli prioris opera, proſpiciente; ita vt ne cluſuris quidem Alpium, quibus hoſtes prohiberi poterant, vteretur: hoc ſolum ſpei ſuis ſupereſſe exiſtimans, ſi ab omni Italia cum Imperatore diſcederet.*

e) Idem pergit: *Sed cum hoc plenum dedecoris et periculi videretur, continuit verecundia metum, et tot nobilium prouinciarum latiſſima euerſione credita eſt ſaeuitia et cupiditas hoſtilis expleta; nihilque inter omnia conſilia Principis ac Senatus Populique Romani ſalubrius viſum eſt, quam vt per legatos pax truculentiſſimi regis expeteretur.*

Suſcepit hoc conſilium cum viro conſulari Auieno f) et viro Praefectorio Trigetorio beatiſſimus papa Leo, auxilio dei fretus, quem ſciret nunquam laboribus piorum defuiſſe. Nec aliud ſequutum eſt, quam (quod) praeſumſerat fides. Nam, tota legatione dignanter accepta, ita ſummi ſacerdotis praeſentia rex gauiſus eſt, vt et bello abſtineri praeciperet et vltra Danubium promiſſa pace diſcederet. g)

Haec quidem ſcriptor, qui rebus interfuit, isque fide dignus; at quam breuiter ea narrata ſint, videtis. De conſiliis Attilae nihil dictum, nil de conditionibus pacis: nil de cauſſis, quae, vt preces admitteret, Attilam mouerint. Scilicet grauiſſimorum generis humani euentuum cauſſae plerumque aut nullae aut obſcurae et ambiguae habentur; acquieſcendum eſt in cauſſis probabilibus; ſatisque ſumus beati, modo facta ipſa teneamus explorate et cum fide tradita; etſi ea eſt multorum vanitas, vt iactent ſe cauſſis, non timide ac verecunde coniectando aſſequendis, ſed audacter, ac ſi exploratiſſima afferrent, exponendis, earum rerum, quarum nulla ſupereſt aut obſcura memoria; ita vt cauſſis repertis ſaepe excogitanda ſint facta; multo magis id, quod diximus, ita ſe habet in rebus barbarorum, et in iis ſaeculis, quae non minus ipſa barbara recte dixeris. Itaque et in his, de quibus nunc agitur, ſatis eſt, de ipſa legatione dubitari non poſſe; etſi plus in ea auctoritatis datum Pontifici, quam ipſa res

f) Fuit is Conſul a. 450. v. Sirmond. ad Sidon. I, Ep. 9. p. 18.

g) Proſper l. c. qui a Sirmondo et Ducheſnio fuit ſuppletus.

res et Theodorici Regis verba apud Caſſiodorium admittunt; namque is non modo comitem, verum et principem legationis memorat Caſſiodorium patrem cum Aetii filio Carpilione, et omnem ſucceſſum eius conſtantiae et ſollertiae tribuit. *h*) Attilam quoque ab eo loco, quo Pontificem in ſuum conſpectum adduci iuſſerat, in Aemilia ad Mincii tranſitum, *i*) Italia exceſſiſſe ſatis conſtat; etſi, qua via redierit, non magis teneas, quam quibus de cauſſis redierit. Nam Leonis aut dignitatem oris aut eloquentiam tantam vim ad barbari animum habuiſſe, nemini facile perſuaſerit Proſper, multo minus auctor miſcellarum hiſtoriarum. Ad ſuperſtitionis, animis Gothorum inſidentis, vim reuocat ea, quae facta ſunt, Iornandes, et quidem Priſco, qui tum vixit, auctore. *k*) Nec omnino eſt improbabile, eam tum vrbis Romae haberi

 potuiſſe

h) ap. Caſſiodorium I. Var. Epp. 4. Etſi ipſe Caſſiod. in Chronic. *Herculanus et Aſporatius.* (452.) *His Coſſ. Attila redintegratis viribus Aquileiam magna vi dimicans introiuit; cum quo a Valentiniano Imp. Papa Leo directus pacem fecit:* vt, ſaltem aliquas Leonis partes in ea legatione fuiſſe, dubitari nequeat. Ceſſit ea ipſi magnae laudi, nam et in Epiſtola Epiſcoporum Orientis ad Symmachum a. 512. reuocatur Leonis virtus et pietas in animum.

i) *Quo Mencius in Padum influit.* Hiſt. Miſcell. l. c. Eſſe locum nunc *Governolo* dictum infra Mantuam, docuere viri docti.

k) Iornandes l. c. c. 42. *Quumque ad Romam animus fuiſſet eius* (Attilae) *attentus accedere, ſui eum, vt Priſcus refert hiſtoricus, remouere; non vrbi, cui inimici erant, conſulentes, ſed Alarici quondam Veſegothorum regis obiicientes exemplum: veriti regis ſui fortunam, quia ille poſt fractam Romam diu non ſupervixerat, ſed protinus rebus exceſſit humanis.*

potuiſſe maieſtatem et ſanctitatem, vt is qui eam diripuiſſet, haud diu ſuperſtes facinori crederetur fore: ſed an huius ſuperſtitionis Chriſtianorum hominum ad Hunni animum magna vis eſſe potuerit, admodum dubites; cumque mox apud eundem Iornandem ſubiiciatur: *igitur dum eius animus ancipiti negotio inter ire et non ire fluctuaret ſecumque deliberans tardaret:* debuere vtique cauſſae eſſe grauiores, cur Attila incerti animi fluctuaret, curque legatio Roma adueniens tam placita et grata haberetur. Et ſunt nonnulla, quae cum aliqua ſpecie veri poſſint commemorari: Primo loco ea, quae Idatius, nulla legationis mentione facta, memorat: *l*) partim morbo partim fame conſumtos eſſe barbaros, late palantes, et vaſtitie facta victum ſibi ipſos intercipientes; tum collectas ab Aetio copias Marcianique Imp. auxilia appropinquaſſe, edita iam paſſim ab Aëtio barbarorum ſtrage; cum interea Marciani exercitus ipſas Hunnorum ſedes eſſet adortus. Accedere his potuere alia: quod onuſtus praeda militiaque feſſus miles vix bene nouis periculis bellique caſibus obiici videretur. Gratiſſimus adeo legatorum aduentus eſſe debuit, quo ſuperbi regis pudori conſuleretur; nec minus autem gratus et iucundus legationis ſplendor, viris

l) Idatius Chronic. p. 305. in Sirmondi Opp. *Secundo regni anno principis Marciani Hunni, qui Italiam praedabantur, aliquantis etiam ciuitatibus irruptis, diuinitus, partim fame partim morbo quodam, plagis caeleſtibus feriuntur: miſſis etiam per Marcianum principem Aëtio duce caeduntur auxiliis; pariterque in ſedibus ſuis et caeleſtibus plagis et per Marciani ſubiguntur exercitum. Et ita ſubacti, pace facta cum Romanis proprias vniuerſi repetunt ſedes: ad quas rex eorum Attila mox reuerſus interiit.*

viris ſummae auctoritatis in eam allectis: nam ex iis, quae a Priſco narrata ſuperſunt, apparet, aliquoties regis iram excanduiſſe miſſis Conſtantinopoli ad ſe legatis inferioris ordinis. Praeſulum autem vt magna erat dignitas et auctoritas, ita et frequens vſus in legationibus mittendis; vt hactenus nihil ſit, quod in hac ad Attilam legatione Leonis cum ceteris mirationem facere debeat. Quae legatorum verba fuerint, *m*) quae pacis conditiones, nusquam memoratum legitur. Probabile ſit, munera fuiſſe miſſa, alia promiſſa; annuum vectigal exactum, colligere licet ex Hunnorum planctibus ſuper regis morte; *n*) et Honoriae redditionem cum portione regalium opum poſtulatam arguunt verba apud Iornandem *o*).

Cum cauſſas et conditiones pacis idoneas et probabiles indagare pigeret, ad miraculum confugit ſcriptorum ignauia. Cum Leonis praeſentiae Proſper, alii eius eloquentiae, proſperi ſucceſſus laudem aſſignaſſent: ecce extiterunt, qui territum dei nutu Attilam narrarent, eumque poſt diſceſſum Leonis rogatum, a ſuis, cur tanta cum facilitate

m) etſi oratio ei tributa legitur ſatis diſerta: v. c. apud Caniſ. in vita Leonis AA. SS. April. To. II. p. 18.

n) Iornand. c. 49. *qui vtraque Romanae vrbis imperia captis ciuitatibus terruit, et, ne praedata reliqua ſubderent, placatus precibus annuum vectigal exegit.*

o) l. c. c. 42. *Qui mox depoſito exercitus furore, et rediens qua venerat, id eſt vltra Danubium, promiſſa pace diſceſſit: illud prae omnibus denuntians atque interminando diſcernens, grauiora ſe in Italiam illaturum, niſi ad ſe Honoriam Valentiniani principis germanam, filiam Placidiae Auguſtae, cum portione ſibi regalium opum debita mitteret etc. vid. reliqua.*

ad omnia Leonis poſtulata adnuiſſet, reſpondiſſe: „non ſe eius qui aduenerat perſonam reueritum eſſe, ſed alium ſe virum iuxta eum in habitu ſacerdotali adſtantem vidiſſe, forma auguſtiorem; canitie venerabilem, illumque euaginato gladio ſibi terribiliter mortem minitantem, niſi cuncta, quae ille expetebat, expleſſet.„ *p*) Interpretatum hoc et acceptum de Petro: cui poſtea acceſſit alter Paullus. *q*) Verum, etſi vnus apoſtolus ad terrendum ſatis eſſe potuit, magna tamen et mira res videri debet, ſi ferociſſimus nec Chriſtiana ſuperſtitione captus homo ſpecie ſacerdotis cum gladio minitantis tantopere fuit perterrefactus. Quod ſi res cum fide idonea tradita eſt, repugnare nolimus; ea enim veritatis eſſe debet auctoritas, vt et iis concedamus, quae aegre admittimus. Enimuero in nullo aut eiusdem aut proximae aetatis ſcriptore eam narrationem reperiri, docuere viri docti. *r*) Ipſum Leonem, hominem alioqui ſatis diſertum, nihil nec de legatione nec de miraculo illo commemorare, teſtantur ii qui eius ſcriptis legendis inſudarunt. *s*)

Hanc

p) Hiſtoriae Miſcellae lib. XV. ap. Murator. p. 98.

q) v. Caniſ. in vita Leonis l. c. c. 2.

r) v. Queſnel in diſſ. I. app. Opp. Leonis p. 165. Nam Hiſtoriarum Miſcellarum tanta auctoritas eſſe nequit, cum Paulli Diaconi verba ea non ſint, nec Sigeberti Gemblac. qui plus quam D. annis ſerius vixit. Quid? quod ne Anaſtaſius quidem de vitis Pontificum ſeu angelorum ſeu apoſtolorum meminit: *hic,* inquit, *propter nomen Romanum ſuſcipiens legationem ambulauit ad Regem Unorum Athilam et liberauit totam Italiam a periculo hoſtium.*

s) Nam locum ex Serm. 81 mox ipſe Queſnel in nota ad c. I. ad alteram legationem verſus Genſericum ſpectare vidit:

Hanc tamen rem quamuis fabuloſam praeclarae picturae argumentum fecit Raphael, pictorum princeps, iudicaturque is multorum conſenſu in hac tabula ipſos artis terminos ſi non eſſe egreſſus certe attigiſſe. Nobis, quibus Corinthum adire non licuit, iudicium ferendum eſt exemplis opere chalcographico propoſitis, in ceteris iudicium ſequendum aliorum. Secundum haec negari non poſſe videtur, Attilae, ad quem omnia in pictura referri neceſſe eſt, dignitatem et ipſam ſpeciem eſſe minorem, quam ſancti Pontificis; magnam ad animum vim habere placidum huius vultum et habitum benedicentis, pontificio more; *t*) dum interea ille adſpectu Petri et Paulli in aere ſuſpenſorum perterrefactus ſupino et retro lapſuro ſimilis: nec tamen ſpectrorum ora et gladii intentati ſunt in ipſum regem, ſed fugare illa videntur Hunnorum agmina

vidit: et conſentiunt in eo fratres Ballerinii, et Pagi ad h. a. At ſpectat ad huius anni acta altera Epiſt. 129. (in Baller. 159.) ad Nicetam Epiſcopum Aquileienſem.

t) Vaſari in Vita Raphaelis (P. III. p. 109. ed. Bottar.) *Leone III. il quale lo caccio con le ſole benedizioni.* quod vtique inuentum foret Raphaelis ingenio non indignum. Sed de eo vix cogitare ille potuit, cum Apoſtolorum viſu terreatur rex, non benedicentis adſpectu, a quo adeo auerſa eſt facie. Idem Vaſari, qui male ad Montem Marium, adeoque ad vicina Romae loca, interuentum Regis reuocat, laudat nonnulla tanquam principe loco, quae alii reprehendunt; laudat Apoſtolorum ſpecies ad terrendum aptas, laudat Attilam cum equo; tanta iudiciorum etiam inter artis peritiſſimos eſt diuerſitas! verum auctoritatem maiorem minoremue facit non ipſa res, ſed hominum opinio. Ipſe Raphael Pontifici adiicere maluit ea, quae Attilae ſubduxit, vt Leonis potius nomine, quam Attilae, tabula inſignienda eſſe videri debeat.

Digitized by Google

pone regem ſigno diſceſſus dato tergum vertentia, ita vt ea, quae paullo poſt facta ſunt, ad hoc ipſum facti momentum aſſumſiſſe artifex ingenioſus videri debeat. Vnum Attilam Apoſtolorum ſpecies conſpicatum credere licet; reliquorum ora ſaltem in regem conuerſa repentinum eius pauorem animaduertere expectares; enimuero in Leonem oculi animique omnium verſi ſunt. Ocurrere autem putanda eſt legatio Attilae in medio itinere, agmine profectionem faciente: ita vt Leo mulo et Attila equo inſidentes exhiberi poſſent: hic quidem merito, cum ipſe, Hunnorum ſuorum exemplo, vix vnquam equo deſcenderet, coenam equo inſidens caperet et dormiret. Sed plura alia commoda ad picturam res habuit: nam exercitum oſtentare, viros armatos exhibere, equos inprimis generoſos et ferocientes ſumma cum arte reddere licuit; etſi non definire audemus, vtrum in his Attilae equus ceteris inſignior ſit. Omnino duo Hunni armati adequitant longe ſpecioſiores rege, qui tantum non obſcurus in turba latet. Arma Hunnorum adumbraſſe fertur pictor ex Columna Traiani. Sunt alia ſimilia in Columna Theodoſii: quae an Raphaeli innoteſcere potuerit dubites. Gratificatum eſſe in nonnullis Leoni X. cuius iuſſu tabula illa picta eſt, cuiusque ſpeciem refert in ea Leo S., monitum eſt a multis *u*). Ceterum reliqua, quae ad artis praecepta

u) Sunt etiam delineationum, aere quoque redditarum, exempla, in quibus excluſo Pontifice ad Attilam rerum ſumma refertur; multo grauiore cum indicio: v. *Nachricht v. Künſtlern.* P. II. p. 466. et 7. *Richardſon* Deſcript. To. III. p. 393. *Bottari* in notis ad Vaſar. l. c. p. 109. 2.

cepta exigenda ſunt, diuinitus eſſe et inuenta et elaborata, conſenſu omnium conſtat.

Etſi Raphael tam praeclara pictura praeuerterat, non tamen deterritus eſt ſummus ſculptor Algardi, quo minus idem argumentum opere anaglypho exprimeret, quod in templo S. Petri aſſeruatur *x*), nec minus clarum illud tabula Raphaelis habendum; mirantur ii, quibus haec contemplari licuit, eminentes altius, quam facile quis credat, corporum, inprimis Attilae, ſpecies; earumque circumſcriptiones diligenter, diſpoſitiones prudenter factas; miram totius operis vim ad oculos et animos ſpectantium. Leonis ſpecies ei ſimilis, quem in numis *pacificatoris geſtum* appellant, ita vt Attilam aditu Romae tantum non interdicere videatur. Si ſequaris ea, quae de hoc anaglypho paſſim commemorantur, dubius haereas, an non in ſculptoria arte multo perfectius et abſolutius opus habendum ſit hoc, quam in pictoria alterum.

Altera Leonis ad Genſericum legatio minus clara vtilitatem maiorem habuiſſe videri poteſt. Caeſo Valentiniano Imp. ignauo homine, ab eius vidua Eudoxia, Maximo nubere coacta, arceſſitus Genſericus Vandalorum rex ex Africa a. 455. aduolauit, tanquam ad praedam paratam, et caeſo interea Maximo, ingreſſus Romam, vrbe per XIV. dies direpta,

x) elaboratum circa a. 1650. Innocentii X. iuſſu. vt diſcere licet ex *Giambatt. Paſſeri vite de' Pittori Scultori* etc. (Ro. 1772) p. 206. 7. vt adeo hinc emendandus ſit *La' Lande Voy. en Italie* To. III. p. 105. qui annum 1640. edit.

direpta, in Africam rediit: Cuius ſtuporis niſi innumera ſupereſſent exempla, quis tandem crederet aut mulierculae ira et odio occaecatum animum tantam cladem in tantum populum deriuare, aut regem victorem vrbis direptae ſpoliis exultantem diſcedere, quam Italiam in ditione retinere, maluiſſe. Verum ingreſſuro vrbem Genſerico obuius factus Leo, deueneratus regem, obtinuiſſe videtur, vt ne caedibus et incendiis ſaeuiretur, ſed contenti eſſent barbari, ſi agere et ferre omnia, populari ac diripere contigiſſet. *y*) Innumera tum praeſtantiſſimae artis opera periere, partim a barbaris direpta et corrupta, partim in Africam aucta: e quibus magnam partem fluctibus ſepultam eſſe conſtat. *z*) Etſi enim nos miſeri mortales tantum in artibus humanitatis praeſidium poſitum eſſe arbitramur: aeternae tamen Prouidentiae conſiliis ſummorum ingeniorum opera non maioris eſſe momenti apparet, quam noſtris iudiciis aranearum telas aut veſparum apumue cellas.

Verum

y) Proſper Chronic. ſub f. *Poſt hunc Maximi exitum vrbem omni praeſidio vacuam Genſericus obtinuit, occurrente ſibi extra portas S. Leone Epiſcopo: cuius ſupplicatio ita eum deo agente leniit, vt, cum omnia poteſtatis ipſius eſſent, tradita ſibi ciuitate, ab igne tamen et caede atque ſuppliciis abſtineretur.* Eadem fere in *Hiſtoriis miſcellis* p. 98 b. Idatius Chronic. ad h. a. vrbis captae ac direptae meminit, de Leone nil commemorat, vt nec Marcellinus Comes ad h. a. nec Caſſiodorius et alii. Tam parum de ſummis rerum momentis laborare videntur hi homines, e quibus nobis omnis horum temporum hiſtoria eſt haurienda.

z) Plura de his apud Procop. de B. Vandal. 1, 4. 5. Theophanem Chronograph. p. 74. 75 ed. Ven. quae cum aliis exſcripta proſtant apud Murator. Annal. ad h. a. Ritter. ad Guthr. To. V. P. I. p. 268. et al.

Verum miſſas faciamus tandem legationes Leonis; ableganda enim eſt haec ipſa pagina ad Vos, Princeps Sereniſſime, Comites Illuſtriſſimi, Generoſiſſimi Barones et Nobiles, Ciuesque ſeu proſapiae generoſitate, ſeu, quod multo maius eſt, ingeniorum animorumque nobilitate commendabiles, vt, ſi placeat, ad ſollennia craſtino die, qui almae huius Academiae dies natalis eſt, celebranda frequentes adeſſe velitis. Ducta in templum Academicum pompa habebitur ex more oratio ſollennis, nunc quidem a Profeſſore eloquentiae, qui vobis *litterarum ſtatum, ad quem illae ſaeculo vno et altero interpoſito, ſub annum* cIↄcIↄ *adductae erunt*, delineabit; eum ſi non Calchantis more vaticinantem, ſaltem fabulam Mileſiam narrantem audite; tum, id quod grauius eſt, agentur Deo O. M. gratiae pro beneficiis in rem noſtram et academicam et litterariam cumulatis. Vos, o noſtri, diuini Numinis prouidentiam veneramini, et tot bonis ita tandem non indignos vos fore arbitramini, ſi recte iis vti didiceritis. PP. in Georgia Auguſta Kal. Septemb. cIↄIↄCCLXXXII.

Epime-

Epimetrum.

Ad notam (*a*) dum animus adhaereſcens fluctuationem in re incerta et obſcura aegre ferebat, pertinaciter inueſtigando bonam horulam perdere placuit; adiuti itaque amica et ſedula opera *Diezii*, qui tum inter viuos erat, coniunctiſſimi Collegae, eo peruenimus, vt ſequentia explorata habeamus.

Fuit *Nicolaus de Caſola Bononienſis*, qui circa a. 1358. poema ſcripſit lingua Francica, (non Prouinciali) quod binis voluminibus ſeruatur in Bibliotheca domus Ateſtinae, cuius initium vulgauit *Muratorius* in *Antichità Eſtenſi* P. I. praef. p. XX. Inſcriptio eſt: *Liber primus Atile Fragelli Dei translatus de Cronica in lingua Francie in MCCCLVIII. per Nicolaum olim D. Iohannis de Caſola de Bononia.* Heros princeps huius carminis, in gratiam gentis Ateſtinae et Bonifacii Principis ſcripti, eſt Foreſtus Princeps Ateſtinus; ornantur res, partim forte ex antiquioribus fabulis petitae, in fabulae Romanenſis heroicae morem. Ex eo carmine ductus eſt liber is, quem 1568. 4. Ferrariae impreſſum diximus, *La Guerra d'Attila, Flagello di Dio. Tratta dallo Archiuo dei Prencipi d'Eſti:* recte vltima haec, quatenus Mſ. apud gentem illam ſeruatur; ſed commentitium eſt, forte tamen et hoc ex vetere Mſ. mutuatum, quod in praefatione legitur: *che ſendo ſtata ſcritta in latino per Tomaſo d'Aquileia, ſecretario in quel tempo del Patriarca Niceta, fu dipoi traportata in lingua prouenzale da Nicolo da Caſola Bologneſe.* Fuit autem ex Caſola conſcriptus liber a *Io. Bapt.* *Pigna,*

Pigna, vt proluderet operi quod tum parabat: *Hiſtoria de Principi di Eſte*, (Vinegia 1572. 4.) Haec quidem didicimus ex *Muratorio* l. c. *Fontanini dell' Eloquenza Italiana* lib. 1, c. 13. p. 42. et p. 574. quem emendauit in nonnullis *Apoſtolo Zeno* in noua edit. To. II. p. 191. cf. *Götze Merkwürdigk. der Dresdn. Bibl.* To. III. p. 346. *Tiraboſchi ſtoria della Lett. Ital.* To. V. p. 377. nihil de ſuo attulit.

Sed idem Praeſul doctiſſimus Fontaninius alium librum Romanenſem *Guerra d'Attila*, Francice, ſed in proſa, ſcriptum Saeculo XIV. qui ſervatur Patauii in Bibliotheca Canonicor. regular. Laterani, inſpexit. Eſt in eo heros primarius *Panducco;* (cum apud Pignam Panduto ſit patruelis Attilae.)

Diuerſus tamen etiam ab hoc eſt tertius ille libellus, quem in nota (*a*) laudauimus 1421. ex Francico latine factus et Venet. 1477. expreſſus. In eo eſt adhuc Ianus rex Paduae (*re de Pataſſia*) qui in Caſola *Giglio* eſt, *prima detto Iano.* Nec quisquam eius meminit; etſi titulum in *Maittaire*, ſed falſo a. 1472. adſcripto, reperimus.

Vulgares tamen fabulae, quibus contaminata eſt hiſtoria Italiae, vt apud *Scardeonium* de antiqu. vrb. Patav. p. 169. 358. *Sabellicum* de vetuſtate Aquileiae lib. III. et alios, *ex Caſola* petitae et diſſeminatae eſſe videntur.

IX.

IX.

ACADEMIAE GEORGIAE AVGVSTAE
PRORECTOR
IOAN. CHRISTOPH. GATTERER
CVM SENATV
SVCCESSOREM
IN
MAGISTRATV ACADEMICO
IOAN. BENIAMIN. KOPPE
CIVIBVS SVIS
COMMENDAT
IN A. D. II. IVLII cIↃIↃCCLXXXIII.

De belli Romanorum ſocialis cauſſis et euentu, reſpectu ad bellum cum Coloniis Americanis geſtum habito.

Quod a multis inde annis prouideri potuit, et a nemine paullo ſagaciore non prouiſum eſt, colonias Americanas aliquando imperium Europae eſſe detrectaturas, nec, re ſemel tentata, conatus facile ſucceſſu carituros: id noſtra aetate eueniſſe cum videamus, Comilitones, ea res ſaepe, cum a belli inde initiis, tum in progreſſu et exitu, belli Socialis fortunam cauſſas et euentus in animum reuocauit; quod cum Sociis et Coloniis a Romanis geſtum, a ſimilibus cauſſis profectum, multa habuit, ſeu viciſſitudines et exitus, ſeu vitia et pec-
cata,

eata, ſeu conſiliorum in nonnullis leuitatem in aliis inconſultam pertinaciam ſpectes, quae inter ſe cum fructu comparari poſſint. Vt igitur ii, qui nos legunt, haec cognoſcere ſuique ipſi iudicii trutina curatius expendere poſſint, agedum, impoſito hoc praefandi munere, belli huius Romanorum graviſſimi ortum, cauſſas et euentus, tanquam in tabula proponamus; nam vt res in eo bello geſtas ſigillatim recenſeamus, aut vt noſmet ipſi comparationem, quam diximus, adhibeamus, id nec loci, nec perſonae noſtrae, nec temporis huius eſſe manifeſtum ſit.

Summa cauſſarum, a quibus belli Socialis ortus duci debet, ad hoc vnum reuocari poteſt, quod Socii et Coloniae aequo iure vti, Romani in eos dominari, aequa iuxta et iniqua imperare, vellent. Deploranda eſt fortuna imperiorum, quae, vi et armis in magnam molem cum coaluerint, non niſi vi et armis, ne dilabantur, contineri poſſunt. Natum ex iniuria ius non niſi nouis iniuriis defendi poteſt. Quod ſi temporum viciſſitudines ſenſum iniuriae, qui, niſi ipſa ſeruitute in bruta conuerſi ſint homines, nunquam animis extinguitur, non tam prouocant, quam vt liberius prorumpat viam faciunt: tum ea, quae male coiere, leui motu ſuccuſſa rumpi neceſſe eſt. Spectant ſapientiores ad ius aequum recuperandum, vulgus vecors et temerarium ad eandem vim et iniuriam, quam ipſi depulerant, aliis inferendam ruit. Inter haec res in eum ſtatum adduci ſolent, vt recte faciendi aut conſulendi ne quidem locus relictus ſit. Ita cum

 longo

longo vſu firmatum Romanorum in Socios eſſet imperium, poſtulari aut expectari ab iis nunc non poterat, vt illud repente dimitterent, iisque, in quos ſub miti Sociorum et Coloniarum nomine grauem dominationem exercebant, ius aequarent: Contra nec Socios iniqua aut facere aut petere diceres, indignum eſſe ratos, ſuis viribus et opibus imperium ſuſtentari, cuius ipſi ſint expertes; ſe delectibus, ſtipendiis, tributis exhauriri, vt alii praeda, agris, prouinciis locupletentur; vtque totius terrarum orbis ſpolia in vnam vrbem luxu et auaritia perditam conuehantur, ſe fortunas, ſanguinem, vitam impendere, coniugibus liberisque ſuis macie et ſqualore deformibus interea vix, vnde vitam miſeram ſuſtentent, ſupereſſe. Inter haec, quod vix aliter fieri ſolet, vtraque pars ſuum tantum ius animo voluere, eius, quod in altera cauſſa iuſtum ineſſet, non modo immemor eſſe, verum etiam, quicquid ex eo iure dictum vel factum eſſet, ad iniuriam trahere, et poenis ſuppliciisque dignum id vociferari. Quod itaque etiam moderatis et prudentibus viris in tanta iuris ambiguitate per ſe difficillimum videri debet, iuſti et iniuſti limites in medio conſtituere et vtrinque quantum fieri poteſt iura et poſtulata eo dirigere, cum vtrique cauſſae aliquid iuſti et iniuſti ineſſe arbitrandum ſit; id in tantis animorum iris et odiis multo minus fieri potuit Romae. Superbe et contumelioſe reſponſum Sociis; ita multo magis exaſperati ſunt animi iniuriae ſenſu iam ante incenſi; altera ex parte cum in eos, quos contemnere aſſueviſſent, Romani nec conſilii ſatis nec virium adhiberent: intra breue tempus pro contemtis et deſpectis

ſpectis timendos ſibi et, vt cauſſa, ita viribus, ſuperiores hoſtes reddiderunt. Verum progrediendum eſt ad ſingula, quae cauſſas et ortum belli Socialis continere videri debent.

Semina quidem eius prima iam ab illo tempore, quo Romani imperium in Socios affectarunt, ſparſa ſtatuere licet. Alba Longa, e qua triginta coloniae erant deductae, a Romanis capta et diruta, ipſi in metropoleos locum, a qua et ipſi prodierant, ſuccedere et principes Latini nominis haberi voluere. Id a Seruio Tullio tentatum, mox a Tarquinio II. perfectum a). Prima foederis lex, vt copiae a Sociis, quoties Romani indicerent, mitterentur: qua in re prima potentiae Romanorum reip. initia et fundamenta ſcriptores agnoſcere debebant. Varie foedus hoc modo ruptum modo renouatum; inque diuerſa bellorum fortuna aliis aliae leges foederis ſcriptae ſunt; vniuerſe tamen hae: vt ſuos agros, ſuas leges, ſuos magiſtratus ciuitas quaeque haberet, vt tamen maieſtatem populi R. reuererentur, bellum ipſi ne' gererent nec publice legatos mitterent; at Romanis bellum gerentibus auxilia e formula foederis mitterent, copiarum numero aliis ciuitatibus aliter conſtituto; vt ad haec certa ſtipendia et tributa perſoluerent; vno verbo, quod nos ſolemus dicere: relictum illis cum iure priuato ius publicum internum, ademtum cum iure ſupremo externum. Cum igitur ſuae quisque ciuitatis legibus, iuribus ac moribus viueret: ciuitatis Romanae iuribus excluſi erant omnes, nihilque adeo conſe-

a) Liv. I, 50—52. Dionyſ. IV. 45 ſq.

qui poterant eorum, quae ciuitatis Romanae iure Romanus habebat, vt nec ſuffragium ferre Romae liceret, nec magiſtratus petere, nec iura ſacrorum, connubiorum, militiae in legionibus, nihil eorum omnium appetere, quae Romae ad ſtatum publicum vel priuatum ciuis pertinerent. In ſua itaque vt ſe contineret quisque ciuitate, neceſſe erat; nec iniquum id haberi poterat, niſi forte ab iis qui, in ſua ciuitate principes copiisque et opibus praepotentes, ad altius fortunae faſtigium viam ſibi interclusam viderent; reliquum vulgus nihil quod conquereretur habuit, niſi cum ſtipendiis tributisque attritum ſe ad alterius populi lubidinem et auaritiam videret. Poſtquam enim Romani arma extra Latium per Italiam circumferre coeperant, aliae ciuitates in deditionem venere, ſeruitutis iugo accepto; nullum autem, quod ſatis conſtat, eſſe ſolet grauius iugum aut durius, quam quod a liberis populis et ciuitatibus imponitur; aliae foederatae factae, ſpecioſo Sociorum nomine impertito; legibus quidem valde diuerſis, aliae iure aequiore, aliae iniquiore. Erant illis pleraque communia cum Latinis, et primo loco, vt maieſtatem populi R. comiter haberent, quod et in nonnullis pactionibus diſerte adiectum; vt nec bellum gererent, nec foedus cum aliis populis facerent, vt copias mitterent, tributa penderent, et ſic porro; alia tamen erant ſingularia et cuique ciuitati propria e lege foederis. Ita poſt Latinos appellati Socii; Italici ſcilicet nominis; et natum hinc nomen iuris Latini et Italici, reſpectu nimirum ad ius ciuitatis Romanae facto. Cum ſuis legibus vterentur Socii, interdum tamen leges Romanas,

manas, iuris puta priuati, ipſi recepere, ſi fundi fierent, hoc eſt ipſi ſibi auctores eſſent; interdum ex magiſtratibus geſtis viri principes, aut etiam totae ciuitates foederatae, modo foedere, modo beneficio et lege P. R. ciuitatem Romanam conſequutae ſunt; etſi et hoc diuerſis iurium gradibus: vt ſine ſuffragii iure aut cum eo, ſi Romam veniſſent; cum iure honoris petendi, et ſic alia. Ita Tuſculanos omnia iura ciuium Romanorum habuiſſe conſtat; vt adeo eos binas ciuitates, binas patrias, habuiſſe dicendum ſit. In omnia tamen municipia ius Romanorum erat ſummum, ita vt delectibus, ſtipendiis tributisque, quicquid ſeu in vrbe ſeu in Italia, poſt extra Italiam eſſet, teneretur. At Coloniae etſi ad reip. R. formam et exemplum conſtitutae et e ciuitate quaſi erant propagatae, iura tamen inſtitutaque omnia e lege coloniae et formula, non ſui arbitrii, habebant, Romae autem ius nullum nec ſuffragii nec magiſtratus petendi aut aliud; iisdem imperatae copiae, ſtipendia, tributa e SCto.

Quod ſi Romani fortuna ſua vti ſciuiſſent, aut ſuas opes intra Italiae fines continuiſſent: ſatis laeta et florens eſſe poterat hominum ſuo cuiusque loco ſors et conditio. Id vero maioris quam pro humani ingenii modulo ſapientiae et moderationis exemplum minime a Romano expectares. Agris neglecto cultu ſqualentibus aut in villarum latifundia conuerſis, plebe omnium rerum penuria laborante, diuitibus regias opes in peſſimam luxuriem effundentibus: vnde ſeu inopiam ſeu luxum ſuſtentarent, vt ſuppeteret, ex aliorum populorum depraedatione

et regnorum latrociniis quaerebatur. Inde bella continua, extra Italiam geſta, quibus Italia viris opibusque exhauſta in ſolitudinem verſa. Exinaniri et expilari orbem terrarum diceres, vt in paucorum potentium domos, quicquid vsquam eſſet, conquireretur et cumularetur. Socii et Coloniae, delectibus, ſtipendiis et tributis attritae, non vt ſuas res augerent, ſed vt dominorum ſuorum auaritiam et libidinem explerent, malorum remedia circumſpiciebant. Ea quidem in iure aequo reſtituendo poſita eſſe facile quisque animaduertebat. Latini quidem bella geſſere cum Romanis, ſaepius iterata, eaque exitioſa et interneciua, non alia de cauſſa. His tamen maxime annis, quibus res ad bellum Sociale ſpectabant, omnium populorum et ciuitatum conſenſus fuit eam in rem, non aliter ſaluos eſſe ſe poſſe niſi aequato inter omnes ciuitates iure, vt ne eſſent alii qui imperarent intolerabilia, alii qui imperata facerent, ſed vt, quemadmodum labores et diſcrimina, ita et praemia, eſſent omnibus communia. Erant e Romanis haud pauci qui iuſta peti et intelligerent et faterentur; Italiae enim conditio erat longe triſtiſſima: nam, praeterquam quod, vt diximus, poſt bella primum cum Romanis geſta, mox Pyrrhi et Annibalis, in ſingulos fere annos delectibus, ſtipendiis et tributis imperatis exhauſta erat copiis; ager a diuitibus occupatus per ſeruitia colebatur, quod et tutius et fructuoſius erat dominis, inprimis cum illa eſſent immunia a militia; ita per infrequentiam vrbium et agrorum tanto grauius onus deuolutum erat in paucos qui ſupererant ingenuos, ad eadem imperata praeſtanda, quae antea,

quadru-

quadruplicato hominum numero, aegre ſuſtentari poterant. *b*) Si qui erant, quibus paruus ager eſſet, ab iis propter inopiam ille non bene coli, alienus autem in tanta ſeruorum copia conduci haud poterat *c*). Nec tamen tantarum miſeriarum et aerumnarum modus qui futurus eſſet, apparebat;

K 4 nam

b) Multa de reip. Romanae inſtitutis praeclaris praedicari ſolent: nec refragamur multa praeclare inuenta et excogitata eſſe in eorum vtilitatem, quibus fortuna hoc dedit, vt in imperantium partibus numerentur; enimuero finge te inter eos fuiſſe, quibus imperata faciendi ſors et conditio contigerat. Si rerum veritatem non opinionem ſequendam duxeris, fatendum eſt, in iis quae ad ſocios et ad prouinciales ſpectant, Romanos nec arte nec conſilio praeſtitiſſe Othmanis aut vllo alio barbarorum genere. Nam et Othmanorum haec ſapientia fuit, vt ad ſummam ſimplicitatem conſtituerent imperii formulam, vtque prouinciis tributa imperarent ab initio tolerabilia, quam diu priſtina terrarum cultura vigeret: Enimuero, per ipſas rerum vices, multo magis per imperantium ſocordiam et eorum, qui in prouincias cum imperio miſſi eſſent, auaritiam et rapinas interdum etiam per temporum neceſſitatem, attritis et exhauſtis prouinciis, in ſolitudine et penuria omnium rerum, exiguntur eadem tributa, quae perſoluenda erant opibus hominumque frequentia iisdem affluentibus, plerumque adeo maiora, vrgentibus imperiorum neceſſitatibus. Quo ipſo fit, vt, quo diuturnior fuerit ſeruitus, eo fit intolerabilior; vt intra duo vel tria ſaecula vaſtities obtineat agros frequentia ac cultura inſignes; vtque paullo poſt ſuo ipſa ſe gladio iugulet imperium magnis opibus ſubnixum. Inter Praetores Legatosque et Paſchas Othmanorum quid diſcriminis intercedat, nemo facile docuerit. Neque aliter in magnis imperiis vnquam res poterunt eſſe conſtitutae: mole ſua labefactari eas, mox ruere neceſſe eſt; nullam que adeo maiorem calamitatem praeſentiusque exitium generi humano parari poſſe, quam magna imperia.

c) De his v. Appian. b. Ciu. p. 605. Plutarch. in Gracch. p. 826.

nam res publica inter bella aliud ex alio continuata aliter ſuſtentari non poterat, potentium autem cenſus his ipſis latifundiis, quibus Socios aut vis aut neceſſitas deiecerat, aeſtimabatur; itaque nec Senatus aut miſeratione aut aequitate permotus vnquam ſuccurrendum eſſe cenſuiſſet, niſi priuatorum nonnullorum modo vtilitas modo cupiditas, non Sociorum cauſſa, meliora ſuaſiſſet. Nam factioſi homines aucto per nouos ciues ſuffragiorum numero ſe in comitiis regnare poſſe videbant; implicabatur porro Sociorum poſtulatis legis agrariae et iudiciariae contentio iam inde a Tib. Graccho, multo magis decem annis poſt a Caio (a. 632. v. c.) ita vt ille id ageret, vt Sociis Latinis, tum Italici nominis, aeque ac ciuibus Romanis ius Romae ſuffragii ferendi eſſet *d*); cum interea (a. 629.) M. Fuluius Coſ. Socios palam ad ciuitatem petendam concitaſſet, latis quoque legibus de ciuitate Sociis danda, quibus agri dari non poſſent. Quibus conatibus Senatus acriter cum obſtitiſſet, de defectione clam inter Socios eſt agitatum. Conſequutum eſt id, quod per omnes humani generis annales factum videmus, vt ii, quos aliena iniuria, ſuperbia et crudelitas, vt vltima experiri malint, adegit, tanquam ſceleſta et nefaria auſi poenis ſuppliciisque coercerentur. Oppreſſae Aſculanorum et Fregellanorum coniurationes, antequam conſilia ſatis maturuiſſent, a L. Opimio Praetore. Exulcerati denuo, temerario conſilio, Sociorum animi Lege Licinia Mucia a. 659 de ciuibus regundis, ex qua remiſſi in ſuas ciuita-

d) Inpr. Plutarch. l. c. καὶ τοὺς Λατίνους ἐπὶ πάντας (leg. ἐπὶ πάντα) ἐκάλει τῶν Ῥωμαίων etc.

ciuitates qui Romae ſe pro ciuibus gererent nec ciues eſſent. Ita tandem malum, quanto aegrius fuerat repreſſum, tanto maiore erupit impetu a. 663. cum M. Liuius Druſus Trib. pl. vnum id agens, vt Senatui iudicia redderet, grauiſſimum ratus ad obtinendum id, quod volebat, ſi plebem ſibi deuinciret, primo legem agrariam et frumentariam tulit, mox, vt ſuffragiis vinceret, Sociis Latini nominis Italicisque populis ſpem oſtendit ciuitatis dandae. Intercepit rogationem mors eius repentina. Ita vero Socii, qui Fuluium, Gracchum, Druſum, ſuae cauſſae patronos, trucidatos viderant, conſilia inter ſe inire, vim parare, in arma ire. Praecipitauit conſilia inimicorum Druſi cupiditas, quorum opera factum, vt vno SCto omnes Druſi leges abolerentur, tum inprobiſſima lex Varia de maieſtate (ſub eiusd. a. 663. exitum) qua quaerere licebat de iis, quorum opera conſilioue Socii contra populum R. arma ſumſiſſent *). Vix quicquam cogitari poterat magis inconſultum, et a temporum ratione et conditione reipublicae magis alienum. Adeo ruebant omnes ad malum exacerbandum, cui ſanando iam ante, cum tolerabile eſſet, nulla reperta erat medela. Interea diſtrictis per internas diſcordias et iudiciorum metus animis non animaduerſum, quam late mali labes manaret quantasque vires ſumeret, quas primo gliſcente morbo cum aegre ſuſtenturi eſſent Romani, mox, cum ipſo tempore primoque ſucceſſu inualuiſſent, ferro flammaque multo minus erant reſtincturi. Conſtituta a Sociis

K. 5. noua

*) V. Appian. l. c. p. 632. 3. vbi *τοιωνδε και τοσωνδε ειργασμενων ανδρων* leg. *τοσαδε ειργ.* (et ſic ed. Lipſ.)

noua reſpublica, cuius caput Corfinium erat nunc Italica dicta; Senatus D. virorum, bini quotannis coſſ. XII. praetores; adminiſtratae res prudenter et vigilanter, acti delectus, coactae pecuniae, curata omnia, quae ad bellum eſſent neceſſaria. At Romam cum haec eſſent nuntiata, alii conatus Sociorum tanquam temerarios irridere, vecordiam hominum et ſtoliditatem exſibilare, alii truculentis dictis factisque audaciam caſtigare, rem indignam rati, quod homines, qui adhuc Sociorum nomine habiti erant, ſibi ciuibus Romanis aequari vellent; alii periculi magnitudinem diſſimulando eleuare, vires imperii in maius efferre, Sociorum res contemtu deprimere, furorem increpare, inuidiam iis et odia, vndecunque res daret, excitare. Ita miſſa Romam legatio, ſuperbe accepta, mixtas contemtui minas renuntiauit. Non quidem deerant, qui mitiora ſuaderent, et erant multi e Romanis conſanguinei et affines vſuque et neceſſitudine cum iis iuncti in quos nunc arma erant ſtringenda; nec ab vero abhorret, quod narratum eſt, clandeſtina cum hoſtibus conſilia a nonnullis eſſe agitata; pleroſque tamen metu conticeſcere, interdum etiam, ne in ſuſpicionem venirent, grauiora quam ceteros ſtatuere videres.

Verum nec moderatiores inter Romanos, etſi intelligebant aequa eſſe quae poſtulabantur, vnde iis ſatis fieri poſſet, reperiebant. Si, quod petebatur, datum eſſet: aucto in immenſum ciuium numero turbari ſuffragia factionibus et ſeditionibus, ruere remp. ad extremam perniciem, praeuidebant.

Sin

Sin negatum: quanta clades et vaſtatio Italiae, quae calamitates et excidia, etiam earum vrbium, quae in fide manſiſſent, ipſi vrbi quantum diſcrimen imminebat! concurrere armis cum Romanis populos, iisdem inſtitutis, pari militiae vſu et diſciplina, nec ſcientia rei militaris aut virtute inferiores, numero autem, vt cauſſa, ſuperiores. Nec tamen aut differre rem aut media conſilia ſequi licebat, vt alteri detraheretur, quod alter ſibi adiici volebat. Omnino rebus ſemel in praeceps adductis, qui mediocria ſuadent, vtrisque partibus ſunt ſuſpecti mox exoſi. Nec compoſitis ad tempus rebus ſuccenſa iniuriis ac ſuperbia odia aut retundi aut reſtingui poſſunt, quin mox recrudeſcant. Adeo, ſi ſemel a iure et aequitate receſſeris, fruſtra circumſpicias veſtigium, cui recto talo inſiſti poſſit.

Cum paratiores ad bellum eſſent Socii quam Romani, ſatis aduerſa belli primordia his fuere; ipſe Coſ. P. Rutilius (a. 664) clade accepta ex vulnere deceſſit; alter L. Iulius, cum feliciter primo pugnaſſet, inſidiis circumuentus ipſe aegre fuga eſt elapſus. Hic ſucceſſus, et ipſa belli iraeque contagio, mox in armorum ſocietatem traxit alios, alios iuuentutis et vulgi temeritas, alios metus. Repreſſi tamen Vmbri et Etruſci, et arma manibus excuſſa. Nihilominus tanta erat belli moles, vt altero iam anno Senatus, cum remp. ei ſuſtinendae haud parem eſſe cerneret, antequam extrema experiretur, concedendum eſſe ratus, L. Iulium coſ. legem ferre iuberet, vt, qui ad eum diem populi per Italiam iura foederis ſancta atque inuiolata habuiſſent, ciues Romani

mani fierent. Ex hac lege quam tempora expreſſerant, non aequitas et moderatio, vniuerſo Latio et quibusdam Etruſcorum ciuitas data.

Hac Senatus prudentia belli impetus retundi coepit; nam non modo veteres Socii hoc beneficio artius fuere deuincti et dubii in fide retenti, verum etiam qui in armis erant ad ſpem ſimilis gratiae erecti *). Nec ſequentibus quoque annis melius remedium malo repertum. Nam ſtatim anno altero (a. 665.) Lex Plautia Papiria lata a M. Plautio Silano, C. Papirio Carbone Tribb. pl. qua cautum, vt, qui foederatis ciuitatibus adſcripti eſſent, et, cum haec lex ferretur, in Italia domicilium haberent, ſi LX. diebus apud Praetorem nomen profiterentur, ii ciues Romani optimo iure eſſent.

Interea bellum non modo continuatum, verum, vt fit, omni crudelitatis et ſaeuitiae genere exacerbatum; clades vltro citroque illatae et acceptae; recepti in fidem a Romanis Peligni, Veſtini, Marſi; Aſculum a Cn. Pompeio Strabone Coſ. (665.) vi captum, in captos ſumma cum immanitate ſaevitum. Alia ex parte mutua fraude et dolo multa vtrinque vulnera inflicta; malignitate et odio atrociora etiam, quam quae fiebant, nuntiata; incuſata improbitas hoſtium, dum, quae ab amicis, etſi flagitioſiſſime, facta eſſent, non excuſabantur modo, verum, tanquam praeclare adminiſtrata, laudibus efferebantur. Romani praecipuam operam id dabant, vt paſſim per ciuitates diſcordias ac factiones princi-

*) Appian. l. c. p. 649.

principum ſererent ac fouerent; proditione, perfidia, inſidiis, iidem non minora exequebantur, quam armis; at detectis ſeu euentu ſeu proditorum leuitate conſiliis fama eorum non minus laborare coepit quam fides; qua ſemel amiſſa nihil quicquam vlli regno ſatis fidum ac tutum eſſe poteſt. Nunc tandem, quod diu expectaueras, Socii auxilia externa circumſpicere; miſſi legati ad Mithridatem imperio Romano tum imminentem, et foedus petitum. Sane nimis longinquum erat iter, multis populis et terris interiectis, quam vt in Italiam copias adducere liceret; ſed, dum bellum in Aſia mouebatur, ſatis id ad diſtinendas Romanas vires et abſtrahendas ab Italia viſum. Nec euentus regem fefellit.

Infregit bellantium ſtudia Sullae aduerſus Mithridatem profectio. Suſtinebant tamen bellum adhuc Samnites et Lucani cumque his aliae Italicorum populorum reliquiae. Iterum grauius exarſit incendium primo Sulpicii, tum Cinnae conatibus, qui (a. 667.) Capuam profectus Latinos excitauit ad rebellandum. Senatus, Sulla abſente cum exercitu, praeſidium ſuis rebus aduerſus Cinnam et Marium, quem is ad ſe aduocauerat, nullum ſupereſſe videns, edixit, vt Italicis omnibus, modo arma poſuiſſent, ciuitas daretur. Acceptum beneficium a Lucanis. Samnites et hoc et maioribus praemiis allectos in ſuas partes traxit Cinna. Ita potentium diſcordiae et ſeditiones, bello Sociorum per aliquod tempus ſopitae, ex hoc ipſo bello mox nouarum turbarum alimenta petiere, exercitusque inde comparati, quibus in mutuam perniciem concurri poſ-

poſſet *). Sulla rebus cum Mithridate compoſitis Italiam ingreſſus (a. 672.) cum Italicis populis, ne timeretur ab iis, velut erepturus ciuitatem et ſuffragii ius nuper datum, foedus percuſſit **). Implicata inde mutuis cladibus belli ciuilis Italia, et excidiis, direptionibus, vaſtationibus, deleti Italici, ſeu victrices ſeu victas partes eſſent ſequuti. Mox Sulla victor ademit plerisque ciuitatibus ciuitatem et agros, vt haberet quos aſſignaret militibus; deductae coloniae militares XXIII. iisque agri diviſi. Ita ius aequum Sociis negatum excidium ipſis et Romanorum libertati diem extremum attulit ***).

Quae adhuc de bello Sociali narrata ſunt ſi quis animo reputet, is intelliget, non tam dedecori quam gloriae et laudi Britannis eſſe, quod Coloniarum conatibus tam diu reſtitere, et ſeptimo demum anno conceſſere id, quod Romani tanto maioribus opibus inſtructi vix in tertium annum diſtulere. Quid enim? an poſtulari poterat, vt cum prima ſtatim compellatione de iure ſuo decederet Britannus? et, ſi facere ac manus victas confeſtim

*) Eſt hoc illud, quod Appian. p. 629. *ληγων δε και όδε στασεις τε αλλας και στασιαρχας δυνατωτερους ανεθρεψε.* cf. de Cinna Vellei. II, 20.

**) Liv. epit 86.

***) Bene hinc Vellei. II, 17. Italico bello, *quo quidem Romani victis adflictisque ipſi exarmati* (lego *exarmari*) *quam integris vniuerſis ciuitatem dare maluerunt.*

ſeſtim dare voluiſſet, annon muliebrem ignauiam et pauorem omnes clam palamque incuſaſſent? annon pro virtutis, fortitudinis, conſtantiae laude, quae vel victis ſolatio eſſe poteſt, et cuius ad populorum ſalutem, incolumitatem et dignitatem, tam magna vis eſt, quaque pop. Britannicus nunc cum maxime floret, inter imbelles et paratam iugo ceruicem oſtendentes populos annumeratus eſſet? Nunc tantum abeſt, vt iudicium totius Europae de ſe vlla indecore geſta re labefactarit, vt potius illorum ipſorum, quibus concedendum fuit, quod negabatur, memoriae tot et tanta fortitudinis et perſeuerantiae documenta infixerit, vt in ſua fortuna illi lubenter acquieſcant. Romani quidem minorem, quam expectares, ſapientiae ſuae fructum abſtulere, quoniam inteſtinis diſcordiis, paucorum opibus et potentia, et grauiore per omnia graſſante peſte luxu eiusque comite auaritia, nihil ſani in ciuitate erat relictum; ad bellum ciuile res ſpectabant; eodem mox inſequuto omnia peſſundata, nec quicquam ex ſuperiore tempore remanſit praeterquam vitia hominum et reipublicae.

Quo luxu, qua mollitie, quo otio, magnae ciuitates pereunt, eodem, Commilitones, non minus ſingulorum hominum fortunas, animi ingeniique non minus quam corporis vires, ſpes et vota parentum patriaeque, perire arbitraminor. Vt nulla reſp. diu eodem loco ſtare poteſt, quae cupiditatum et lubidinum illecebris et irritamentis abundat, contra omnis hominum virtus a continentia, frugalitate, temperantia, laborum tolerantia proficiſcitur:

ciſcitur: ita nec litterarum incrementa virtutumue firmamenta vlla eſſe poſſunt ſatis magna, vbi deliciis, otio, deſidia, languore, mollitie, animum infecimus; ſalus itaque et proſperitas Academiarum non minus quam rerump. in diſciplina publice priuatimque bene conſtituta et adminiſtrata cernitur; quae vt ſeuere vigilanterque adhibeatur, non magis reip. quam ſingulorum intereſt, ſi modo conſequi id, cuius cauſſa ad nos confluitis, volueritis. Obſequium itaque nullum graue et durum arbitrabimur, quod legibus, et magiſtratibus e lege agentibus, habetur. Quin amore et caritate rependimus curas paternas, vigilias, ſollicitudines eorum, qui, vt nobis bene ſit, haud raro melius, quam noſmet ipſi in nos ſtatueramus, laborant. Haec praeſtabitis, Commilitones, viris, alteri nunc magiſtratu academico decedenti, alteri eundem nunc ineunti. Habebuntur ei rei die craſtino ſolita ſollennia, et adibit magiſtratum Vir venerabilis, cuius bene de vobis merentis voluntatem et caritatem vel ex verbis loco ſacro ad vos factis perſpectam habetis,

IO. BENI. KOPPE,

ducetur in templum academicum pompa, habitisque ex more orationibus praeſtitoque iureiurando transferentur in eum noui honoris ornamenta et inſignia. Quod vt vobis fiat fauentibus et bona vota facientibus, hoc eſt, quod a Te, Princeps Sereniſſime, a vobisque, Comites Illuſtriſſimi, pro veſtra facilitate precibus noſtris haud aegre impetrabimus;

neque

neque veſtra ſuffragatione deſtitutos nos videbimus, Commilitones, generis et ingenii nobilitate ſuo quisque loco commendatiſſimi, et dabitis hoc precibus noſtris, quas nunc cum maxime adhibemus, vt frequentia veſtra, fauore, ſtudio, obſequii veſtri et amoris tanquam arrham et pignus habeamus certiſſimum ac fidiſſimum. PP. Kal. Iul. cIↃIↃccLXXXIII.

X.

ACADEMIAE GEORGIAE AVGVSTAE
PRORECTOR
IO. BENIAMIN. KOPPE
CVM SENATV
ANNIVERSARIA INAVGVRATIONIS
SACRA XXXXVI.
IN A. D. XVIII. SEPTEMBR. CIƆIƆCCLXXXIII.
RITE INDICIT.

Foederatarum rerumpublicarum coalitio vix vnquam ſatis fida exemplis ex antiquitate illuſtratur.

Nata ex tempore, coeuntibus in remp. foederatam prouinciis Americanis, Commentatio.

Cum multae ac variae res ſint, Commilitones, a quibus repetendae ſunt cauſſae, cur res publicae in eam, qua vtuntur, formam coaluerint; tempora, locorum ſitus, metus ab externis, rationes domeſticae, prudentia, temeritas, caſus ac fortuna; earum rerum publicarum, quae plures numero in commune foedus coeunt, et tanquam in eandem ciuitatem, etſi non iisdem moenibus incluſam, inque vnum corpus imperiumque conſociantur, cauſſa vix alia eſſe ſolet ac poteſt, quam vt, quod robur non habent ſingulae, id nanciſcantur vniuerſae in vnum

vnum corpus collectae. Nec vero eſſe poteſt quicquam prudentiae et ſenſus communis rationibus magis conſentaneum; animaduerſa quoque rei vtilitas per omnia tempora. Sed plerumque inſtituta fuit illa conſociatio tantum ad belli caſus; pauciora ſunt exempla ſimilis foederis in pacis quoque tempus initi, ad conſtituendam vnam remp. communem. Hoc tamen alterum genus vnice illud eſt quod nomine ſuo dignum habendum ſit, quodque habere videtur vtilitates tam eximias ac praeclaras, vt inter ceteras humani generis in ſocietatem conveniendi rationes et forma illa inprimis eminere putanda ſit. Cadere haec videntur inprimis in *ciuitatum ſeu rerump. liberarum conſociationes.* Cum enim in his in iuris aequalitate *a*) libertas ſita ſit, nec vero illa niſi in exiguis opibus, vitae ſimplicitate, morumque ſeueritate, adeoque in ciuitatibus eſſe poſſit, quarum fines, viri, copiae ſint modicae; eas autem carere neceſſe ſit iis opibus, quibus ad externos incurſus et iniurias propulſandas opus eſt: foederatae reſp. vtrumque conſequi videri debent, vt et libertate fruantur et viribus opibusque ſatis magnis. Ita et ſingulorum capitum libertatis naturalis quam minima portio detrahitur: et id quod detractum eſt, ſiue animi illud ac corporis viribus ſeu fortunarum expenſis praeſtandum ſit, ex reip. vtilitate et ſalute deſcriptum et circumſcriptum eſt; pericula ſeu communia ſeu ſingulorum depelluntur periculis communiter ac mutuo ſuſceptis; ſi in ſingulis ciuitatibus aut aliunde extiterit, qui

 liber-

a) ἰσηγορία. ἰσονομία. Aliud reip. genus conſtituebat conuentus Amphictyonum.

libertati inſidietur, communibus ille viribus opprimitur; omninoque tolluntur coniunctis mutuisque operis aut minuuntur mala, quibus nec vita nec ſocietas humani generis vacare poteſt, bonorum contra intercurſus eſt liberrimus. Cum his ipſis tamen bonis, niſi diuina aliqua ſapientia in conſtituendo foedere, aut ſingularis ſitus opportunitas contigerit, vix aliud eſt reipublicae genus, quod magis inſtabile, incertum ac precarium ſit, ſiue ad res internas ac domeſticas ſiue ad externam vim, cui occurrendum ſit, reſpexeris. Laxat copulata ipſum tempus; inprimis vbi tempora inciderint, in quibus collectis totius reip. viribus ad repentinos caſus opus eſt, cum res in praecipiti conſtitutae ſunt et momento interdum ſumma rerum inclinatur: tum conſiliorum et deliberationum lentitudo, diſcordiae, vtilitatum priuatarum aut ſingularum ciuitatum reſpectus, rebus gerendis moras iniiciunt exitioſas: quae forte aliquando magnorum virorum ingeniis et conſiliis ſuperari potuere: enimuero poſt longae pacis fructum, in rerum bonarum copia, luxu emollitis animis, virorum magnorum ſeges felix vix vnquam fuit; deficit quoque in multitudine ardor ille, quem interdum furorem dixeris, quo in libertate paranda inflammati erant animi; otio et luxu ad inertiam prolapſa ſunt omnia; militiae honor nullus, praemia nulla; itaque nec virtus, nec diſciplina; de ſua vtilitate ſollicitudo cuiusque maior quam de ſalute communi; inprimis vero vitia haec reip. in apricum proueniunt, cum tributa, multo magis ſi ſolito forte grauiora conferenda, militesque alendi et mittendi

mittendi ſunt: ad hunc ſcopulum illud rerump. genus plerumque fortunarum naufragium facit; tum de ſuis opibus partem in publicam vtilitatem concedere tanto facilius vnus quisque recuſat, quo magis libertatis praetexto nomine celare poteſt refragationem; nec tamen resp. habet vim eminentiorem, qua ad cogendum opus eſt, vt, quae publice ſalubria ſunt, curentur ab omnibus et in tempore; abit libertas in licentiam, et haec in anarchiam; ex hac quid ſequatur facile praeuideri poteſt. Agitant interea ciuitates cum publice tum priuatim diſcordiae, odia, diffidia inteſtina, obiurgationes et incuſationes mutuae; dum onus reip. ſuſtentandae vnaquaeque ciuitas in aliam transfert, vtilitates ſibi ſoli ſeruat; ita aliorum ſegnitie et cunctatione aliorum retunduntur ſtudia; ſoluitur foederis vis et natura. Elabuntur inter haec tempora agendi, ſuccedunt minus opportuna alia, inde in rebus agendis modo inertia, torpor, ſocordia, modo conſilia remiſſa, alio tempore tumultuaria, decreta praepoſtera, pleraque, etiam ſalutaria, alieno loco ac tempore acta; vbi totis viribus diſcrimini occurrendum erat, inprimis in rerum initiis, id quod exitioſiſſimum eſt, pauciores copiae in bellum miſſae; deficit vbique rerum gerendarum neruus, animorum virtus, copiarum apparatus, in vnum ductum et imperium conſenſus.

Poteſt quidem conſiliis prudentibus occurri aliqua ex parte malis his, maxime in ipſo reip. foedere conſcribendo; ſi poteſtas cum legum ferendarum, tum conſiliorum exſequendorum (veteres *ma-*

giſtratum appellabant) ſapienter ſit deſcripta, et haec ſenatus magiſtratusque vis ſatis virium et opum ad res iuſto tempore et ordine adminiſtrandas et ad cogendum, vbi neceſſitas legem facit, habeat; inprimis vero ſi in morum diſciplina ſeueritas vitaeque ſimplicitas ſeruetur; hac enim ſemel ſublata ad interitum properat quaeuis resp. multo magis foederata, cuius ſalus fide fiduciaque mutua et iuſtitia continetur, quae eſſe poteſt nulla, vbi ſemel ad ſe trahere quisque omnia coeperit; ad bella gerenda omnino ea resp. penitus inepta eſt; dum pace et otio viuitur, flagrant odia, inuidiae, ſuſpiciones, dum metus eſt, ne nimis magnae opes ſingulis credantur, potentiam tamen omnes appetunt; ex ipſa felicitate publica, multo magis ex rerum mercaturis et ex nauigatione, ſi copiae et diuitiae creuerunt, ſuccedit luxus, eoque fractis animis corruptisque moribus virtus domi extinguitur, auctoritas foris obſcuratur. Interea externa regna ad vtilitatem ſuam hoc referunt, vt diſcordias alant, dolis atque fallaciis, quae ſana ſunt, corrumpant; ita eas resp. aut fraude aut vi diſſolui neceſſe eſt. Omnino videndum eſt diligenter, ne externa regna reip. negotiis ſe immiſceant: horum enim amicitiae inſidioſae multo magis, quam odia aperta, metuenda ſunt. Sunt alia, quae per tempora, per locorum ſitus, per vicinorum ac finitimorum populorum ſeu ſtulta ſeu ſapientia conſilia emendari poſſunt: nulla tamen ſapientia humana omnia ſatis expedit.

Fuere inter veteres (vtamur enim antiquitatis auctoritate, quando quidem hoc tutius et ſalubrius eſt)

eſt) foederatae respublicae plures, ſed nulla ſapientius et prudentius inſtituta quam *Achaeorum*: nata illa temporibus Graeciae florentiſſimis, cum reipublicae inſtituendae rationes a viris ſapientiſſimis, et in ipſis rebus gerendis conſtitutis, multo magis quam noſtris temporibus, eſſent inſpectae et exploratae; nam in vetere Graecorum ſapientia nihil diligentius conſideratum fuit quam rerum publicarum et legum conſtituendarum ratio; nec tamen illa resp. per longum temporis ſpatium floruiſſe videri debet. *b*) Non ignoramus, quot quantisque laudibus extulerint eam Graeci ſcriptores, inprimis Polybius: *c*)

b) Per CXXXVI. annos reſp. Achaeorum floruiſſe fertur; enimuero hoc eſt annos numerare, non res expendere. Nam primum triceſimo demum anno aliquod robur nacta eſt; vix decem anni exierant, cum aliud ex alio bellum eam excepit, raris victoriis, cladibus frequentibus; LX. aliis annis inter haec exactis, cum Sparta vi ad foedus ſuum adacta, ſibi viderentur votorum ſummam conſequuti Achaei, ſucceſſit Romanorum ſuperbia, frans et aſtutia, quae per L. fere annos turbis ac diſſidiis ciuitatis foedus labefactauit, mox diſſoluit, tandem totam remp. euertit; ita vt vix X. annos commemorare poſſis, quibus reſp. Achaeorum vere floruiſſe dicenda ſit, L. vero anni in triſtiſſima reip. conditione ſint exacti.

c) Facta videtur tanta huius reip. Achaeorum praedicatio, primum ex comparatione cum aliarum rerump. per Graeciam ſtatu, quae non coire ſolebant in foedus niſi belli aut faciendi aut depellendi cauſſa; tum Polybius ſtudio et admiratione Arati, Philopoemenis et Lycortae, inflammatus ad foederis concelebrationem transtulit celebritatem et laudem virorum, qui de eo ſane praeclare fuerant meriti, maiora tamen de eo mereri fruſtra tentauerant. Sequitur porro Polybius Arati commentarios, (v. II, 40.) quem de ſe ſuisque conſiliis non male tradidiſſe facile intelligas. Diuerſa tamen de ipſo

nec inficiamur *magna et praeclara eius reip. fuiſſe bona, prouiſum* etiam *eſſe malis nonnullis*, quae id rerump. genus premere ſolent. Si tamen ſummam rerum ad calculos reuoces, *non maiorem felicitatem aut ſingulorum aut ciuitatum ſingularum*, quam in aliis imperiis, *nec diuturniorem* fuiſſe, vel inuito fatendum eſt. Haec quidem, Commilitones, declarata dabimus ipſis rerum argumentis.

Coierant igitur Achaei in foedus commune et in remp. conſociatione plurium ciuitatum ſuis legibus iuribusque vtentium coniunctam ea conditione, vt eadem iuris aequalitate nouis aliarum vrbium acceſſionibus locus eſſet; etſi res exitum non habuit, vt, quod ſpectatum et in votis habitum, tota Peloponneſus vna rep. foederata comprehenſa eſſet: quo factum eſſet, vt mari vndique clauſae terrae communi foedere iunctae neminem ſuae ceruici imminentem habuiſſent. Itaque ea, quae in ſimili foedere ſunt aut eſſe poſſunt, in illo fuere omnia; erat ſumma *iuris aequalitas* cum *ſingulorum libertate*, et *in populari ſtatu* optime conſtituto; *nec modo legibus iisdem, verum etiam ponderibus, menſuris, pecunia denique eadem vtebantur* (Polyb. II, 37.) *cc*) interea *ſingulae*

ipſo Arato tradiderat Phylarchus (in ἱστοριῶν libris, quos numero XXXVIII. condiderat, res inde a Pyrrhi expeditione in Peloponneſum Ol. CXXVII, 1. a. C. 270 vsque ad Ol. CXXXIX, 4. a. C. 221. adeoque L. annis complexus) quem ſequitur Plutarch. in Cleomene p. 811. ſqq. quod aſſequi licet inprimis ſi pag. 815. B. compares; at Polybius eum cupide refellere ſtudet lib. II, 55. 56-63.

cc) Declarata numorum aequalitas per monogramma. Magnum autem hoc foederis firmamentum eſſe debuit, cum

ſingulae ciuitates de ſuis rebus *ex ſuis legibus* conſiliisque ſtatuebant, dum de iis, quae ad *communem remp.* ſpectabant, *concilio communi* agebatur; eo miſſi de ſingulis ciuitatibus delecti, quorum ſuffragiis creati magiſtratus iique annui, primo duo, mox vnus *ſtrategus* dictus ſeu praetor, ὑπεύθυνος ille ipſi concilio; vt delecti ſuis ciuitatibus; additus *ſcriba;* aſſidebant X. *damiurgi;* hos putandum eſt conſtituiſſe cum Praetore ſenatum perpetuum ac conſeſſum, (*Conſilium ſtatus*) a quo reip. ſumma adminiſtrabatur; exſequendorum quoque conſiliorum et decretorum negotium et cura eidem mandata cum magiſtratu. Ad concilium ſumma rerum redibat; itaque de legibus ferendis, bello, pace, foederibus, legationibus arbitrium penes illud; nec tamen hoc niſi *bis in annum* ſtato tempore, extra ordinem quoties praetor temporum neceſſitatem ita poſtulare iudicabat, conuocari ſolitum; quod antequam fieret, *cum* συναρχόντων *conſilio*, qui iidem cum damiurgis habendi, *praetor de rebus in concilio agitandis praeconſultabat*, *d*) nec de iis, niſi in id pars maior conſentiret, licebat ad concilium referre. Sunt autem praeclara huius reip. inſtituta multa; e quibus nonnulla ſaltem in medium afferemus. *e*)

L 5 Itaque

cum aliae vrbes ſuis tantum numis vterentur, ac plerumque aliarum vrbium numos reſpuerent ac κιβδήλους pronuntiarent: quae res commerciis et mercatibus infeſtiſſima eſſe debuit, et foenori, ex numorum permutatione et collybo, inprimis locum dedit. cf. Beyer in Comment. acad. Petrop. To. V. p. 364.

d) v. c. Exc. Legat. c. 52. συναρχίαι ſunt c. 63.

e) Videas ea, auctoritatibus ſuis parum ſuffults, apud Emmium de rep. Achaeor. p. 573. Schook. Achaia vetus To. V. Theſ. Gronon.

Itaque vetitum lege, *ne cui exterae gentis legato concilium daretur, niſi editis prius mandatis ſcriptis, per quae ante appareret, cuius rei cauſſa concilium poſtularetur; f) ne quisquam munus a rege miſſum acciperet. g)* Inprimis vero illud memorabile, *quod vltra diem tertium concilium gentis* (extra ordinem habitum) *protrahere non licebat, eo vtique die decretum fieri neceſſe;* ne diſceptationibus tempus conſumeretur. *h*) Erant etiam nonnulla, quae fors offerebat, ad ſuſtentandam rem Achaeorum valde vtilia: quod ipſe Peloponneſi poſitus eorum res et curas ſeiungebat ab aliis; acuebat eorum virtutem, quod primis ſtatim annis Spartani, tum Aetoli et Macedones, imminebant; et contigerant ipſis viri aliquot magnis animorum ingeniorumque viribus inſignes (Polyb. II, 40.) Cum his ipſis tamen coniuncta erant ſemina malorum, quae in remp. erupere cladenque multiplicem intulere. *i*)

Primum

f) Pauſ. VII, 9. Polyb. Exc. Leg. c. 41. p. 624.

g) Exc. Legat. c. 41. p. 618. ſq.

h) Liv. XXXII, 22. Praetereo ea, quae ipſa reip. foederatae natura poſtulabat. Ita inter leges foederis erat, *ne cui Achaici concilii ciuitati ſeorſum legatos ad exteram gentem mittere liceret* Pauſ. VII, 9. p. 544. *ne cui de foedere recedere liceret.* Exc. Legat. c. 51. p. 645. *nec admitti ciuitatem ad concilium gentis niſi conſenſu omnium.* In concilio, *vt per praeconem ſuadendi, ſi quis vellet, poteſtas a magiſtratibus daretur.* Liv. XXXII, 20.

i) Vtinam integrum haberemus Polybium, qui ex ea gente oriundus ipſe rebus agendis interfuit, et omnia diligentiſſime expoſuerat: ita haberent reſp. foederatae tanquam in exemplo aut in tabula propoſita. quae maxime fugienda ac timenda ſibi intelligerent.

Primum illud male cecidit, quod non tota Peloponneſus in ſocietatem reip. pertrahi potuit; fruſtra id tentante Arato; *k*) vnde odia, ſimultates, bella perpetua. Erant Spartani, tum Arcades, Elienſes, Meſſenii, qui in corpus Peloponneſium redigi nolebant; inter hos Spartani Achaeis infeſtiſſimi; in quos Aratus cum conſilium exſequi vellet, Spartanorum arma in Achaeos concitauit; factis aliquot praeliis, Arato vbique rem infeliciter gerente, Aetolis alia ex parte imminentibus, Achaeorum resp. in ſummum diſcrimen fuit adducta. Potuiſſet tamen inter Achaeos et Cleomenem conuenire, cum hic aequa poſtularet, vna hac conditione pacis propoſita, vt ſibi ab Achaeis principatus deferretur: (Plut. Cleom. p. 811. B. C.) Hic vero Aratus, quam per tot annos tenuerat auctoritatem inter Achiuos manu ſua elapſuram praeuidens, partim inuidia et odio Cleomenis, primum deterrere Achiuos et a foedere prohibere anniſus, mox rem aggreſſus eſt pernicioſiſſimam, vt ad firmandas reip. partes Macedones et Antigonum in Peloponneſum arceſſeret, Cleomenem autem exaſperaret, ne ad concordiam res adducerentur. (Plut. Arat. p. 1045. Cleom. p. 811.) Quod conſilium cum quocunque alio tempore, neceſſitate vltima vrgente, periculoſum habendum eſſet: (quippe cum non ſocium adſci-

k) Plutarch. Cleom. p. 860. B. vnde non perſuadendo modo, verum et vim adhibendo, foedus creuiſſe ait Polyb. II, 38. IV. 1. Minus tuta vtique habenda eſt ea reſp. foederata, cui et a tergo imminet prouincia aliena, et littus protenditur immenſum ab externo hoſte pluribus locis aditu facile, externis regibus libertati aut vi aut dolo inſidiantibus.

adſciſcere ſed dominum ſibi imponere videri debe-rent Achaei; nam, vt Macedones Achaeorum vires augerent, expectari non poterat) hoc tamen tempore longe exitioſiſſimum erat, quandoquidem precibus Achaeorum exoratus Antigonus conditionem tulit, pactusque eſt, vt Acrocorinthus, qua ſibi aditus liber ad Peloponneſum eſſet, redderetur; ita acceptum eſt iugum regium; et apparuit exemplo hoc, quam miſera ſit rerump. foederatarum conditio in hoc, quod vnius hominis potentia et auctoritate florentis obtrectatione et peruicacia optima conſilia interuerti, peſſima praeferri poſſunt.

Declaratus inde Macedo omnium ſociorum dux; (Polyb. II, 54.) ita adminiſtrata omnia, quae ad bellum ſpectarent, ad eius nutum et imperium; qui autem ſemel conſequutus eſt hoc, ei facile eſt in rep. adipiſci reliqua omnia, quae auctoritatem et potentiam continere poſſunt. Imperatum nunc a rege, quando et quo copiarum numero adeſſe deberent Achaci (Polyb. IV, 67.). Melior inde belli fortuna obtigit: ad Sellaſiam ingenti cum clade victus Cleomenes. Omnino, id quod in rep. foederata facile expectes, Achaeorum res bellica, niſi forte vno vel altero tempore, pro ingenio ac virtute praetorum, qui praeeſſent, non optime conſtituta fuiſſe videtur. Quoties Aratus copias eduxit, male res adminiſtratae ſunt, partim in conſiliis excogitandis tarditate, partim in exſequendis timiditate et cunctatione; (Polyb. IV, 8.) ad eum tamen belli gerendi vices plerumque rediere. Ita paullo

poſt

poſt (Ol. CXXXIX, 4. V. C. 533.) bello Aetolico per Aetolorum depraedationes Meſſeniae concitato, cum Timoxenus, eius anni ſtrategus, alieno eſſet a re periclitanda animo, Aratus quinque diebus maturius magiſtratum ingreſſus, aduerſus Aetolos populabundos copias duxit, foeda tamen clade accepta rediit. Iam ſub hanc expeditionem, florentiſſimis vtique reip. rebus, Polybius cauſſam, cur Timoxenus ductum copiarum ſubterfugeret, interponit hanc: *quod parum Achaeis fidebat, propterea quod illa tempeſtate admodum negligenter Achaei in armis erant exercitati:* ab eo inde tempore, quo Cleomenes eos fuga ſua tutos a diſcrimine reddiderat, *partim ſuperioribus bellis feſſi, partim duraturum praeſentem ſtatum confiſi, omnem rei bellicae curam contemtui habuerant* (Polyb. IV, 7. p. 440.) Scilicet *alienis manibus ſe protegi putantes ac ſub Macedonum armis latentes per ſocordiam et inertiam vitam agebant*: (Plutarch. Arat. p. 1049. B.) qua ipſa re ab Aetolis deſpectui habiti iniuriis laceſſiti ſunt. Re, vt diximus, ab Arato iterum male geſta, factionum clamoribus, iris et odiis, omnia ſtrepere; (Polyb. IV, 14.) tandem Achaei iterum Macedones et Philippum regem reſpicere; legatis tamen vltro citoque miſſis de iniuriis Aetolorum vlciſcendis expeditum nihil, ſed decretum, vt pax cum Aetolis ſeruaretur. (ibid. c. 16.) Hancne reip. conditionem quisquam praeclaram ac beatam iudicabit? Aetoli hac ipſa Achaeorum ignauia inuitati nouis eos iniuriis laceſſiuere. Exacerbatis ita animis in concilio communi a Philippo et Achaeis bellum in Aetolos decernitur. (Ol. CXL, 1.) Iam quae ſub huius

huius belli initia narrata videas, omnia eiusmodi ſunt, vt in rep. foederata rem adminiſtrari intelligas. Nam primo Meſſenii, quorum cauſſam Achaei ſuſceperant, declinare pericula et malle quiete agere; (Polyb. IV, 32-36.) Epirotae tum ſe bellum indicere velle Aetolis ſignificarunt, quando Philippum arma mouiſſe vidiſſent. Interea Aetoli, pertractis in belli ſocietatem Lacedaemoniis et Eleis, oras Achaeorum praedari, caſtella expugnare. Verum belli euentus commemorare non poſſumus: ſufficit nonnulla afferre, quae ad reip. conditionem cognoſcendam vim habere poſſunt. Itaque apud Polybium (IV, 60) Aratus *ne quidem mercenarium militem conſcribere poterat, quod belli Cleomenici tempore partem aliquam ſtipendiorum Achaei conductitio militi non perſoluerant.* (Quid futurum putabimus in ea rep. foederata, quae ne quidem ſuis ciuibus, qui ipſis ſuo ſanguine libertatem pepererunt, ſtipendia et praemia bona fide perſoluit?). Interea *Dymaei, Pharaeenſes et Tritaeenſes, vbi de auxilio a praetore mittendo deſperare coeperunt, communi conſilio decreuerunt, nihil amplius in commune Achaeis contribuere:* (iuſta indignatio, peſtilentiſſimum tamen conſilium!) *ſed priuatim ſibi milites mercede conducere, quorum praeſidio fines ſuos tutarentur. Qui cum hoc fecerunt, ſuis illi quidem priuatis commodis non male exiſtimati ſunt conſuluiſſe; publicae vero vtilitati omnium Achaeorum peſſime.* Nouum malum acceſſit Apelles, regis Philippi dux et amicus, qui, ſeu conſilio ſeu cupiditate, machinari, vt in ſubditorum regno Macedonico ordinem redigeret Achaeos; (ibid c. 76.) maligne obtrectando et accuſando animum regis ab

Arato

Arato abalienare (c. 82-5). Effectum, vt in annum ſequentem crearetur praetor Eparatus, *natura inhabilis ad res agendas et ab omnibus vituperari ſolitus ita vt omnes eius imperiis parere recuſarent.* (V. 1. et 30.) Mox idem Apelles communia belli conſilia fraude et proditione interuertere non dubitauit. Conuentu Achaeorum habito, rege praeſente, decretum eſt ab Achaeis, *numeratis extemplo talentis L. trimeſtre ſtipendium militi diuidere, et hoc amplius X. M. modium adiicere; in poſterum vero, quamdiu in Peloponneſo praeſens ipſe bellum gereret, vt menſtrua talenta ab Achaeis XVII. acciperet* (Polyb. V, 1). Eo igitur iam tum res erant adductae, vt non ſuo milite rem gererent, ſed alienis armis ſe defenderent, ne quidem mercenariis conductis bellum facerent, ſed regi ſtipendia perſoluerent. Enimuero inter haec naſcebantur *difficultates conferendorum tributorum;* exhauſtae bellis et *vexatae depraedationibus Aetolorum nec defenſae vrbes cum aegre admodum ea penderent, ſtipendia; prorogari nec ſua die praeſtari ſolita, fecere, vt omnia quotidie in peius ruerent:* nihil ſuo tempore curari, nihil recte agi potuit. (V. 30). Videamus nunc belli exitum. Nuntiata Romanorum clade ad Cannas Philippus ad res Italiae erectus bellum cum Aetolis abiicere ſtatuit, idque *ne expectatis quidem Achaeorum legatis, qui communibus ſuffragiis conventionis negotium curarent;* ſed extemplo Cleonicum Naupactium ad Aetolos miſit. (c. 102.) Conuentum facile eſt in pacem, (Ol. CXL, 3.) quam omnes lubenter amplectebantur, ea conditione, vt quae iam tenerent, vtrique ſeruarent. Ita Achaei, cum iniuriis, quibus prouocati bellum cum Aetolis

fece-

fecerant, nihil praeter damna, clades nouasque iniurias, ex bello reportarunt.

Vix recreati pace Achaei, iterum infeſtos habuerunt Aetolos, foedere cum Romanis icto feroces et aduentu Romanorum et Attali regis elatos. (Ol. CXLII, 2) Ab altera parte Machanidas Lacedaemoniorum tyrannus imminebat. Inter haec Philopoemen praetor creatus (Ol. CXLIII, 2. a. C. 207.) remp. labantem reſtituit. Is rem militarem emendare aggreſſus, primo quidem ordinum et armaturae vitia correxit, (qua de re v. Plutarch. in Philopoem. p. 360. E. Pauſ. VIII, 50.) luxum delicias ſumtumque a veſtibus menſisque ad arma conuertit (Polyb. XI, 7. 8.), vrbes circumiuit, animos firmavit, dilectus egit, inde copias aduerſus Machanidam duxit, eumque vicit ad Mantineam. Tandem in pacem conſenſum eſt ab omnibus Ol. CXLIII, 4. V. C. 549.

Grauius diſcrimen imminebat Achaeis, bello a Romanis in Philippum ſuſcepto (V. C. 555.). Cum concilium haberetur, legatis et Romanorum et Philippi Achaeos in ſuas partes trahentibus, altero die, poteſtate ſuadendi diſſuadendique facta, primum nemo quae ſentiret dicere auſus, cum Ariſtaenus praetor ipſe tandem orationem habuiſſet, *iam non ſinguli tantum, ſed populi vniuerſi inter ſe altercabantur, tum inter magiſtratus gentis (damiurgos vocant, decem númerо creantur) certamen nihilo ſegnius, quam inter multitudinem eſſe:* vt verbo abſoluamus, cum eſſent ex aduerſantibus qui conſurgerent et concilium

lium relinquerent, aegre decreta eſt ſocietas cum Romanis atque ita introducta peſtis illa, qua deinceps afflata et corrupta Graecia omnis contabuit. *l*) Victo Philippo et reddita Graecis libertate, ſpecioſo ad auditum nomine, ſucceſſit bellum Achaeorum cum Nabide tyranno Lacedaemoniorum, quo caeſo Sparta in foederis communitatem recepta eſt, mox disiuncta; nam ab hoc inde tempore nata ſunt fraudulenta Romanorum conſilia, vt Achaeorum opes deprimerent. Longum eſſet commemorare ea quae ſequuta ſunt: diſcordiae inter Achaeos fuere internae perpetuae, diſſidia ex diſſidiis nata, Romanis factiones ſtudioſe fouentibus, qui palam iam Achaeis denuntiabant, ſine auctoritate ſua ne quid gererent; de controuerſiis apud ſe, aut potius e voluntate ſua, vt diſceptaretur. (Liv. XXXVIII, 30. 34 XXXIX, 33. 37. 48.) Ita ne aequo quidem iure ea diſceptatio facta, ſed ſeruorum loco habiti ſunt, qui dominorum iuſſa acciperent (Liv. XXXIX. 37. Polyb. Exc. Leg. 51). Acceſſit proditoris Callicratis infamis perfidia, qui, vt aduerſam factionem opprimeret, Senatum Rom. ſpecioſa oratione incendit, iactitando, pacatum Achaiae ſtatum fore nullum, niſi Romani dicto audientes Achaeos eſſe iuberent (Polyb. ibid. 58.) Ita tandem ad apertum bellum res deductae, cuius infauſtum Achaeis exitum commemorare nihil attinet.

Quae

l). V. Liv. XXXII, 22. v. Iac. Gothofredi Or. Achaica Opuſc. p. 86.

Quae cum ita ſint, tantum non vana habenda eſſe videtur praedicatio foederis Achaici; quod ſaltem habuit communem fortunam ceterarum formarum, ad quas deſcribi poſſunt ac ſolent populi: in quamcumque tandem ſocietatem ac rempublicam coeant homines, omnium formarum et bona et mala ſunt; alia ex ipſa rerum natura profecta, alia a cauſſis externis, quae in nullius mortalis manu poſitae ſunt, illata aut arceſſita. Poterant Achaei feliciter res ſuas gerere, ſi pace perpetua et ſecuritate ab externo hoſte frui, ſique nullos Spartanos finibus imminentes habere contigiſſet.

Vix per id, quod aut huic ſcriptioni ſupereſt ſpatii, aut ſcribenti otii, ſatis diſerti eſſe poſſumus in commemorandis aliis rebusp. foederatis; quarum tamen nulla, niſi *Lyciorum*, (Strab. XIV. p. 980.) inſtitutis et legibus cum rep. Achaeorum fuit comparanda.

Aetoli quidem ad Achaeorum exemplum rerump. conſociationem et ipſi inſtituerant: conuentum annuum, Panaetolium dictum, magiſtratum annuum, additum ei Senatum, apocletos apellabant, omnia eodem exemplo; enimuero animis ingeniisque ipſi valde diuerſi ab Achaeis; per agros ac vicos ſparſi ex alienis raptis viuere malebant quam ex agris ſuis; itaque praedari, bella et incurſiones circumſpicere, (Polyb. IV, 3.) ex aliena iniuria creſcere. (II, 43.) Inde ingeniorum ferocia, conſiliorum violentia, cum mira interdum aſtutia, nullus iuſtitiae reſpectus. Vim animis indebat corporum robur, venando et palando per agros indureſcentium. Neque adeo animorum facile concordia niſi ad aliorum deprae-

depraedationes; ita ingenia turbida ac temeraria in conſilia praecipitia ferri ſolita breui remp. perdiderunt. Cum ſemel ſocietatem Romanorum accepiſſent, nullo alio conſilio quam vt in Achaeos, Macedones, ceterosque, tanto licentius iniuriis graſſarentur: euentu rerum et exemplo ſuo docuerunt, eos, qui ſuae vtilitati cum aliorum iniuriis conſulunt, ne eorum quidem, qui inde commodum capiunt, gratia et fide ſatis confidere poſſe.

Fuit et *Boeotorum* reſp. foederata, ſed haec non magis quam aliorum Graecorum ad alios, quam bellicos vſus, deſcripta. Extra Graeciam *Iones* fuere, quorum quidem quae coloniae in Aſiam ductae, quibus vrbibus habitarint, quae eorum fortuna fuerit, dicere nunc nihil attinet, et poſſunt ea cognoſci e Pauſan. VII. capp. prior. Strab. XIV pr. Herodot. I, 142 ſq. In XII. ciuitates deſcripti conſtituerant Panionia (Herodot. I, 148.) laudabili vtique conſilio; nec tamen rerum euentus inſtituti praeſtantiam probauit. Quae quidem foederis leges fuerint, parum conſtat; ex Herodoti loco (I, 170.) colligere licet ipſum illud inſtitutum non niſi ſerius acceſſiſſe; nam *Thales iuſſit Iones omnes vnum quendam communem Senatum* (βουλευτήριον) *habere, eumque eſſe vrbe Teo, in medio Ioniae ſita; caeteras autem ciuitates nihilo minus legibus ſuis vſuras.* Ceterum ſatis conſtat, iunctas foedere illo vrbes, quas ab externo hoſte magnis opibus inſtructo parum tutas fore facile praevideri potuit, *m*) ne in otio quidem diu feliciter res

 geſſiſſe;

m) Scilicet littoralem plagam incolentes maritimis opibus facile tutari ſe poterant, ne claſſibus infeſtarentur; verum

geſſiſſe; inteſtinis diſcordiis agitatas, alias tyrannorum dominationi et libidini ceſſiſſe, omnes vero externis hoſtibus obnoxias factas, primo Lydis, mox Perſis. Croeſus quidem ſingulos aggreſſus facilem victoriam habuit (id. I, 14. 15.). Croeſo autem victo cum a Cyro ad foedus, quod obtulerant, non admitterentur, ad bellum quidem ſe accinxerunt; enimuero deſeruere foedus cauſſamque communem iam tum a Cyro illecti Mileſii, potentiſſimi inter ceteros Iones, (ibid. I, 141.) nec inſulae, quae ſe a diſcrimine tutas putabant, belli participes eſſe voluere; ſoli Aeolenſes in continenti ſocietatem armorum inierunt. (151.) Mox bello facto conſuluere ſibi fuga Phocaeenſes et Teii moenibus relictis; (163-8.) reliqui Iones numero et robore imminuto cum Perſis congreſſu facto victi imperata facere ſpoponderunt. Mox et inſulani territi ſe dedidere. (169.) Qui quidem rerum euentus non ita comparati ſunt, vt de toto illo Ionum inſtituto magnifice ſentire liceat. Ad idem exemplum *Doricae* ciuitates quinque Triopicum concilium inſtituerant (Herod. I, 144) Erant etiam *Aeolicae* vrbes XI. in continenti, in inſulis quinque aliae inter ſe foedere iunctae.

In

verum aduerſus hoſtem ab interiore Aſia copias adducentem fines habebant parum tutos. Quod ſenſiſſe videri debet Bias Prienenſis, qui, Perſis Iones prementibus, conſilium dediſſe fertur, vt Ionia relicta in Sardiniam migrarent, atque in ea communem omnium Ionum remp. ac ciuitatem conſtituerent. Herod. I, 170. Nimirum mari vndique clauſis nulli Perſae imminuebant. At enim erant Poeni, erant Etruſci, a quibus eadem fuiſſent metuenda quae a Perſis.

In *Magna Graecia* communi conſenſu *Achaeorum reip. formam imitari decreuerunt, hortatique ſeſe inuicem Crotoniatae, Sybaritae, Cauloniatae, vnanimes Ioui Homorio aedem ponunt, et locum in eo ad conventus agendos et conſilia communia habenda; deinde mores legesque Achaeorum adſciſcunt, illisque in adminiſtratione rei ſuae publicae vti inſtituunt.* (Polyb. II, 39.) Solutum tamen paullo poſt hoc foedus partim Dionyſii dominatu partim barbarorum vicinorum praevalente potentia *n*).

Etruſci vero ingentibus opibus valentes, XII. ciuitatibus, ſuas quibusque leges et iura retinentibus, aliis ſuo magiſtratu vtentibus, aliis ſub rege degentibus, habitabant; belli cauſſa dux eligi, de communibus rebus commune concilium indici; (v. c. Liv. IV, 23) aucta resp. XII. coloniis trans Apenninum, aliis XII. in Campaniam eductis. Fractae tamen hae eorum opes diſſenſionibus, ſuſpicionibus et odiis mutuis. *o*) Itaque, cum et externa vis ingrueret, primo quoque impetu Gallorum, Samnitium, Romanorum, ſuccubuere. Inprimis vero illud inter legendum male habet, quod ciuitates modo ſingulas, modo plures, bella facere, raro omnes in idem bellum conſentire videas. Factis cum Romanis multis praeliis a Veientibus, tandem Veii obſeſſi: quis credat, tamen vel ſic a ceteris dubitatum fuiſſe an ſuccurrerent (Liv. IV, 61.)? Venere ſoli Faliſci et Capenates. (V, 8. 13.) Veiis captis

n) V. Opuſc. Vol II. p. 189. 190. 203. 4.

o) Plura exempla v. Liv. IV, 24. 25. 58. 61. V. 1. 17.

captis anno inde altero Faliſci dediti. Ita vrbe alia poſt aliam foederi ſubtracta, reliquae Romanis tanto faciliores fuere expugnatu. Nec niſi ſero, et ſatis intempeſtiue, communi populi conſenſu arma ſumta; venerunt enim in belli ſocietatem Latinis Samnitibusque iam victis et attritis, quibus adhuc integris et valentibus adiungere ſe debuiſſent; antequam Romanorum opes ex ipſa victoria creſcerent. Ita binis praeliis ingenti cum clade victi in deditionem venere. *)

Eſſent adhuc alia, quae commemorari poſſent, vt de Latinorum, Gallorum, Heluetiorumque foederatis ciuitatibus; verum, et remotiora haec ſunt, et iam in extrema pagina haerent litterae, ſonatque tantum non in auribus campanula, quae pompam in templum ducere iubet: dimittemus itaque vos, Commilitones, modo verbo, cuius rei cauſſa tota haec diſputatio inſtituta ſit, monuerimus. Anniuerſaria Academiae noſtrae ſacra bonis cum votis ominibusque

[*) Haud pauca ex iis, quae in hac Commentatione exemplis antiquitatis propoſitis edocueramus, per quatuor hos annos vix elapſos in confoederata Americanarum rerum publicarum conſociatione euentum habuiſſe, meminerit forte, ſi quis haec legerit, vel me non monente. Alia in Batauis, miſera ciuium diſcordia in diſcrimen adductis, experientia et euentus declarata dedit. Omnino non adeo magna vi diuinatrice opus eſt ad fortunas regnorum et ciuitatum praeuidendas. Initia ac ſemina malorum praeuidere, praecidere et intercipere, hoc opus, hic labor eſt; ad haec maioribus ingenii viribus opus eſt, quam ſi bella ſerere, Europam diſcordiis agitare, regna tributis et vectigalibus exhaurire, fraude ac dolo, politices nomine ac praetextu, graſſari didiceris.]

que celebranda ſunt, quibus ſollennibus vt Sereniſſimus Princeps, Comites Illuſtriſſimi, Generoſiſſimi noſtrique amantiſſimi Ciues praeſentia ſua et frequentia celebritatem addere velint, obſeruanter et peramanter rogamus. Verba faciet Academiae nomine eloquentiae Profeſſor, quaeſtione propoſita: *reſpublica litteraria meliorne ſit democratica an ariſtocratica.* Vos itaque dicenti fauere vt velitis et petimus et hortamur. PP. in Georgia Auguſta d. XVII. Septembr cIↄIↄcclxxxiii.

Digitized by Google

XI.

ACADEMIAE GEORGIAE AVGVSTAE
PRORECTOR
IO. BENI. KOPPE
CVM SENATV
SVCCESSOREM
IN
MAGISTRATV ACADEMICO
IO. STEPHANVM PVTTER D.
CIVIBVS SVIS
COMMENDAT
INDICTIS SOLLENNIBVS.
IN A. D. VII. AVG. CIↃIↃCCLXXXIV.

Cur virgis caeſi Romano more, qui mox ſecuri percutiendi eſſent.
I lictor, conliga manus.

In hac vitae noſtrae, Ciues, per luxuriem eiusque comites, omnis generis corruptelas, deprauatione ſolatii loco habenda eſt generoſior aliqua, quae et latius increbuit et, per plures didita, vires ſumſit, philoſophandi ratio, inprimis de humanae naturae dignitate, de libertatis iuribus, de hominum in magnas ſocietates coetusque coeuntium conſiliis, circumſcribendaque potentium virorum regumque libidine, inque his quod ad poenarum et ſuppliciorum rationes ſaniores conſtituendas conuerſa ſunt ſapientium ſtudia; quodque, cum antea de

de iisdem rebus vix muſſitaſſet paſſim vnus et alter ceteris aut fortior aut imprudentior, nunc libere ac publice de humanitatis iuribus diſputare licet. Quod ſi multa adhuc deſiderari dixeris, vt ex philoſophorum ſcholis in ipſam legum ferendarum auctoritatem melior ratio ſe inſinuet: effulſere tamen nonnulla fauſti ominis exempla, quae portendant, fore vt ſenſim ſenſimque ad vitae publicae receſſus, e quibus ad vulgus prodire debebat, et ad regnorum adminiſtrationum adyta ſanior penetret philoſophia, expulſa inde peruerſa illa calliditate, quam politicam vocant, qua omnis reſp. ad vnum caput, eiusque vtilitates vel lubidines, aut verius ad dominationis miniſtros, inanemque aliquam potentiae vel auctoritatis apud exteros vmbram reuocatur; viſceribus interea reip. tanquam tabifica lue diffluentibus; ita vt pleraque regna dudum corruere debuiſſe dixeris, niſi priuatorum conſiliis melioribus, populique ipſius induſtria et patientia, labantes res paſſim ſuſtentarentur. Cum tamen inter principes, eosque qui ſummae reipublicae adminiſtrandae aut admoti ſunt aut admouendi, iam ſint haud pauci, qui imperiorum moderandorum artes non ad externa tantum deuocandas, verum primo loco in interno regni robore populorumque opibus ac copiis fundandas eſſe intelligant: ſpes, tanquam diluculo, aut certa iam die, illuxit iucundiſſima, fore vt tandem aliquando ipſo rerum vſu et euentu perſpectum et exploratum habeatur, nullas imperii alicuius veras opes ac durabilem aut eſſe aut eſſe poſſe proſperitatem, niſi interior ciuium proſperitas tanquam vis viuida animauerit molem motusque principia impertierit.

 Aliud,

Aliud, quo vota noſtra rata fore ominamur, auſpicium arbitrari licet decreta principum, qui, ex quo de quaeſtionis atrocitate et immanitate diſputatum eſt, aut ſublatam voluerunt eſſe aut imminutam tormentorum ſaeuitiam: quippe cui paucis in capitibus paucisque temporibus locum, in paucioribus effectum eſſe, aut eſſe poſſe, ſapientium virorum ſagacitas ſubtiliter demonſtrauit.

Inter haec, quae de quaeſtionis immanitate diſputata ſunt, inquiri quoque coeptum in rei atrociſſimae *origines* ſiue vniuerſim, ſiue apud Graecos et Romanos, ſiue denique ſequioribus temporibus, e barbariei ſqualore emergentibus nouis imperiis: necdum ſatis accurate de ſingulis actum. Coepit quoque id, quod vltimo loco poſitum eſt, a rerum narratarum argumentis ad opinionis et diſputationis ſubtilitatem reuocari, dum *ab ordaliis et iudiciis dei* tormentorum inter recentiores populos quaeſtionisque origo repetita eſt. Atqui *ex ipſis hiſtoriarum monimentis* declarandum erat, ante ordaliorum vſum nullam inter Germanicos populos fuiſſe quaeſtionem, tum *exemplis in medium prolatis* docendum, *ex iſtorum temporum iudicatione ac ſenſu pro dei iudicio et teſtatione de rei innocentia vnquam habitum eſſe*, ſi quis tormentorum cruciatibus victus confeſſionem criminis exprimi ſibi paſſus haud eſſet. Hiſtoriarum quidem fides de iuris legumque inter barbaros populos elementis et ortu non adeo obſcura aut ambigua eſt, quo minus ſatis accurate teneamus, primum ex Aniani breuiario, quod vulgo vocant, poenarum et quaeſtionis vſum inter Viſigothos

gothos receptum, et ſub Francis in prouinciis iis, in quibus Romana promulgata erat lex; legibus inde, quas vocant, Viſigothorum firmatum; occurrere eundem in RR. Oſtrogothorum Edictis, in LL. Salicis; originem autem Romanam eluceſcere ex eo ipſo, quod, eodem diſcrimine, quod poenarum infligendarum fuit, quaeſtio tantum in ſeruos et infimae ſortis homines habita eſt, cum *ingenui* aut iureiurando aut iudicio dei aut certamine vterentur. Ad quae quidem vt proniores eſſent animi, facilis eſſe potuit opportunitas, in illis quidem ex ſuperſtitioſa temporum perſuaſione de miraculis, in hoc vero, quod inter populos ac duces rerum controuerſarum diiudicationem a pugnis peti viderent. Adhiberi poſtea coepere tormenta in magorum et veneficorum iudiciis, (v. c. Gregor. Turon. VI, 35.) tandem eodem crudelitatis genere ſaeuitum in haereticos. Nihil in his eſt, quod non hiſtoriarum, legum et monumentorum, fide declaratum ſit; *) contra vero *illius opinionis*, quam commemorauimus, *veſtigium nullum.*

Vtut

*) Proſtant ea quoque paſſim iam in libellis vulgaribus: v. c. Heineccii Elem. Iur. Germ. III, 9. § 332 ſqq. Adeundus primo loco Codex Theodos. tit. XXXV. et comparandus Iac. Gothofr. in Prolegom. c. 5. 6. 7. E Legg. Viſigoth. ſatis eſt inſpicere Lib. VI. tit. I. vbi ſtatim apparebuut iuris Romani veſtigia expreſſa per omnem quaeſtionis decurſum; et in LL. Salic. tit. XLIII. de ſeruo, qui de furto fuerit inculpatus. LL. Boioar. cap. XII. tit. XVII. Quod ſi alii populi, vt Sueui et Saxones, quaeſtionum tormenta non admiſere, cauſſae in temporum et rerum conditione, quae tum erat, cum primum inter eos mos et lex illata eſt, quaerendae et indagandae ſunt; quod vero in Britannia quaeſtio

Vtut haec ſe habeant, nobis pro conſilii ratione et paginae auguſtia leuior aliqua commentatio eſt inſtituenda;

quaeſtio non recepta fuit, hoc ab Saxonibus et *Anglis* repetendum videtur. Eſt vero in omni de quaeſtionis originibus diſputatione diligenter diſcernendum inter res et cauſſas quae primum aditum patefecerunt, et conſilia vſusque tormentorum, qui poſtea ſucceſſerunt; nec minus haec ad populos barbaros, qui aliorum inventis vſi ſunt, pertinere putanda ſunt. Cum omnis quaeſtio, quae quidem vere eo nomine appellatur, (nam tormenta, quae aut ira et ſaeuitia ad excruciandum, aut ſollers atrocitas ad cogendum inuenit, vt faciat reus quod detrectat facere; cuius generis fuere tormenta ab Antiocho Iudaeis, a Romanis Chriſtianae ſectae, a Chriſtianis haereticorum peruicaciae admoueri ſolita; cum quaeſtione, de qua loquimur, non ſunt confundenda) ſed omnis quaeſtio cum veri inueniendi cauſſa reperta ſit: inter omnes populos, maxime inter rudes et barbaros, tempora incidere ſolent ſuſpicionis, irae, timoris et terroris plena, in quibus proditoris et mali ciuis conſilia aut ſocios et conſcios reſciſcere reip. intereſt; id, niſi vi ac dolore admoto, quomodo conſequi licet? a Romano ciuilis libertas omnem quaeſtionem remouit, a liberis corporibus in ſeruilia traductam; at vero ſub principibus etiam in liberos ac ciues illa graſſata eſt, indolesque eius et natura eſt deflexa et immutata: Non enim modo interrogatione inter tormenta exprimi coepit confeſſio facinoris non obſcuris indiciis iam confirmati, tum qui ſocii, qui perpetrati facinoris modi, conſilia aliaque eiusmodi; verum etiam, cum ſcitum eſſet, vt nemo niſi confeſſus reus eſſet damnandus, (l. 1. § 1. D. de quaeſt.) eo adhibita eſt quaeſtio, vt confeſſum reum haberet iudex, cui ſupplicium lege infligi poſſet. Ab optimo igitur ſcito ad atrociſſimam calliditatem proceſſum eſt. vt, quod aliis indiciis aut praeſumtionibus, quas vocant, deeſſet, tormentorum vi ſuppleretur, vt eodem loco et ordine, quo aliae probationes, quaeſtio, nec non vt inter purgationis modos ea haberetur, et quae ſunt alia. Quemadmodum ſequioribus quoque aetatibus putanda ſunt inſinuaſſe ſe nonnulla ex moribus

ſtituenda; traducetur itaque diſputatio noſtra ad rem, quae in antiquo iure publico Romano ſaepe mirationem fecit, vnde factum ſit, *vt antequam quis ſecuri percuteretur, virgis caederetur.* Quae enim inde aut proficiſci potuit reipublicae vtilitas, quam tamen in poenis propoſitam habere fas eſt, aut quorſum ſupplicio vltimo additus verberum cruciatus, cum malum ciuem e medio tolli ſatis eſſet? quid igitur illud fuit, quod Romanos recepto hoc more ſpectaſſe credere liceat?

Ipſa quidem res in hiſtoriis Romanis tam obuia eſt, vt exempla cumulare velle, putidum eſſet. Prima commemoratio eſt de Bruti Coſ. filiis, (Liv. II, 5.) *miſſi lictores ad ſumendum ſupplicium nudatos virgis caedunt ſecurique feriunt.* Quid? quod domeſticum iudicium eodem more continebatur. De Sp. Caſſio Liuius (II, 41.) *Sunt qui patrem auctorem eius ſupplicii ferant: eum cognita domi cauſſa,* verberaſſe ac

moribus Germanorum non minus, quam ex iure Canonico. Verum illa vtique omnia a tormentorum originibus longe abfuere. Iam cum quaeſtio a Romanis ad Viſigothos aliosque populos fuit translata, non ſtatim, quantum quidem tenemus, omnis illa iuris Romani ſubtilitas eſt admiſſa, verum rudior ille tantum et ſimplicior vſus, vt criminis occulti auctor et conſilium pateſieret: cuius generis exempla e Gregorio Turonenſi nota ſunt plura: tum in furto maxime, et rapina, et adulterio. Quod ſi itaquae quaeſtione nulla exprimi poſſet confeſſio, nullus ſane ſupplicio locus eſſe potuit; potuit et forte pro innocenti haberi reus; vt vero dei iudicium ac voluntas per quaeſtionem declarata haberetur, an in populorum horum annalibus ac chronicis exempla exſtent, lectionis copia virorum doctorum demonſtratum dabit.

ac necaſſe, *peculiumque filii Cereri conſecrauiſſe.* Lege Valeria de prouocatione, qua ſententiae magiſtratus exequendae ius ſiſtitur, eum qui prouocauit, *virgis caedi ſecurique necari* vetitum eſt; (vt tamen populi condemnatum ſuffragiis ſupplicium maneret) donec lex Porcia omnino, *ne ciuem virgis caedi liceret*, cautum eſt: (Liv. X, 9.) Iterata in eam rem lex Sempronia Tib. Gracchi. Manſit interea lex militiae, vt virgis caederentur milites; ſenſim tamen legis Porciae vim ad milites quoque traductam fuiſſe, vel ex M. Liuii Druſi lege *) colligas, qui a DCXXXII. ad populum tulit, ne quem ex *Sociis Latini nominis in exercitu virgis caedere liceret.* Ciues adeo qui eſſent in exercitu caedere multo minus licuit. Nec tamen lex aut tum perlata eſt, aut omnino manſit: quo v. c. locus Salluſtii (Iug 69.) de Turpilio ſpectat. **) Sed notiora ſunt haec, quam vt in iis haerere liceat.

Non aeque in promtu habetur, *cur ſupplicio addita fuerit virgarum ſaeuitia.* Satis, vt diximus, videri potuit, vt quis capite plecteretur: quorſum corpus eius verberibus lacerari opus fuit? Vidimus qui *verberationem pro quaeſtionis genere* haberent ante ipſum ſupplicium adhiberi ſolitae: quemadmodum apud Gallofrancos, humaniſſimum populum, ea etiamnum immanitas frequentatur, vt praeter illam quaeſtionem, quae, interea dum reus lege interrogatur, adhibita eſt ad confeſſionem criminis exprimendam,

*) Plutarch. in Gracch. p. 838. E.

**) V. Lipſ. de Mil. Rom. V, 18. Ducker ad. Liv. Epit 57.

mendam, ante ſupplicium ſumendum altera admoveatur, qua cogatur reus inter tormenta criminis ſocios edere *). Nec tamen inter Romanos ſimilis conſilii veſtigia apparent.

Alia de eo more coniectura fieri poſſit eo, vt *nouiſſimo ſupplicio corporis iniuriam grauemque dolorem accedere* voluerit ea lex, quae virgis caedi iubebat eos, qui ſecuri eſſent percutiendi; ſcilicet *vt ſe mori ſentirent.* Ab hac enim acerbitate plerorumque populorum ius criminale profectum eſſe videri poteſt, inprimis in poenis et ſuppliciis ſtatuendis; et vbique fere illud obſeruare licet, in barbaris moribus et inſtitutis, meliore humanitatis cultu ſuccedente emendari ſolitis, ius criminale eſſe illud, e quo vltimo loco barbariei veſtigia eluuntur. Neque mirationem hoc facere debet. Verſatur enim res in cauſſis ſingulorum; de ſumma reip. agi non putatur; etſi grauiſſima res, corporum vitaeque incolumitas, in diſcrimen adducta eſt, ad ſe tamen propius adrepſiſſe malum nondum quisquam videt; ii autem qui reip. adminiſtrandae praeſunt, rem impeditam eſſe, nec ad tributa et vectigalia quicquam inde redundare videntes, malunt antiqua ſeruare. Altera ex parte vbique fere ortum eſt ius criminale in prima illa feritate et barbarie, a qua gentes ad humanita-

*) Altera haec appellatur *la queſtion préalable,* prior vero ordinaria *la queſtion préparatoire:* vid. inter alios *Muyart de Vouglans Loix criminelles de France miſes dans leur ordre naturel* p. 59. 797. 817. Superioribus annis multa de acerba et immani hac quaeſtione tollenda dicta et acta ſunt: an euentum habuerint, non teneo.

manitatem progreſſae ſunt; conſtitutae poenae recenti crimini nouique exempli ſceleri *ab animis ira et odio exacerbatis;* illa ipſa ſupplicii atrocitas mox alias iras et odia hominum inflammauit; vnde noua ſcelera, noua immanitate punienda. Succedunt aliquando tyrannides et imperia cruenta; aut factiones et ſeditiones in republica: ita in humaniſſimo populo Graecorum quot ac quanta exempla atrociſſimorum ſuppliciorum memorantur! Poteſt et illud euenire, vt in populo, etiam aequis legibus conſtituto, tempora incidant, vt grauiori facinori poena ſimplex non reſpondere videatur: poteſt adeo augeri et tanquam cumulari illa, adiecto corporis dolore. Si Caeſaris verba apud Salluſtium (Catil. 51.) memineris, a Graecis id, de quoquaerimus, acceptum videri poteſt: *ſed eodem illo,* inquit, *tempore* (quo multa a vicinis ſociisque populis ſumſere Romani) *Graeciae morem imitati, verberibus animaduertebant in ciues, de condemnatis ſummum ſupplicium ſumebant.* Nec tamen, ſi ſeuerius inquiras, ea ſatisfaciunt. Nam primo non de ſupplicio *ita* ſumto, *vt virgarum verbera antea infligerentur*, loquitur Caeſar, ſed de vtraque re *ſeparatim.* Virgis caeſi Romani in leuioribus criminibus; teſtabantur illum morem faſces magiſtratuum; et ſeruatus mos in militia; hactenus nihil ſimplicius videri potuit poenis inter Romanos: virgis ſcilicet expeditis poena omnis ſeu capitalis ſeu non capitalis inflicta. Graeci autem, a quibus petitum morem ait Caeſar, qui intelligendi ſint, non ſtatim aſſequi licet; nam nec a communi aliquo iure Graecorum nec ab Athenienſibus haec petita eſſe conſtat; videtur itaque Graecia magna,

magna, in inferiore Italia, intelligi, in cuius civitatibus hunc morem viguiſſe, ex eodem hoc loco diſcere forte licet.

Meliorem tamen illuſtrationem afferre huic rei poſſumus, ſi animum eo attendimus, quod ille virgis caedendi et ſecuri percutiendi mos non primitiuus habendus, ſed iam paullulum deflexus et immutatus; fuit enim antiquior ille multo ſeuerior, vt virgis ad mortem caederetur reus condemnatus: in cuius atrocitatis locum ſucceſſit mox lenior ratio, vt ſecuri percuteretur ille, antequam ſub virgis exſpiraret: qua quidem ſuſpicione non male nos duci apparebit ex iis ipſis, quae de antiquiore ſupplicii genere commemorantur. Apud Suetonium Nero (c. 49.) cum audiſſet, *ſe hoſtem a ſenatu iudicatum, et quaeri vt puniatur, more maiorum*, interrogato, *quale id genus eſſet poenae, comperit, nudi hominis ceruicem inſeri furcae, corpus virgis ad necem caedi.* Hoc igitur erat, *more maiorum in aliquem animaduertere* hoſtem iudicatum (cf. Eutrop. VII, 15.). Manſit ſcilicet antiquior ille ſupplicii mos *in perduellibus;* quemadmodum etiam ab initio in perduelles illud ſupplicium fuit lege conſtitutum; latiore forte vocis acceptione, quandoquidem etiam Horatius parricidii in ſororem reus perduellionis iudicium ſubiit; niſi forte ſtatuere malis, ſtatim ab initio reip. eam iuris fictionem inualuiſſe, vt, qui caedem aliudue ſcelus commiſiſſet, ciuium numero exemtus inter perduelles, hoc eſt reip. hoſtes, referretur, eoque perduellionis poena afficeretur. Ita enim Horatii, qui parricidii reus erat, cauſſa in primis ſtatim

 Liui

Liuii capitibus comparata fuiſſe videtur, cum Hoſtilius rex duumuiros faceret, *qui ei perduellionem iudicarent ſecundum legem;* erat autem lex de *perduellibus* lata: *Duumuiri perduellionem iudicent: ſi a duumuiris prouocarit* (ſc. perduellis), *prouocatione certato; ſi vincent* (illi), *caput obnubito* (ſc. is, cui illud populus mandauerit faciendum) *infelici arbori reſte ſuſpendito; verberato vel intra pomoerium vel extra pomoerium* h. e. furcae *) alligatus reus ad necem caeditor. Hunc igitur atrociorem ſupplicii morem aiebamus cum leniore mox ſecuris, qua virgarum cruciatus ſiſtebatur, permutatum eſſe.

Manſere tamen plura, quae ad eum alludere videri poſſunt. Primum, grauius illud ſupplicium more patrio ſumi ſolitum eſt ab iis qui virgini Veſtali ſtuprum fecerant **). Perduellionis autem poena capitis fuit etiam poſt Legem Porciam: nec tamen tam conſtanter, quo minus aut hominum potentia aut reip. tempora impunitatem facerent (id quod ſatis colligas ex Caeſaris oratione ap. Salluſt. Catil. 51.) nec vbique cum verberatione. Ita Lentulus et reliqui Catilinariae coniurationis ſocii gula fracta necati: extra ordinem vtique et a Senatu, vt pote in rebus ſubitis ſummoque reip. diſcri-

*) Eadem aliquoties crux appellata; vt ap. Cic. pro C. Rabir 5. 10.

**) Dionyſ. IX, 40. VIII, 89. Liv. XXII, 57. priore quidem loco Dionyſius parum accurate: *pontifices*, inquit, eum *συλλαβόντες ἐν ἀγορᾷ μάστιξιν αἰκισάμενοι, καθάπερ ἀνδράποδον, ἀπέκτειναν.* Nam ſerui flagris, at ille virgis ad necem caeſus eſt.

diſcrimine. Tranſiiſſe tandem perduellionis notio videtur in maieſtatis crimen, etſi diuerſam vtriusque conditionem adhuc ab Vlpiano commemorari videmus l. vlt. D. ad L. Iul. Maj. Semel in Liuio occurrere meminimus perduellionis reos in exilium ituros; (Cenſores quidem illi erant C. Claudius et Ti. Sempronius, a Tribunis pl. in iudicium populi adducti: XLIII, 16.) ita vt ab antiqua lege receſſiſſe et in hoc videantur Romani; quam tamen revocarunt alio tempore, quemadmodum accuſatoris acerbitate et iudicum cupiditate factum conſtat in C. Rabirio perduellionis poſtulato: pro quo Ciceronis oratio extat: (v. cap. 3. extr. 4. pr.)

Porro antiquus virgis ad necem caedendi mos manſiſſe videri debet in militia; nam fuſtis virgae locum occupaſſe putandus, fuitque *fuſtuarium*, triſte ſupplicium, quo in caſtris in grauiora flagitia animaduertebatur: de quo quidem adeundi ſunt antiquitatis Romanae libelli *). Videtur tamen illud

 in

*) Inprimis Lipſ. de Milit. R. lib. V. dial. 17. Faſces apud Coſſ. et Praetores erant; adeoque virgarum nullus eſſe vſus potuit in poenis a Tribuno vel Centurione inflictis; at hic vitem geſtabat, quam interdum fuſtis nomine appellatam credere licet; in aliis locis fuſtis viti opponitur, vt in noto Liuii loco Epit. 57. *Quem militem* Scipio *extra ordinem deprehendit, ſi Romanus eſſet, vitibus, ſi extraneus, fuſtibus cecidit.* In fuſtuario arreptis vallis milites in commilitonem condemnatum et a Tribuno fuſte percuſſum ſaeuiiſſe videntur. Nec ignominia caruiſſe videtur fuſtuarium; magis tamen propter ipſam flagitiorum naturam. Neque definire auſit aliquis, quod in XII. tabb. occurrebat, ſi quis alterum publice diffamaſſet et carmen in eum condidiſſet,

in iis modo cauſſis, quae Polyb. VI, 35. commemorat, locum habuiſſe; in aliis vero virgis caeſus et ſecuri percuſſus eſt reus. Mature tamen ſucceſſit in ſecuris locum gladius.

Ex quo vero virgarum et ſecuris vſus inualuit, ſimili exemplo etiam deiectionem de rupe Tarpeia praeceſſit verberatio. Eodem quoque more animaduerſum eſt in ſeruos, vt, antequam in crucem agerentur, flagris, pro virgis, caederentur. Quid in matronis necandis obſeruatum fuerit, non ſuccurrit; ſtrangulatas reperimus, aut fuſte percuſſas *).

Verum dimittendum tandem eſt e manibus, aut abiiciendum potius, argumentum ab huius diei ſollennibus abhorrens et alienum. Quod ſi veteres adhuc inter nos ſuperſtitiones vigerent, verendum vtique eſſet, ne infauſti adeo ac ſiniſtri ominis illud haberetur. Nihil tamen in nouo magiſtratu, qui nunc proditurus eſt, aut de tormentis ac quaeſtione aut de virgis et ſuppliciis metuendum eſt. Verum in litterarum ſtudiis, quod in ſcena fieri ſolet, contingit, vt etiam ex triſtibus atroci-

diſſet, quod ei infamiam flagitiumue faceret, vt fuſte feriretur: (*fuſte ferito*) ſitne cum infamiae nota conſtitutum, vt fuſte pro virga caederetur; nam vt ſupplicium fuſtuarium hac lege ſancitum eſſe credamus, non adducimur. Fuſtis vtique ſub Impp. virgarum locum occupauit, et fuſtibus verberati ingenui, ſerui flagellis; id quod ex LL. notum eſt. l. 10. l. 28. §. 1. 2. D. de Poen. cf. Spanhem. O. R. cap. 24. Eo tempore fuſtis etiam in legionibus inter militares poenas eſſe coepit.

*) v. c. Valer. Max. VI, 3. 8. et 9. Ad reliqua cf. Gruppen de tormentis Rom. in Obſ. Iur Crim. p. 47. ſq. e LL. XII. tabb.

atrocibusque ſpectaculis voluptas capiatur; cum vmbram rerum temporumque, non ipſam veritatem, ante oculos poſitam habeas, teque ipſum a tot malis, quae humanitatem obſepiunt, intactum liberumque ſentias. Quae res multo magis ita ſe habet in iuris prudentia, cuius magna pars in iis rebus verſatur, quarum vſum adſpectumque optimus quisque refugit et auerſatur. Eſt autem is, cuius potiſſimum cauſſa haec ſcripta ſunt, ex Prudentum ordine vir ſummus, de Academia noſtra merentiſſimus,

IO. STEPHANVS PÜTTER, D.

ad quem magiſtratus academici craſtino die ſuſcipiendi honos cum inſignibus publice transferetur: id quod fiet pompa ſollenni ex more in templum academicum ducenda. Nos itaque ad officium noſtrum pertinere putauimus, vt vobis, Ciues, publice haec declararemus, vtque vniuerſos ac ſingulos, inprimisque Te, Princeps Sereniſſime, vosque, Comites Illuſtriſſimi, Barones ac Nobiles, omnesque, loco quemque ſuo, ſtirpe, ingenio, doctrina, virtute, conſpicuos, rogatos eſſe vellemus, ne ſollennibus his intereſſe grauemini, ſed ad comitatis non modo et benignitatis, verum ad pietatis quoque et amoris officia eam rem referre haud dedignemini. PP. in Georgia Auguſta d. VI. Auguſti cIↃIↃccLXXXIV.

XII.

ACADEMIAE GEORGIAE AVGVSTAE
PRORECTOR
IOAN. STEPHAN. PÜTTER
CVM SENATV
ANNIVERSARIA INAVGVRATIONIS
SACRA XXXXVII.
RITE INDICIT

SIMVLQVE
VEN. SVI COLLEGAE
SAM. CHR. HOLLMANN
FERIAS MVNERIS PROFESSORII
SEMISAECVLARES
CELEBRAT.

Hiſtoriae naturalis fragmenta ex oſtentis, prodigiis et monſtris.

Commentatio prior.

Anniuerſarium Georgiae Auguſtae inauguratae ſacrum, Ciues, indicimus *quadrageſimum et ſeptimum;* vt adeo *tres* deſiderentur ad explendum *ſemiſaeculare* tempus anni. Interea ex noſtro Collegio vnus eſt, cui ea felicitas contigit, quique eam ſuis Collegis tanquam communem impertit, vt

vt *muneris ſui profeſſorii* in hac Academia noſtra feliciter geſti *annos* expleat iam nunc *quinquagenos* celebretque adeo feſtum ſemiſaeculare hoc ipſo anno, vir aetate meritisque venerabilis, SAM. CHR. HOLLMANN, qui hac ipſa anni parte, imminente auctumno, anno ſaeculi XXXII. ad philoſophiam docendam in Academiam hanc tum condendam euocatus, annos exegit munereque profeſſorio functus de rebus noſtris bene meruit per annos inde quinquaginta: multarum ille in litteris inprimis philoſophicis inque rebus academicis viciſſitudinum et conuerſionum teſtis, auctor, *pars magna*. Vidit ille Collegas alios diſceſſu modo ex hac vrbe modo ex vita facto ereptos, alios immigrantes et munere famaque prioribus ſuccedentes, ipſe plerisque ſuperſtes. Eſt enim litteraria vniverſitas arbori illi Cumanae Sibyllae ſimilis, quam Virgilius tam feliciter in Aeneide ſua plantauit, *aureo ramo* inſignem, quem ſi decerpſeris, *primo auulſo non deficit alter aureus, et ſimili frondeſcit virga metallo a*). Cumque ei a multis iam annis aetas honeſtam miſſionem feciſſet: veteranus tamen ille ſtipendia facere et, quod docendi partibus decederet, ſcribendi ſtudio ſupplere, ſeu addere, malvit. Viuit itaque, nonagenario iam propior, in otio negotioſus, curis ſtudiisque philoſophicis occupatus, nec inertiam et vacuitatem, quae tot ſenes turpi errore miſeros ad vitae poenitentiam adegit, pro quiete et tranquillitate amplexus; proſpicitque tanquam e ſpecula philoſophiae ſuae viridaria,

a) Aen. VI. 136 - 144.

daria, multiplici colentium opera, modo *in ſilvam altam Jouis lucumue Dianae* excreſcentia, modo, reliqua agri parte ſentibus ſpinisque gliſcentibus relicta, *in ambulationes geſtationesque amoenas contracta*, tum *in topiaria ſuauesque areolas ac ſaepes* efflore-ſcentia, modo ad cultum rectum ac ſimplicem, oſtentatione et mollitie procul habita, reuocata. Congratulamur itaque ei fortunam hanc ſingularem et vnicam, quod ſuum ipſe ſemiſaeculare feſtum celebrando ſemiſaeculari academiae feſto trinis ſaltem annis praeludit; quandoquidem trinis annis, quam vocati erant profeſſores, ſerius inaugurare Academiam placuerat; quodque ex primis Georgiae Auguſtae condendae profeſſoribus, a conditore Georgio II. Munchhuſii cura euocatis, ipſe eſt is, qui ceteris ſepultis vltimo loco ſuperſtes eſt. Habemus nunc in votis, vt ſacra quoque ipſius Academiae ſemiſaecularia tertio abhinc anno ſucceſſura Collegii noſtri aetate princeps vigens laetusque inter nos celebret, nec, quod de ſenio conqueratur, habeat, niſi quicquid moleſtiae ipſa natura abeſſe negat. Iungentur haec eadem vota votis publicis, quibus ex more diei craſtini ſollennia celebrabuntur, ducta in templum academicum pompa, cui vt frequentes intereſſe et ſua quisque pietate pietatem et hilaritatem vniuerſorum accendere velitis, Te quidem, Princeps Sereniſſime Naſſauienſis, vobisque, Comites S. R. I. Illuſtriſſimi, praeeuntibus, a vobis, Commilitones maiorum aut propria virtute ornatiſſimi, nos ita impetraturos eſſe ſperamus, ſi ad animos noſtros id gratiſſimum et ad officii veſtri amorisque ſignifi-

ſignificationem validiſſimum fore profiteamur. Praeibit autem in votis publice ſuſcipiendis verba Profeſſor Eloquentiae CHR. G. HEYNE verbis factis ſuper dicto illo Cardinalis Ximenii, qui, condita ſua Academia Complutenſi, *non modo prandium ſe, ſed coenam quoque curare velle profeſſoribus ſuis b*). pronuntiauit: exponetur vis et ſententia huius dicti cum cauſſis ſuis, transfereturque fabula a Complutenſis Academiae tanquam ſcena, ad Georgiam noſtram Auguſtam.

Interea, cum, more maiorum, a nobis curandum ſit in pagina hac, vt in extrema ora ſubiungantur nonnulla, quae animos veſtros tenere poſſint: agedum, Ciues, commentemur pauca de re nec a publico ſenſu nec a priuata doctrina abhorrente, cum votis autem publice faciendis olim admodum coniuncta, cum ad *oſtenta et prodigia nuntiata* magna religionum pars vulgo pertineret.

Sane quidem, quae ſuperiore anno fuit mira caeli facies caligine ac nebula ceu fumo obducti, ſole ſine ſplendore rubente, ſaepe in animum reuocauit veterum ſaeculorum prodigia et oſtenta, ſubindeque gratum laetumque excitauit ſenſum, noſtrorum temporum felicitatem reputantibus, cum liberati ſimus ab illa ſuperſtitionum ſeruitute grauiſſima, qua deuincti animi, quicquid praeter naturae morem ſollennem fieri viderent, pro por-

N 5 tento

b) Expoſita res eſt accurate ab Aluaro Gomecio de reb. geſt. Franc. Ximenii lib. IV. p. 1018. in Schotti Hiſpania illuſtrata.

tento haberent, et, ad iram minasque numinis illud referendo, non niſi atroces inde euentus ominarentur. Si enim ſuperioribus aetatibus ſimilis caeli, quod nos ambit, ſpecies ſeſe oculis obtuliſſet, perculſi terroribus animi quot mala futurorum annorum extemplo praerepturi, quas calamitates ex toto terrarum orbe auditas in computationem praedictionum fuiſſent cumulaturi! Redibat in animum *defectus* ille *ſolis*, quem vulgo vocabant, *prodigioſus et longior*, (Plin. II, 30 ſ. 29. ſeu verius ſolis lumen caligine obſeſſum *c*), *totius paene anni pallore continuo*, occiſo Dictatore Caeſare, coniunctus ille quoque, non minus quam is, quem ipſi vidimus, cum terrae tremoribus, vaſtis ignium torrentibus ex Aetna ſe praecipitantibus *d*). Nemo tum fuit cui non perſuaſum eſſet, bella ciuilia recrudeſcentia portendi, quae ſane, etiam a minus prudenti, iam tum praeuideri poterant. Vtilitatem res habuiſſet, ſi in illo caeli habitu aliquid fuiſſet, quod vim haberet ad animos, ambitione impotenti et miſera regnandi cupiditate attonitos, a conſiliorum audacia abſtrahendos. Enimuero id hominum genus, quod *ventoſo Gloria curru* vehit, caeleſtia haud facile circumſpicit: quales animi etſi nec temporibus noſtris deſunt; non enim niſi cum humana natura defectura deficient mortales ſuae ſeu gloriae ſeu vtilitatis opinatae meſſem ex generis humani vaſtitie facturi; felices tamen ſumus in hoc quod ea mala non metu praeſenſa bis ſentimus.

Eſt

c) Plutarch. Caeſ. ſub f.

d) v. loc. Virgil. Ge. I, 466 ſq. 472.

Eſt ea naturae humanae imbecillitas, vt, niſi diuinitus ſapientia aliqua inſtilletur, omnis humani generis ſcientia ab errore proficiſcatur; vti enim puerilis ingenii ludibria iuuenilem ſagacitatem virilemque ac ſenilem prudentiam antegrediuntur: ita populorum, quid? quod totius generis humani, hiſtoriae docent, praeceſſiſſe vbique ea, quae falſo credita ſunt, antequam ad verum perveniretur. Neque quicquam in hoc eſt, quod mirari aut indignari liceat. Suſcipitur enim omne animi iudicium hominis rudis et imperiti ex primis ſenſuum impulſibus, nec, etſi ſaepius iteratis his, veriori exiſtimationi locus eſt niſi in animis ad contemplandas et comparandas res conuerſis. Omnis quidem, quam late patet, philoſophia a vanis et erroneis opinionibus progreſſa, non niſi longis ſaeculorum anfractibus ad veriora decreta peruenit; neque illa veritas emicuit aut vno momento, aut, tanquam Minerua, ex vno capite; verum ſapere coepere homines in ſingulis et paucis, interdum in quibus vix expectares vt acute viderent, cum interea caecutirent ad alia, quae multo propiora ſaepe erant et patentia oculis; quid verum eſſet, vidit populus alius in hoc, alius in alio. Ne iis quidem res continuo feliciter ceſſit qui primi plura mente complecti auderent; nam vbique fere philoſophandi initium factum videmus ab eo, quo poſt infinitarum rerum nótiones ſero tandem perueniendum erat; ab rerum quippe elementis conſtitutoque ex iis hoc vniuerſo profecta eſt ſapientia Orientis et Graeciae, cum de ſingularum rerum naturis conſiderandis nondum

eſſet cogitatum; naturae vero cognoſcendae ſtudium, omnis verae philoſophiae fundus, humanae mentis fax certiſſima, ad ea quoque, quae extra ſenſibilem naturam poſita eſſe dicuntur, omnium ſcientiarum maxime ſera habuit incunabula et tarda incrementa: e qua tamen antequam lux affulſerat, innumerae falſae opiniones, ſomnia, ſuperſtitiones, errores, hominum animis eximi, aut ex ſacris profaniſque diſciplinis tolli nequiuere; itaque noſtro quoque tempore in vtroque hoc doctrinae genere, quo quis eſt naturalis ſcientiae imperitior, eo eſt in defendendis iis, quae perſpecta ſatis non habet, pertinacior. Idcirco eaedem hominum ſuperſtitiones diutius, quam alias factum eſſet, omne naturae ſtudium retardarunt; inprimis eo quod iis, quae praeter naturae morem euenirent, hominum animi multo magis attenderent, quam iis quae ordine rerum ſollenni procederent. Iam hunc ipſum ordinem cum tam parum contemplatione et inueſtigatione cognitum haberent etiam doctiores; eorum, quae praeter morem fierent, cauſſas quomodo explicarent, habere non poterant. Itaque confugitum eſt ad cauſſas, quarum vim multo minus perſpicerent, quam ea ipſa, quorum cauſſas elicere volebant, ſcilicet, ad interuentum deorum; terrorque ex rerum nouitate iniectus deorum iras finxit, quarum oſtenta illa eſſent ſigna. Cum autem genus humanum vix vllo tempore ab omni malorum genere vacet: nunquam non ad manus erant calamitates, quae aut tum ingruerent aut mox ſuccederent, quarum cauſſae ab illis oſtentis deorum iras portendentibus repeti poſſent.

poſſent. Rurſus oſtentorum nuntiandorum opportunitas haud facile deerat, quandoquidem pleraque ex phaenomenorum numero erant, quae ab aeris intemperie, terrarum exhalationibus, ignium eruptionibus, aquarum eluuionibus, orta ad vim vitalem, agrorum pecudumque prouentum, humanumque corpus, poteſtatem et noxam habent. Conuerſi hinc ad placandam deorum iram animi ab omni alio cauſſarum cognoſcendarum genere fuere abducti. Itaque vt amnibus exundantibus alluuione fundi interdum pars ad alienum agrum adhaerere ſolet, ita confuſis finibus acceſſit religionibus id, quod philoſophiae, inprimis phyſicae, addictum eſſe debuerat; eaque iniuria, ac verius ſacrilegium, cum ſemel graſſari coepiſſet: inuenta ſacra et ritus ad expianda oſtenta et auertendam numinis iram, et pro ea diſciplina ac ſcientia, quae rerum naturalium contemplatione cauſſarumque inueſtigatione contineri debebat, nata eſt alia diſciplina, haruſpicina et ars auguralis, omninoque diuinatio, quae a meris commentis et opinionibus viſa et audita repetebat. Conſuli coepere vates, adiri dii, monſtrari ritus expiationum, fundi oracula, recitari vaticinia et carmina Sibyllina: cum Naturae dictata eſſent accipienda. Neque ipſa philoſophia ex his laqueis, quibus ſemel irretita erat, expedire ſe potuit; id quod lectis praeclaris Ciceronis de diuinatione libris vnusquisque facile intelligat; ita enim inde ipſe diſcedere te ſentias, vt, quid ad ſuperſtitiones illas tollendas ſatis validum ſit, non habeas, niſi, cum altera philoſophorum ſecta, deorum prouidentiam ſublatam

tam eſſe velis. At primo loco occurrere debebat illud, vt de ipſa re dubitares, vtque et deos eſſe et eos rebus humanis conſulere affirmares, diuinationem autem omnino eſſe vllam negares, niſi e cauſſis phyſicis. Verum ad ipſa placitorum principia, tanquam fontem, nemo auſus eſt accedere, et, quid illis veri falſiue inſit, videre. Scilicet ea eſt humani ingenii imbecillitas, vt, admiſſa ſemel opinione ac doctrina, aliorum ſeu temporum ſeu hominum auctoritate firmata, etſi difficultates ac dubitationes vndique ſuſpicionem de ipſa opinione eiusque fundo moueant, malimus tamen in iis, quae aduerſari videantur, tollendis et refellendis vanam operam et ſubtilitatem adhibere, quam ad ipſum opinionis fontem deſcendere eiusque venas inſpicere. Simili modo obſeruationes ſuas nugatorias ſtudioſe proſequuti cum Etruſci aruſpices, tum Romani pontifices auguresque, ſubtiles inuenere rationes cauſſasque, cumque his modos placandi numinis malorumque auertendorum; quibus cum et religionum et annorum auctoritas acceſſiſſet: adſcripta ſunt prodigia et oſtenta vna cum procurationibus Pontificum annalibus et Faſtis; cumque, ceteris extinctis, hoc veteris memoriae genus antiquitatisque monimentum ſeruatum eſſet: mirum non eſt, ſi ipſi ſcriptores, cum iisdem opinionibus imbutos haberent animos, eadem prodigia in rerum geſtarum memoria repetere, et in annales ſuos referre non refugerunt. Itaque Liuius quoque antiquitatis auctoritate motus ſe *religione quadam teneri* fatetur, *quae prudentiſſimi viri publice ſuſcipienda cenſuerint*, vt ea *pro dignis*

gnis habeat, *quae in ſuos annales referat e*). Tam ardua res eſt humanis ingeniis, ad ipſa rerum principia eniti, iisque ſublatis mille vanarum opinionum arcem euertere.

Interea, vt in rebus humanis fieri ſolet, cum his ipſis prauis opinionibus, quas ſuperſtitiones diſſeminarunt, via parata eſt meliori ſapientiae proluſumque philoſophiae, quod ab inſolitarum ac mirarum rerum contemplatione tandem proceſſum eſt ad ordinem moremque naturae ſollennem et conſuetum, cuius diligenti conſideratione, quae multo magis ſtupenda rerum miracula offerre poterat ac debebat, (quandoquidem aeternus et diuinus plane rerum ordo multo plus admirationis habet, quam vna aliaue res, quae ab eo recedere videri poteſt) philoſophia ea tandem incrementa habuit, quae, Ariſtotelis et Theophraſti aliorumque iis ſimilium virorum obſeruandi et iudicandi acumine ſubſtructa, mox inani multorum ſubtilitate disiecta, noſtris aetatibus iterum repoſita, firmata et aucta, ad praeclaram hanc, quam videmus, regiam excreuerunt. *Macti* itaque, vt cum Plinio loquamur, *ingenio eſte, caeli interpretes rerumque*

e) Lib. XLIII, 13. ait ibi: *non ſum neſcius, ab eadem negligentia, qua nihil deos portendere vulgo nunc credant* (quia eos prouidere rebus humanis negabant: cum his tamen rerum cauſſas naturales non magis tenebant) *neque nuntiari admodum vlla prodigia in publicum* (tam late enim propagatis imperii finibus nullus dies fuiſſet, quin nuntiatum eſſet nouum prodigium; recepta itaque perſuaſio, nullam vim habere et omina et portenta ſi non ſuſciperentur, h. e. ſi nemo illa curaret) *neque in annales referri.*

que naturae capaces, argumenti repertores, quo deos hominesque viciſtis. Nobis, quibus, alia in re occupatis, in huius regiae veſtibulo tantum obambulare conceſſum eſt, dum ſacrorum apparatus curantur, licebit alia via ingredi et ex iis ſuperſtitionibus et prodigiis, quibus exterriti animi ad vanas expiationes confugerunt, vtilitatem aliquam capere hactenus, vt animaduertamus fuiſſe ea nihil aliud quam caſus inſolitos resque praeter naturae morem factas, quibus adeo illuſtrari poſſit hiſtoria naturalis, inprimis Italiae, vt inde aſſequamur, quae omnino priſcis aetatibus in natura inſolita ac mira haberi, quae raro tum contingere, aut hominum ſenſus maxime mouere, aut quorum ratio et natura inprimis ignorari, conſueuerit; ſimili modo, quo in barbaris aetatibus ex ſtuporis monachici fraudisque religioſae praeſtigiis vtilitas aliqua poteſt percipi, ſi ad ea attenderis, quae in populo quoque et ſaeculo ad plebeculae mentes tenendas maxime vim habuerint, quaeque cum opinionibus religioſis et cum reip. adminiſtratione maxime coniuncta fuerint; ab hac enim proficiſcitur iterumque in eam redundat, quicquid ad animorum vera an falſa iudicia de iis rebus, a quibus morum indoles rerumque actus pendet, vim et poteſtatem habet.

Vt autem certa ratione procedat noſtra commentatio, ex immenſo, quo vagari poterat, campo reuocemus eam ad anguſtiorem orbem Romanae antiquitatis; etſi nullus facile fuit populus, qui non ſua haberet prodigia et oſtenta, diuerſi vtique

que generis diuerſaeque indolis; ita vt de ingenio nonnullorum populorum, non minus quam temporum, ex ipſo prodigiorum narratorum genio fieri poſſit iudicium; temporum quidem, quatenus ſeriora plus fraudis et praeſtigiarum, imitandi quoque vetera narrata ſtudii; antiquiora inſcitiae et ſimplicitatis plus habere ſolent; populorum autem, quandoquidem Oriens Solem Lunamque de caelo deſcendentes, montes ambulare ſolitos, maria exareſcentia, dehiſcentes amnes, narrat; Aegyptus *f*) deos in conſpectum venientes, repertumque alicuius dei ſandalium (Herod. II, 91.) regem propter impietatem excaecatum et viſum caſtae mulieris lotio recuperatum (c. 111.) ſacerdotum ſomnia et Aſſyriorum ſcuta a muribus corroſa; (c. 141.) Sinae dracones e ſolio regio prodeuntes aut eum in ſpirae modum ambientes *g*); Phryges ſuum Atyn virilibus priuatum magnae deum matri nihilominus probatum; eiusdem deae Peſſinunte delapſum ſignum; Troes ſuum Palladium; Scythae tonitrua per hiemem facta et terrae motus (Herod. IV. 28.) quae omnia notationem aliquam ingeniorum vnius cuiusque populi et morum habent. Verti quoque res in artem coepit faciendi prodigia. Tunc in prodigiorum locum et nomen ſucceſſere miracula. Parum tamen caute prodigiorum nomine appellares rubum ardentem nec flamma conſumtum vocem-

f) De Aegyptiis Herod. II, 82. Τέρατα δὲ πλέω σφὶν ἀνεύρηται ἢ τοῖσι ἄλλοισι ἅπασι ἀνθρώποισι.

g) *Hiſt. gen. de la Chine*, To. III, p. 429. 501.

vocemque ex eo auditam, aut Nilum in ſanguinem verſum et ſic porro. Vſi quoque alio modo prodigiis vates inter Hebraeos, et ipſe Seruator, inſtans Hieroſolymorum excidium vaticinatus: *prodigia*, inquit, *eſſe apparitura in ſole, et luna, et in aſtris*: quae quidem oratio prophetica quorſum ſpectet, vulgo nunc intelligitur; S. Ioannes autem magnam viſorum partem per prodigia praecipitauit, quibus illa aetate non parum teneri ſolebant animi; vt vel ex prodigiis ante capta Hieroſolyma narratis intelligi poteſt; etſi ſtudium hoc portenta narrandi nouaque alia comminiſcendi nec per ſequentia tempora ceſſauit; plena eſt barbarorum ſaeculorum hiſtoria omnis generis prodigiis, nec ſacra ſaeculo XVI. repurgata animos ab his ſuperſtitionibus abduxere, vt doctiſſimorum hominum, Philippi Melanchthonis, Ioachimi Camerarii, cuius de oſtentis liber habetur, tum aliorum exemplis ſatis conſtat. Facilis et expedita iis omnibus erat prodigiorum interpretatio, dum ad malorum daemonum artes ac fraudes ea referrent; qua via ſi ſemel incedere libuerit, phyſica ſane ſcientia omni aequo animo carebimus. Sed Graeci, Etruſci et Romani, vt ad hos populos redeamus, pleraque inter ſe habuere communia *h*), vixque vllum eſt cum omnino diuinationis tum inprimis oſtentorum genus,

h) A Pelasgis, adeoque inde a Thracibus et Phrygibus, aliisque ex Aſia aduenis, pleraque profecta. Itaque iam in Herodoto Xerxi Helleſponto traiecto oblatum prodigium, quod equa leporem enixa, quodque mula mulam vtroque ſexu inſtructam peperit (lib. VII, 57.) Nec tamen in hac prodigiorum et miraculorum enumeratione obliuiſcendum eſt, ſeiungenda eſſe multa nec confun-

genus, quod non inter eos populos promiſcue obſeruatum ſit, niſi quod alius populus alii generi magis deditus et obnoxius fuit. Vt vero haec quoque, quae de Romanis dicturi ſumus, ad meliorem ordinem reuocentur, agite, in claſſes diſpeſcamus prodigia, ita vt referamus alia *ad aeris caelique apparentia*, alia *ad terrae mariſque naturas*, alia *ad animantium*, *cum brutorum* tum *hominum;* illa vero prorſus oratione circumſcripta ſunto, *quae non niſi terrori animorum falſaeque perſuaſioni, mox fraudi ac praeſtigiis* accepta ferenda ſunt: v. c. quod vox repente e luco audita, aut horrendi clamores, ingentesque tumultus per ſilentium noctis ad aures allapſi, tuba quoque in caelo canere viſa; quod bos locuta, aut canis et ſerpens, quod infans ſemeſtris, aut adeo in vtero matris, triumphum exclamauit. Quid vanas obiectas ſpecies memoremus, quibus exterriti hominum animi ad religiones ſe conuerterunt? vt deos, vt Dioſcuros, in conſpectum mortalium venientes; vt ſpectra; vt hominum ſpecies candida veſte procul viſas (Liv. XXI, 62. add. XXIV, 10. Iul. Obſ. c. 77. (16.) c. 111. (50.) vt ſtatuas deorum modo annuentes modo reſpondentes; nam quod loco motae ſunt, aut quod ſudarunt et lacrimarunt, a cauſſis naturalibus, terrae quaſſatae, humorum ex aere, repeti poteſt. His igitur omiſſis prorſusque ſepoſitis nunc ſaltem *ea prodigia* breuiter recenſebimus, *quae ad aeris caelique phaenomena ſpectant*, intraque aeris

O 2 circum-

confundenda aut e mirabilibus a patribus acceptis narrationibus, aut ex ſymbolis et mythis priſcoque narrantium ſermone ducta, aut a ſacerdotum interpretatione et ab hieroglyphis deriuata.

circumiecti ambitum, ſeu atmoſphaeram, continentur.

In his ſunt primo loco imbres inſoliti, modo ſanguinis, modo lapidum, modo terrae, lactis, cretae: quarum quidem rerum haud difficile eſt idoneam rationem reddere, vt tamen ſimul intelligatur, iſta in iis terris narrari, in quibus, cum maris eae littoribus et Apenninis iugis mediae incluſae ſint, ingentes paſſim exoriuntur procellae, turbinumque miri impetus; ab his enim iſta prodigia profecta eſſe manifeſtum ſit, dum aut terra argillacea, quae in multis Italiae, inprimis Vmbriae et Etruriae, locis rubra effoditur, vnde praeclara illa Etruſca dicta vaſa facta, aut creta ab imbre ſoluta, vt et lactis ſpeciem referret, aut campi lapidei, cuius generis in Ligurum et Salyum finibus notiſſimi ſunt, violentis ventis flagellati, in altum ſublati mox turbinis vi iterum in terram deiicerentur. Quod ſi agrorum ſterilitas frugumque inopia aut etiam peſtilentia inſequuta eſſe narratur, non illud abhorrens ab anno ob tempeſtates imbresque parum ſalubri. Illud vero ſi miremur, quod inter haec prodigia ventorum et procellarum mentionem nullam factam videmus: reputandum eſt, notata tantum eſſe in annalibus, quae prodigii ſpeciem referrent; etſi vel ſic haud raro tempeſtatum mentio facta eſt *i*); plerumque vero

i) Vt Liv. XXV, 7. Iul. Obſ. c. 56. (2) Interdum cum fulminibus, aut cum terrae tremoribus coniuncta res et cum aquis ingentibus lib. XXII. 1. ib. XXX, 38. XXXV, 9. Nec vero prodigium vbique cum fide nuntiatum;

vero plura eius generis prodigia coniunctim narrantur, vt ad intelligendum in promtu ſit, a cauſſis iisdem omnia profecta eſſe. Semel carne pluiſſe accepimus V. C. Varr. 295. adeoque fama ſatis antiqua, cui ſi quid veri inerat, etſi re in prodigium aucta, ex ſacro aliquo epulo magnae procellae vi raptas carnes in alium locum delatas credere licet; ipſos Pontifices ſimilis prodigii exemplum expiationisque modum ignoraſſe adiiciunt ſcriptores; vtinam iis, antequam expiare vellent, de ipſa re, quae et qualis illa eſſet, diligentius quaerere libuiſſet *k*)!

In fulminum interpretatione obuia eſt ſuperſtitio, vt quisque facile populus in eam incidat; Etruſci tamen aruſpices in artis eam ac diſciplinae formam redegerunt: de qua Plinius (lib. II. ſ. 52.) et Seneca (Q. N. II, 12 ſq. 32 ſq.) conſulendi ſunt.

O 3 Illud

tiatum; nam exiguum fere locum tales pluuiae occupant: id quod nonnullis ſaltem locis nec adiici neglectum. Ita in villa in Veſtinis lapide pluit: Iul. Obſ. 111. (50.) in areis templorum: c. 59. (3.) c. 60 (4) Ita ibid. c. 83. (22.) in comitio ſanguine fluxiſſe dicitur; interdum guttae tantum ſanguinis viſae, vt *in foro, comitio et Capitolio, et terra aliquoties pluit, et caput Vulcani arſit.* Liv. XXXIV, 45. quod et ipſum meteorum ad aeris electrica materia grauidi naturam ducit. Nec alio, quam quo imbres cruenti, ſpectant ſpicae cruentae in corbem lectae: Liv. XXII, 1. XXVIII, 11. Val. Max. I, 6, 5.

k) Dionyſ. X, 2. Liv. III, 10. Valer. Max. I, c. Piſcibus pluiſſe multis locis ac temporibus, apud Athenaeum auctoribus idoneis notatum legimus lib. VIII. p. 333. maris enim fluctu in terram acto et in aerem turbinis vi rapto piſces alio loco deciderunt in terras. Similes ranarum pluuiae vulgo notae ſunt.

Illud forte mirum videri poteſt, quod in iis terris, in quibus nihil frequentius quam fulgura et tonitrua eſſe ſolent, res tam vſitata tamen in prodigium verti potuit. Sed ad haec plura reſponderi poſſunt: Seruata eſſe tantum ea fulmina, quae aliquid inſoliti haberent, vt cum caelo ſereno intonuiſſet; aut ſi loca ſacra et memorabilia fulmine tacta eſſent, vt templa, viae, muri, portae, ſigna deorum, Praetorium, Capitolium. Singulare eſt, quod ſub a. V. C. 680. memoratur de puella virgine fulmine icta, quod per locos muliebres ad os penetrauerat, lingua exſerta. (Oroſ. V, 15. Iul. Obſ. c. 97. (35.) cum Plutarcho Qu. R. p. 284. A.) at quod homines fulmine ictos et exanimatos inter prodigia retulere, mirari licet, cum ea res non adeo raro accidere potuerit.

Non attingemus ſtellas crinitas communi humani generis errore inter atrociora oſtenta habitas; nec ſtellas interdiu viſas; cuius generis omnino ſunt infinita, noſtra quoque aetate notatu digna habita, quorum tamen cauſſae noſtris phyſicis expeditae dudum ſunt: vt duo ſoles, tres ſoles, duae lunae interdiu, tres lunae; ſolis orbis minui viſus, aut circulo incluſus; ſol nocte viſus, omninoque noctu multa lux clara; caelum ardere viſum, ſpecies legionum, vel armorum, vel ararum, vel nauium in nubibus viſae: quae ad auroram borealem aliasque atmoſphaerae affectiones ſpectare obuium eſt; vti et ardentes faces, aut transuerſas trabes et arcus igneos. Flamma e terra orta et caelum viſa contingere; (Iul. Obſ. 103.) Stellae deciduae,

deciduae, quas vocant, ſeu diſcurrentes. Sol autem ſanguineus ſimilisque caeli facies, qualem et ipſi ante hunc annum vidimus, aliquoties extitiſſe videtur; vt a 542. Liv. XXV, 7. 641. Iul. Obſ. c. 98. (36.) *l.*) inprimis poſt Caeſaris caedem. (v. Plut. Caeſ. ſub f. et alios ad Virgil. Ge. I, 466.) Venere et turbines vehementiores in prodigiorum cenſum, ſi ſigna deorum deiecta eſſent aut aedium faſtigia et tecta. Reate ſaxum ingens volitare viſum (Liv. XXV, 7.) fragor armorum in aere auditus, vt apud. Virgilium (Ge. I, 474. Iul. Obſ. c. 76. 101.) Satis de primo genere. Praeſtat nunc, iis ſepoſitis, ad bona omina ac vota accedere, et numinis pacem, proſperum rerum curſum, conſiliorumque vtilium ſucceſſus publice privatimque precari. PP. in Georgia Auguſta d. XVI. Septemb. cIↃIↃCCLXXXIV.

l) Per omnia fere ſaecula ſimiles caeli obſcurationes ſolisque et lunae rubores commemoratos meminere qui in rerum memoriis cognoſcendis verſati ſunt; ſi tamen iſta prodigia colligas, melioribus auctoribus vtendum erit, quam videmus factum a viro caeteroquin ſagaciſſimo Ioſepho *Toaldo* in *Oſſeruazioni meteorologiche*. Pataui 1783.

XIII.

ACADEMIAE GEORGIAE AVGVSTAE
PRORECTOR
IO. STEPHANVS PÜTTER
CVM SENATV
MVNIFICENTIAM REGIAM
IN
CONSTITVENDIS PRAEMIIS
IN A. D. IV. IVNII
REGIS AVGVSTISSIMI NOSTRI NATALEM
DISTRIBVENDIS
CELEBRAT SIMVLQVE
COMMENTATIONVM QVAE AD CERTAMEN
IN A. D. IVNII IV. ANNI CIƆIƆCCLXXXV HABENDVM
ADMITTI VOLENT
ARGVMENTA
AB ACADEMIAE NOSTRAE ORDINIBVS
PROPOSITA
VNA CVM LEGIBVS MORE AC CONSILIIS CERTAMINIS
PROMVLGAT
KAL. NOVEMB. CIƆIƆCCLXXXIV.

Vix vnquam aliquid, quod ad remp. noſtram academicam pertineret, tanta cum iucunditate, Commilitones, vobis ediximus, quam nunc nouum inſtitutum, quaeſtiones de capite aliquo ex noſtris

noſtris diſciplinis academicis petito proponendi, a Regia munificentia profectum, vobis quidem, Commilitones, vtiliſſimum, nobis honorificentiſſimum, publico praeconio pronuntiamus. De quo quidem vt planius et accuratius vobis conſtet, et vt, quae eius ratio quodque conſilium ſit, recte teneatis, expectatur a nobis, vt nonnulla diſertius de eo exponamus.

Eſt ſtudiorum academicorum, quippe quae in tam anguſtum paucorum annorum curriculum coarctata ſint, ratio fere ita comparata, vt *auditione* et *lectione* illa contineantur; quae etſi ſubſtructio et quaſi crepido ſit, quo quodcunque inaedificetur ſuſtineri debeat, non tamen abſoluit ipſum opus aut aedificationem. Materiam aedificandi paratis, artem et morem tractandi illam, et rationem coagmentandi, modo animi conſideratio et meditatio acceſſerit, addiſcitis; enimuero ad molem educendam alia requiruntur: *dicendi, ſcribendi, agendi facultas:* cumque huius, quam poſtremo loco memorauimus, actionis inquam, opportunitas ipſi vitae relinquenda et in illud tempus, quo officiis vitae ac muneribus admouemini, proferenda ſit, poteſt tamen, tanquam verae pugnae, aliqua velitatio ac proluſio in certamine adumbrato multis rebus inſtitui; dicendi autem ac ſcribendi exercitatio non vno modo haberi et poteſt et debet, quippe qua ea, quae audita et lecta erant, propria meditatione ſubacta et in ſanguinem ac ſuccum conuerſa noſtris quaſi fibris humoribusque aſſimulantur, vt ea tandem noſtra dici poſſint, quae

aliunde accepta erant, vtque nobis in promtu ſit, de iis rebus, in quibus ſtudia collocauimus, dicto ac ſcripto agere commode, ad rem praeſentem et cauſſam ea, quae vniuerſe addidiceramus, adducere, videre quid in quaque re ſit, quid ad eam expediendam pertineat, omninoque vſum et exercitationem parare, eoque ipſo eam agilitatem ac celeritatem agendi, tum confidentiam et alacritatem, quae ab vſu et habitu proficiſci ſolet: quae quidem omnia ſola auditione etſi infinitarum rerum comparari nequeunt. Quid quod multo vtilius multoque optatius videri debet pauca tenere, ſed penitus, et ea in poteſtate habere ſic, vt vbique, et quandocunque iis vtendum ſit, in promtu illa habeas. Pertinet enim ad alia quoque ſtudia, quod de philoſophia egregie apud Senecam *) dicere Demetrius Cynicus ſolebat: *plus prodeſſe ſi pauca praecepta ſapientiae teneas, ſed illa in promtu tibi et in vſu ſint; quam ſi multa quidem didiceris, ſed illa non habeas ad manum.*

Iam in Academiis Germaniae noſtrae ſuperioribus quidem aetatibus plerumque ſatis habitum erat, diſputationibus ingenia acuere; reliqua ad ſcribendi exercitationem reuocabantur, quae tamen intra ſermonis Latini emendatiorem vſum plerumque contineri ſolebat; vt non tam de rebus quam de verbis bene Latinis quaereretur. Erat vtique aliquid praeſidii etiam in hoc; qui enim ſemel exercitationis aſſiduitate in quocunque genere aut ſermone ſibi dicendi ſcribendique vſum comparavit:

*) De Benef. VII, 1.

vit: facultatem ſaltem ſibi peperit cogitata animi verbis efferendi ac commode declarandi. Enim vero orationem vnicuique negotiorum aut rerum tractandarum generi propriam conſequi, iudicandi facultatem roborare, in rebus quoque digerendis, non modo in verbis ſtruendis, ingenii acumen expolire, haec iſto ſaltem modo haud facile obtineri poſſunt. Hac tamen Latinae orationis ſcholaſtica exercitatione contentos eſſe videmus in iuventute erudienda etiam alios populos. Inter noſtrates autem cum ab aliquo inde tempore, non minus in ſcholis quam in academiis, illa quoque ſcribendi ac diſputandi exercitatio neglecta et contemta iacuiſſet: ſentiri tandem coeptum eſt, facultate illa recte ſcribendi de iis, quae auditione et lectione acceperant, non bene noſtros homines carere. Noſtra itaque aetate cogitare coepere viri intelligentes ac prudentes de eiusmodi ſcholis habendis, quibus, curſu diſciplinae academico ad metam fere peracto, ſubiiceretur ſpatium aliquod, quo audita ad ipſum vſum et ſcribendi ſaltem ac tractandi facultatem transferrentur.

Quae cum praeclare conſtituta ſint, cumque acquieſcere forte in iis poſſint pro conſilio ſuo aut ingenio alii, alii tamen habebunt quod conquerantur ſe nimis ſero nec ſatis praeuia aliqua facultate ſcribendi inſtructos ad illa accedere; nec ſufficere ſiue ad ingenium ſiue ad ſtilum acuendum; omninoque in iis quae ſuper argumento docto et ex diſciplina aliqua petito, cogitando, commentando ac meditando, in orationem ac diſputationem

nem proferenda ſunt, nec vſum nec diſciplinam ad manus eſſe; rem nihilominus eſſe ſummis votis expetendam, vt excitentur formenturque ingenia, quo aliquid proprio Marte audeant, audita explicent lectione, lectione quae explicita et amplificata ſint, ſcriptione commoda et congrua in arenam producant; ea autem omnia, vt ingenium humanum ferre ſolet, priuato et obſcuro aliquo conatu vix bene obtineri; certamine plurium inter ſe opus eſſe, quo acuantur vires, ingenia ſuſcitentur; fomitem interdum et flabellum eſſe admouendum; vim, robur, virtutem augeri conatu, ſpe, audentia; gloriae aliquam cupiditatem, honeſtatis ſtudium incendendum; curandumque eſſe, vt locum habeat illud, quod tantam vim ad hominum animos habet, quodque vulgo dicimus: *digito monſtrari et dicier: hic eſt;* quae quidem vna res ad generoſos animos excitandos et inflammandos potentior et efficacior eſſe ſolet, quam omne conſiliorum et monitorum genus aut ratio.

Haec, Commilitones, ſi qui ex noſtris erant, qui perſpecta haberent, poterat id laudi aliqua ex parte haberi; expectabatur tamen illud a noſtra aetate, iudicio, vſu: etſi vt efficeremus illud quod volebamus, nemo noſtrum ſatis habebat facultatis. Quid vero? ſi Is, qui primus haec perſpexit, perſpecta animo verſauit, de exſequendo conſilia iniit, conſilium optimum, modum accommodatiſſimum, rationem maxime opportunam, congruam et conſentaneam, excogitauit, illud nobis inopinantibus denuntiauit, animos noſtros rei nouae admiratione percuſſit;

percuſſit; ſi Is, inquam, Rex fuit auguſtiſſimus, indulgentiſſimus, GEORGIVS III. Magnae Britanniae Rex, Brunſuicenſium terrarum Princeps Elector, Parens Patriae! Cuius prouida cura quum iam antea, his maxime nouiſſimis annis, tam multis praeclare liberaliterque inſtitutis res academica noſtra aucta ſit, conſequimur nouum hoc beneficium, quod vix votis expetere auſi eſſemus, vt ad excitanda et alenda ingenia veſtra et inflammanda ſtudia proponere vobis, Commilitones, poſſimus certamen publice, nobis quidem moderatoribus, ineundum, cui ea inſint omnia, quae animos laudis pulchrae cupidos excitare ac ſtimulare poſſint, ſiue modum proponendi certaminis, ſiue iudicandi ac decernendi rationem, ſiue honorem ac praemium, quod victori oſtenditur, reſpexeritis. Quam felices vos, quibus data nunc eſt copia et facultas, inuitamentum adeo et incitamentum, non modo alendae doctrinae, exercendae orationis, verum et oſtentandi ingenii, doctrinae publice declarandae, laudisque hinc conſequendae et virtutis ex eadem laude amplificandae: ex vetere enim poetae dicto: *virtus laudata creſcit* *).

Conſtitutum itaque et edictum eſt a Rege noſtro Auguſtiſſimo, vt ſingulis annis a quaternis noſtrae Academiae Ordinibus quaterna proponantur certamina ſuper re, ſententia, loco, capite, quae-

*) *Ἀ'ρετὰ γὰρ ἐπαινεομένα, δένδρον ὡς, ἀέξεται.* ap. Clement. Alex. Praedag. I, p. 131. A Sylb. vnde Ouid. ex P. IV. 2, 35. *Excitat auditor ſtudium; laudataque virtus creſcit, et immenſum gloria calcar habet.*

quaeſtione, problemate, controuerſia, ex ſingulis diſciplinis depromta et publice promulgata; vtque commentationi, quae quidem iudicio Ordinis cuiusque Profeſſorum iudicata fuerit praeferenda eſſe ceteris, adiudicetur *praemium*, quod Indulgentiſſimus Rex de re ſua priuata erogatum *numo aureo XXV. aureorum ducatorum pondo et valore* eſſe voluit. Praemia in ſingulos annos Liberalitas Regia proponi iuſſit. Fiet diiudicatio pronuntiabiturque publice in Auditorio academico *die natali Regis noſtri*, qui eſt *M. Iunii quartus;* nam et hoc deſideriis noſtris conceſſit Principis indulgentia. Eodem die nouae concertationis argumenta in annum ſequentem proponentur; id quod nunc temporum ratio alio menſe ac die paullo ſerius facere coegit.

Regia igitur auctoritate ac munificentia conſtitutum eſſe edicimus, vt *ſingulis annis quaterna argumenta concertationis* ineundae publice vobis, Commilitones, proponantur: materia huic veſtrae ſcriptioni petita erit ex iis diſciplinis, quae Ordini cuique aſſignatae eſſe ſolent; quo ipſo expectare licet varietatem aliquam ac diuerſitatem propoſitarum rerum, ita vt modo ex hac, modo ex illa diſciplinae parte aut genere (diſciplinam ſpecialem vocant), modo ex litteris diſciplinisque eius patrimonio accenſis, petitum ſit id, de quo commentandum a vobis erit; vti Theologiae hiſtoria eccleſiaſtica, Philoſophico Ordini, matheſis cum phyſica, hiſtoria, et philologia litteras orientales, graecas, romanas, complexa, adnumerata eſſe ſolet; ſpectabit adeo eius, quod ponetur, dilectus ac diiudi-

diiudicatio, quotiescunque illa fiet, inprimis ad eum, ad quem, aetatis in vno quoque ordine habita ratione, muniis in orbem redeuntibus, vices illae peruenerint, Decani tamen cura, auctoritate et auſpiciis. Facile, nobis vel non monentibus, aſſequimini, Commilitones, dilectum habitum iri problematis hunc, vt ex iis, quae in lectionibus ad tradendam diſciplinam habitis occurrere vel attingi ſolent, caput vel locus paullo grauior ſeligatur, veſtris annis, ſtudiis, viribus accommodate, ita quidem vt cum diligenti lectione, tum meditatione ac contemplatione, facile expedire et enodare quaeſtionem propoſitam vobis liceat. Ita vnusquisque veſtrum publice edito ſpecimine declarare poterit, quantum in diſciplina addiſcenda profecerit, quantum ingenii virium, quantum facultatis ea, quae didicit, calamo et ſcriptura eloquendi et proponendi, quam orationem, quod genus ſcribendi ſibi comparauerit. Licebit ita Profeſſoribus de iis inter vos, qui commendatione noſtra aliquando fortunis ſuis aut laudi conſultum eſſe volent, certius et tutius cognoſcere et ſtatuere. Ad aliorum autem de vobis iudicium quantum ponderis et auctoritatis acceſſurum eſſe putatis iudicio ſimili ex ſcriptione veſtra publice praemio Regio ornata!

Admittuntor autem ad certamen omnes cum indigenae tum exteri; quotquot in Georgia Auguſta hac noſtra ſtudiis operam datis, Ciues, etiam examinandi ac promouendi ad honores ſummos academicos; nec excluduntor praeterquam qui, illo quidem

quidem tempore, quo euulgata erat quaeſtio, examine cum ſtetiſſent, honores academicos decreto Ordinis ſui iam ſunt conſequuti: hos vtique a certamine abſtinere ſatius eſt; de eorum enim doctrina iam iudicium factum eſt illo ipſo nouo honore delato; et habent illi alia conſilia, tum induſtriae acuendae praeſidia, nec aequum eſſe videtur, vt veterani iis, qui ſtipendia adhuc faciunt, praeripiant ſua decora ac praemia propoſita. Conſultum autem eſſe iudicabitis, id quod ipſa res ſatis docet, vt ad ſcriptionem ſe non accingant niſi qui in diſciplinarum curriculo aliquantum ſpatii iam ſint emenſi.

Curabitur porro a vobis, ne commentatio ſit aut foedis, perplexis et moleſtis ductibus obſcurata; aut nimis protracta, prolixa ac verboſa; ſpectat etiam ad ipſam ſubtilitatem dicendi ac ſcribendi, multo magis ſuper argumento e diſciplina aliqua petito, vt non niſi quae ad rem declarandam faciant, apponantur, oratione quidem perſpicua, plana, terſa, venuſta; nullis verborum cincinnis fuco et calamiſtris adhibitis, quippe quae a re et conſilio aliena ſunt.

Oratione vti licebit alia nulla quam Latina; niſi cui libuerit Graeca vti; vernacula excluſa eſto omnis: hoc expreſſe ex Regia auctoritate a nobis pronuntiatur. Etſi enim neminem latet, quam multa bona ad diſciplinas peruenerint ex vſu linguae vernaculae in eas illato: ingemiſcimus tamen nunc clam palamque omnes et per cunctas Germaniae

maniae Academias litterae noxam inde ſibi illatam ſentiunt, quod induſtriae et ſtudii calor refrixit, maxime doctiorum litterarum, quae lectionis variae opes ſuggerere et infinita ex antiquitate ſubſidia et adminicula ſuppeditare poterant ac debebant. Cum non omnes litterae intra mathematicarum ac phyſicarum diſciplinarum fines incluſae ſint; quae forte diſciplinae antiquis litteris carere poſſunt, ſi nil quaeritur quam quod noſtra aetas de his rebus commentata eſt: at reliquae diſciplinae litteris graecis latinisque carere non poſſunt; ex librorum ſacrorum legumque interpretatione magnae magnique momenti diſciplinae pendent; ſunt autem illi libri antiquo ſermone ſcripti, nec, niſi grammaticas copias afferas, recte intelligi poſſunt; praeterea hiſtoriae cum rerum geſtarum, tum ipſarum diſciplinarum, quomodo ſine veterum ſcriptorum lectione cum fide tradi poſſunt? quod vero rei arx et caput eſt, liberalis aliqua inſtitutio, qua iudicium, guſtus et amor pulchri ac veri in oratione, ſcriptione, in artibus artiumque operibus, vnde petenda erit, niſi ex lectione praeſtantiſſimorum omnis aetatis ſcriptorum? Ad hanc igitur mature informanda ſunt ingenia noſtra. Peſſimo errore feruntur, qui omne hoc ſtudium in lingua Latina per ſe addiſcenda poſitum eſſe volunt: non linguam curamus; etſi lingua eſt grammaticis rationibus optime ſuperſtructa, expolita et diſciplinis tradendis accommodata; ſed ea, quae eius linguae beneficio conſequi licet, grammaticae perfectae exemplum ad quod alias linguas comparare poſſimus, logicae bonae et interpretationis callidae praecepta

et vſum; ea curamus, quae ea lingua vſi viri ſummi ſcripſere, ſcripta poſteritati reliquere. Huius itaque linguae ſtudio omiſſo et neglecto, nulloque ſermonis docti vſu parato, ne libros quidem de diſciplinae ſuae grauiſſimis capitibus latine ſcriptos legere poſſunt multi, aut lectiones latine habitas aſſequi; quid? quod ne ſuae quidem vernaculae vſum facile conſequi ſolent ſatis caſtum et elaboratum et ad grammaticam ſubtilitatem conſtitutum. Haec ac multa alia perſpecta cum haberet Regis auguſtiſſimi ſapientia: vt ſermonis Latini honos firmaretur, et barbaries, quae iam tanquam contagione aliqua graſſari coepit, reprimeretur, Regia auctoritate ſanxit, vt latine ſcriptiones exarentur, quae in certamen prodituræ ſint.

Eaedem hae commentationes, quae ad certamen admitti volent, in poſterum ex lege ante Kalendas Martias, Apriles ſaltem, redditae ſunto. Curabitur autem ab auctoribus, vt ipſi lateant iudices ſuos: mittent igitur ad Prorectorem, vel ad Decanum, aut ſi quis malit, ad quemcunque alium Profeſſorem eius Ordinis, ad quem quaelibet quaeſtio ſpectat, libellum ſuum bene obſignatum, nullo nomine appoſito, nullo ſui indicio, veſtigio aut ſuſpicione iniecta, verum perſcripto nomine in ſchedula obſignata, cui dictum aliquod vel verſus inſcriptus ſit, qui idem in commeutationis fronte legatur.

Cum hac via ac ratione cautum eſſe velimus, ne vlla ſuſpicio locum habeat, ac ſi in gratiam ac

ſtudium

ſtudium cuiuspiam aliqua iudicatio facta ſit; diligenter cauebitur et illud, ne commentatio, alieno Marte elaborata, nobis obtrudi a quopiam poſſit; quod ne fiat, non modo veſtra cuiusque fide et honeſta indole confidimus, verum multis variisque aliis viis ac modis, de quibus inter nos conventum eſt, dum Profeſſores omnes ac ſinguli ei rei inuigilabimus, prouidebitur. Quod ſi tamen fraude ac dolo malo alicuius commiſſum fuerit, vt praemium is non ſuae ſed alienae doctrinae et ingenii conſequatur, extemplo publice flagitium hoc proſcribitor, actis litterariis publicis euulgator, et nota inuſta falſario dedecus ſummum infligitor.

Commentationi victrici praemium, vt diximus, conſtitutum eſto nummus aureus XXV aureorum ducatorum valore, procuſus ad hunc ipſum vſum, et Regis auguſtiſſimi imagine effica inſignitus. Quaternis itaque ſcriptionibus victricibus quaterna praemia ſingulis annis adiudicantor, et IV Iunii, Regis noſtri natalis die, nobis vere ſollenni ac feſto, perſoluuntor. Inſtituetur ex edicto ſollennis coetus in Auditorio publico, ſeu templo Academico, praeſente Prorectore, actus ſollennis huius arbitro et moderatore, et Profeſſorum corpore. Praefabitur nonnulla et ſub finem ſollennium ſubiunget e cathedra Profeſſor eloquentiae, academiae orator et interpres; edicet et nuntiabit, quae, et quibus verbis praeſcriptis, redditae ſint ſcriptiones, quid de ſingulis iudicauerit Ordo, ad quem eae ſpectent, tum quae eius iudicio praeferenda eſſe videatur ceteris; interea a

Decano eius Ordinis ſchedula ſoluetur, inde lectum nomen e cathedra publice pronuntiabitur. Eaedem commentationes victrices Regia munificentia prelo excuſae ad Regem optimum ac munificentiſſimum mittentur: id quod diſerte Regia auctoritate nobis eſt iniunctum. Quod ſi alia qua commentatio fuerit, digna laude publica, quae proxime ad victricem acceſſiſſe viſa fuerit, ea publice laudabitur ac commendabitur, auctoris quoque in Programmate mox euulgando nomine pronuntiato.

Inter haec, Commilitones, quid animi futurum eſſe putabitis ei, cuius ſcriptio victrix publice pronuntiata, vtque praemio tam praeclaro ornetur, et vt ad Regem mittatur, digna iudicata fuerit? Frigus glaciale et ſtuporem plus quam Scythicum obſidere pectus diceretis illud, quod non cogitatione tantae laudis ſubſiliat. Vos iam animis arrectis haec legere, nouae laudis ſtudio et cupiditate incaleſcere, conſilia agitare, ſucceſſus animis praecipere, videre nobis videmur.

Conuentu ſollenni, die IV Iunii, vt ſupra dictum eſt, habendo, quo praemia aſſignabuntur, etiam in ſubſequentem quemque annum promulgantor, moxque vna cum victorum nominibus prelo exarata publice vulgantor, argumenta futurarum ſcriptionum. Idem in praeſenti facimus, et in annum proximum, qui LXXXV ſaeculi eſt, problemata, de quibus commentatione agendum erit, promulgamus. Conſtituta igitur ſunt capita controuerſa ac quaeſtiones ab Ordine quoque ex ſuae diſciplinae finibus hae: et quidem.

A

A THEOLOGICO ORDINE

Homicidium in ſemetipſo patratum, — *Suicidium* vulgo vocant — iuſtumne eſt ſecundum Chriſti praecepta et dogmata; an iniuſtum? — Si iuſtum: num omnino, et vbique; vel nonnunquam tantum; et quando? Licetne, vt exemplo vtamur, homini calamitatibus grauiſſimis obruto, Dei iuſſu e loco ſuo ſe euocatum cenſere, ideoque αυτοχειρα fieri? — Sin autem propria manu ſponte cadere nefas eſt; quibusnam ex cauſſis ita ſtatuendum erit? In tractanda hac quaeſtione id potiſſimum eſt agendum; vt primo a iuſta definitione progrediatur oratio, eamque ob cauſſam ius hominis in vitam propriam acute deſcribatur; deinde, ne omnia miſceantur, ſed diuerſae ſuicidii rationes ac modi probe diſcernantur; tandem vero ſedulo diſquiratur, quid et quantum valeant argumenta, quibus facinus hoc vel defendi ſolet, vel culpari ac damnari.

A IVRIDICO ORDINE

Quodnam ſit fundamentum ſucceſſionis ab inteſtato iure Romano antiquo? Quibus ex cauſis illud immutatum ſit a iure Iuſtinianeo?

A MEDICO ORDINE

Oleorum vnguinoſorum alia magis, alia minus, prout ab artificibus, ita et a medicis, vario ſcopo opportuna vulgo cenſeri, res nota eſt. Quum tamen in haud paucis promiſcuo vſui locum eſſe ſagaciores exiſtiment: ad ſedandum

hocce diſſidium experimenta haud parum facere Ordo medicus arbitratur, quibus olea huius generis in re medica vſitata, ratione notarum ſenſibus obuiarum, grauitatis ſpecificae, frigoris calorisque in ea efficaciae, miſcibilitatis cum aqua ope commodi adiuuantis, effectus eorum in ſulphurea, ſalia et metalla, quae medici cenſus ſunt, item virtutis in vermes inſectaque viua, inter ſeſe conferantur. Hoc igitur argumentum in diſceptationem de praemio Regia munificentia oblato Commilitonibus honoratiſſimis proponit.

Ab ORDINE PHILOSOPHICO, NVNC QVIDEM QVAESTIO AD PHILOLOGIAM, ET QVIDEM SACRAM ORIENTISQVE LITTERATVRAM SPECTANS

Sacris literis perfectius intelligendis multum conferre poteſt Calendarium Palaeſtinae oeconomicum, ex itinerariis collectum: quo quid nomine intelligamus definiendum. Enotanda ſunt ex itinerariis ad omnes anni menſes, pluuiarum, niuium, coeli ſereni, tempora, magis in Palaeſtina, quam noſtro ſub decliuiore coelo, ſtata ac certa, ſationis, floris, maturitatis meſſisque, tritici, zeae, hordei, oryzae, milii, arborum quoque et herbarum, quibus florent, maturosque fructus legentibus, offerunt, vindemiae maxime, cum primae tum ſecundae. Eiusmodi ergo calendarium vt ex itinerariis Palaeſtinae, quorum copiam dabit bibliotheca academica,

mica, conficiant de praemio certaturi, poſcitur, et vero ſemper addito teſtis non ſolum nomine, ſed et pagina itinerarii vbi id teſtatur.

Palaeſtinae regionibus cum non eadem ſit coeli temperies, ſed alia circa Hierichuntem, (haec quidem feruidiſſima) alia Hieroſolymis, in Galilaea, Samaritanis in montibus, in Libano, ſubiectisque ei vallibus: ſemper et enotandum, vbi teſtis id, quod ex eo refertur, viderit. Porro veteres cum non eodem, quo nos, vſi ſint calendario, dies ab illis notati ad noſtrum referendi, idque ita, vt in ipſa orationis ſerie dies calendarii noſtri ponantur, veteris parentheſi incluſi addantur. Quod vt facilius ſit colligentibus, ſciant, veteri calendario ab anno inde 1700 *dies vndecim*, ante illum, *dies decem* addendos eſſe, vt noſtri calendarii diem habeamus, calendario autem vetere vſos eſſe, *omnes vsque ad annum*, 1582, — *euangelicis ſacris addictos in Germania*, *Danos*, *Batauos*, *vsque ad annum* 1700 — *Britannos vsque ad annum* 1752, — *Suecos vsque ad annum* 1753.

Caeterum ex ſolis haec itinerariis colligenda, non ex ſacris litteris, non ex Thalmude, aliisue ſcriptis Iudaicis, ac ne transferenda quidem ad ſacras literas illuſtrandas, ne et nimio labore ſcribentes diſtineantur, et moles ipſa ſcriptionis, aut coniecturarum multitudo, impedimento ſit legentibus. Poterunt vero praeter ipſius Palaeſtinae, etiam earum regionum Aſiae et Africae

excerpi et in ſubſidium vocari itineraria, quae eidem cum Palaeſtina coelo ſubiectae ſunt, id eſt, a gradu latitudinis 30 vsque ad 34, ſiue adeo 35; (poſt quem Thapſacus, vltima verſus Boream regni Israelitici). Aliarum; quae magis ad Auſtrum vergunt, inprimis Aegypti, ob immenſas planities multo calidioris, ratio nulla habenda.

Cum autem hac quidem prima vice paullo ſerius indicta ſint problemata. de quibus commentandum ſit: dies, ante quem redditae ſunto commentationes, eſto anni inſtantis II *Aprilis;* at quae ſerius reddentur, in certamen admitti haud poterunt.

Quod ſupereſt, Commilitones, grata ac pia mente deuenerabundi Regiam munificentiam et amorem litterarum, rerumque noſtrarum adorate, et ad veſtros animos erigendos diligentiamque ac ſtudium acuendum inflammandumque hinc cauſſas petite. Quam ſingulari et inuidendo prorſus beneficio recreemur, videtis. Non nunc habemus quod vereamur, ne eueniat illud, quod apud Tacitum legimus „*ſublatis ſtudiorum pretiis etiam ſtudia peritura* *)*;* quod, quoties legimus, animum contriſtatum ad tot exempla regnorum ac terrarum circumferre ſolemus, quae dicto fidem faciunt plus quam vſu rem firmatam agnoſcere mallemus. Litterarum ſtudia in terris noſtris, tantum abeſt, vt contemtui aut neglectui ſint, vt potius ſummum Regem iis animum adiungere, incrementa eorum cordi

*) Tacit. A. IX, 7.

cordi habere intelligatis, cum et Ipſe in mathematicis et phyſicis curarum relaxamenta quaerere ſoleat. Ad veſtra ingenia et ſtudia excitanda, quid tandem eſſe, quid cogitari poteſt potentius et efficacius, quam ſi animis reputetis, Regis tanti, tam ſapientis ac munifici, liberalitate veſtrae laudi ac decori eſſe praemiis propoſitis prouiſum! fore Eum ipſum, cui ſtudia veſtra et ingenia innoteſcant, nomina renuntientur, ſpecimina ante oculos ponantur! Quin vos nobiscum pro ſalute et incolumitate optimi ac munificentiſſimi Regis vota deuotis mentibus facite. PP. in Georgia Auguſta Kal. Nouemb. cIↃIↃCCLXXXIV.

XIV.

ACADEMIAE GEORGIAE AVGVSTAE
PRORECTOR
IO. STEPHANVS PVTTER
CVM SENATV
CIVIVM SVORVM
QVI
IN CERTAMINE LITTERARIO
IN A. D. IV IVNII
REGIS NOSTRI AVGVSTISSIMI
NATALEM
CONSTITVTA EIVS MVNIFICENTIA
PRAEMIA
ORDINVM ACADEMICORVM IVDICIO ABSTVLERVNT
NOMINA PROMVLGAT
SIMVLQVE
COMMENTATIONVM
QVAE
AD CERTAMEN IN A. D. IVNII IV. ANNI CIↃIↃCCLXXXVI. HABENDVM
ADMITTI VOLENT
ARGVMENTA
AB ACADEMIAE NOSTRAE ORDINIBVS
PROPOSITA
PROMVLGAT
M. IVNIO CIↃIↃCCLXXXV.

Noui moris ſollennè feſtum celebratum vidiſtis, Commilitones, eique celebrando interfuiſtis, cui ſimile in noſtra, forte nec in alia Academia illuxit

illuxit nullum; eratque illud ita comparatum, vt cauſſae hilaritatis publicae non ad vnum aliquem Ordinem, non ad ſolos Profeſſores, ad Ciues Hannoueranos, ſpectarent: verum communes vt eſſent laetandi cauſae omnibus vobis, quotquot Muſarum contubernio, litterarumque hac neceſſitudine et communitate, habemini. Omnes enim vos attingere, ad vos ſpectare, veſtrosque animos, Commilitones, commouere neceſſe erat illud, quod communia veſtra ſtudia iuuare, alere, incitare, multo magis quod ea ornare, in lucem educere, praemiisque afficere deberet: idque ſi ad vos cum maxime pertinere arbitrabamini, fieri non potuit, quin auctorem quoque tanti beneficii, tantae felicitatis, communi veneratione et pietate colendum, et feſtum diem in eius honorem celebrari ſolitum a vobis quoque vniuerſis ſollennem ſanctumque habendum, et panegyri publicaque laetitia rite celebrandum putaretis. Erat autem dies natalis Regis noſtri Auguſtiſſimi, GEORGII, M. Britanniae Regis, terrarum Brunſuico-Luneburgenſium Principis Electoris, quem ſaluum et incolumem reipublicae ſaluti ac proſperitati inuigilantem laetabamur ac gratulabamur, votisque ac precibus, id quod etiamnum facimus, Deum O. M. obſecrabamus, vt Parentem noſtrum ac Nutritorem communem omnibus publicae priuataeque felicitatis bonis cumulare, vt Reginam Auguſtiſſimam, ſtirpemque Regiam florentiſſimam, ſuae tutelae mandatam eſſe iuberet, eamque ab iis malis ac caſibus intactam eſſe vellet, quibus, vt ſors humana fert, numeroſae ſobolis felicitas obnoxia eſſe ſolet. Pietas igitur

igitur haec noſtra non modo ab illa religione proficiſcebatur, qua nos commune Principis ac Ciuium vinculum obſtringit, aut qua nos adigunt communes in terris Brunſuicenſibus collocatae fortunarum ſedes; verum alit et inflammat pietatem noſtram multo magis id, quod ad vos omnes, quotquot his ſacris noſtris adfuiſtis atque haec legitis, ſpectat, communis haec litterarum parens, alma Georgia Auguſta, commune hoc Muſarum domicilium, communis hic quaſi conuictus, communes hi diſciplinarum bonarum fructus, qui ad ingenia veſtra fingenda, polienda, ornanda, ad humanitatem meliore cultu et honore amplificandam, felicitatem ſuae cuiusque patriae, ſuorum popularium, vniverſae Germaniae, proueniunt. Quod enim haec omnia litterarum ac ſtudiorum inſtrumenta, apparatus, opes ac copiae, in hac litterarum tanquam metropoli cumulate adſunt, quod earum opum procuratores ac promi haud deſunt, qui liberaliter impertiant veſtrisque vſibus litterarum penum locupletem aperiant: curae et beneficio optimi Regis debetis; quem deuenerabundi nominaremus, etiam ſi in communi tantum eorum, quae curis publicis adminiſtranda ſunt, numero Academiam quoque noſtram haberet; iam autem ſingulari aliqua cura et amore res noſtras Ille amplectitur, munificentiaque regia etiam noua ſubinde ornamenta ac decora noſtrae Academiae meditatur; inque his conſilium iniit, quo veſtra ſtudia, Commilitones, alere et excitare voluit, cuiusque cauſſa idem ille noſter conſeſſus, ille coetus veſter, in a. d. IV. Iunii indictus erat. Hoc enim ipſo die edicendum erat publice

publice de iis ſcriptis, quae in concertationem prodierant ſuper quaeſtionibus ſuperiore anno veſtris ſtudiis propoſitis. Meminiſtis ſcilicet conſtitutum eſſe ſancitumque Regio Edicto, vt quotannis quatuor quaeſtiones de re aliqua, a veſtris ſtudiis, annis et profectibus, haud aliena, proponantur, ſingulae a ſingulis Ordinibus; cuius inſtituti conſilium iam illo tempore, quo illud indictum fuit *), ſatis a nobis eſt declaratum, vt ii, qui litterarum curriculum iam fere exegerunt, ita vt ſtudia ſua mox in forum ac populum prolaturi ſint, opportunitatem habeant, qua allecti et impulſi ea, quae didicere, animo recolant, digerant, et oratione ac ſcriptione exponant, ingenii autem, iudicii, doctrinae et artis, qua ea, quae ipſi didicerunt, excogitarunt aut aſſequuti ſunt, aut aliis ſunt tradenda aut negotiorum cura et geſtione declaranda, ſpecimen et documentum publice edant: quo intelligi poſſit non a nobis modo, verum etiam ab aliis, quantum quisque litteris profecerit; et animi ingeniique viribus valeat. Quandoquidem autem in iuuenili aetate haec opera, haec animi contentio, haud facile a multis ſuſcipitur, niſi externa aliqua impulſio acceſſerit: quid tandem potentius et efficacius eſſe putabimus hac publica contentione, ad quam multi confluunt, iique aequales, et iisdem magiſtris, quibus profeciſtis, iudicibus et arbitris? Non igitur ii modo, qui praemium obtinuerint, vtilitatem et fructum ex hoc certamine ſperare debent, verum nec minus ii omnes pro praemio

*) *V. Programma ſup. anni in a. d. Iunii IV.*

praemio vtilitatem magnam reportabunt, qui adduci ſe patientur, vt animorum vires intendere aſſueſcant, vt reddendis ac cum ſubtilitate aliqua et cura perſcribendis iis, quae auditione et memoria complexi ſunt, manum admoueant, iudicium acuant, vtque ſcientiae ſuae et doctrinae defectum intelligant, quodque ſupereſt curriculi academici ad defectum illum explendum adhibeant; ſtudii vero ſui vim et contentionem augeant et accelerent. Hae ſunt vtilitates illae, quae vnicuique veſtrum, Commilitones, propoſitae ſunt, illo ſaltem ſtudiorum veſtrorum momento et articulo, cum rudimenta dudum depoſita, progreſſus autem facti ſunt ii, vt iam cortice veſtro natare conemini. Latini autem ſermonis, quo illa perſcribenda ſunt, neceſſitas impoſita eſt, quoniam hoc viatico, hoc inſtrumento, nullus viator, qui per litterarum fines iter, vel vnius diei, inſtituturus eſt, ſatis bene carere poteſt; niſi ille, vbi alii acute vident, ipſe lippire, vbi alii copiis inſtructi incedunt, ipſe paupere cultu mendicare, ſtipe tenui contentus, per dumeta repere, malit. Nil vtique refert, quo ſermone animi cogitata eloquamur: modo ſubtiliter dicta et acute excogitata ſint; enimuero an latine ſcriptos libros aliquis euoluerit, doctrinae opes in ingenium ſuum congeſſerit, id ex eo intelligitur, ſi latine ſcribere ipſe haud refugerit. Ad has tamen vtilitates, vt iuuenilis aetas fert, pauci veſtrum aut contenturi aut peruenturi forent, niſi certaminis ardor pectus inflammaret; hunc autem ardorem incendit praemii ſpes, quod munificentia Regia nouo prorſus et inſolito exemplo propoſuit. *Eſt*

enim

enim conſtitutum a Rege praemium in ſingulas ſcriptiones victrices numus aureus XXV. aureorum ducatorum Regia effigie inſignitus. Qua in re etſi Regiam voluntatem artifex deſtituerat, qui numo cudendo typum chalybe exſculpere receperat, noluerat tamen optimus Rex diem edicendi victores differri; verum edicto Regio iuſſi eramus, in a. d. IV. Iunii indicto coetu ſollenni de ſcriptis in certamen miſſis ſententiam publice ferre, et, quaenam ceteris ingenio, doctrina, arte, praeſtare viſa eſſet, pronuntiare.

Vt igitur Regio iuſſo pareremus, de ſingulis quaeſtionibus, deque ſcriptis in certamen prolatis, et de iudicio arbitrioque Ordinis cuiusque ſuper ſcriptis ad ſingulas quaeſtiones miſſis, actum eſt et pronuntiatum in illa panegyri; nunc autem curandum eſt a nobis, Commilitones, vt edicantur proponanturque ſcripto hoc publice nomina eorum, qui victores renuntiati fuere; exponetur omnis certaminis fortuna, et promulgabuntur quaeſtiones in futurum annum ad concertandum propoſitae.

Vt autem ab *Ordine Theologorum* initium faciamus, propoſita erat ab eo quaeſtio haec:

Homicidium in ſemetipſo patratum, — *Suicidium* vulgo vocant — iuſtumne eſt ſecundum Chriſti praecepta et dogmata; an iniuſtum? — Si iuſtum: num omnino, et vbique; vel nonnunquam tantum; et quando? licetne, vt exemplo vtamur, homini calamitatibus grauiſſimis obruto, Dei iuſſu e loco ſuo ſe euocatum cenſere,

ſere, ideoque αυτοχειρα fieri? — Sin autem propria manu ſponte cadere nefas eſt; quibusnam ex cauſſis ita ſtatuendum erit?

Traditae ſunt Theologorum Ordini *commentationes ſeptem:* inter quas ceteris praecellere ille iudicauit ſequentes:

primo loco eam, quae verba inſcripta habet: *Prima ſequentem non dedecet in ſecundis conſiſtere,* ab his autem verbis incipit: (nam alia ſcriptio eodem dicto praeſcripto reddita eſt) *Quo magis in expendenda cauſa aliqua &c.*

proximo eam, quae verſus ex Aeneide in fronte ferebat:

Qui ſibi letum inſontes peperere manu lucemque peroſi Proiecere animas.

duas porro, alteram inſcripto Epicteti dicto ex Arriano, alteram Martialis verſu:

Fortiter ille facit qui miſer eſſe poteſt.

acceſſit et illa, quae dictum praefert:

Prima ſequentem honeſtum eſt in ſecundis tertiisue conſiſtere.

Iam illam, quae primo loco commemorata eſt, ceteris omnibus palmam praeripere iudicauit Ordo Venerabilis; ſoluere enim viſa eſt propoſitam quaeſtionem argumentis idoneis, et iudicio acuto, quod et in ea parte eluceſcit, qua aſſerta ſua propugnat et ad dubitationes, quae aduerſus ea proferri ſoleant, reſpondet, ſubtiliter vtique dubitationibus ac difficultatibus ad certum ordinem reuocatis et expeditis. Rerum omnino delectu et lucido ordine ſe commendat; oratio eſt perſpicua, preſſa, ſimplex et terſa, dictio latina et pura, paſſim adeo

adeo exquiſita. Propter tot egregias dotes commentationem hanc, inſcriptam his verbis

Prima ſequentem non dedecet in ſecundis ſubſiſtere,

principem locum tenere, et *praemio propoſito dignam* eſſe iudicauerat Theologorum Ordo. Reſignata inde a Decano Ord. theol. ſchedula adiecta nomen publice recitatum eſt:

GOTTFRID ERNESTVS GRODDECK *Gedanenſis:* idemque Seminarii philologici ſodalis. Proximo ad illam loco *accedere* viſa eſt altera commentatio, verſu inſignita: *Qui ſibi letum &c.* Cuius auctorem ſe eſſe mox profeſſus eſt GE. GVIL. BLOCK *Ratzeburgenſis.*

Quaeſtio a *Iuridico Ordine* propoſita haec erat:

Quodnam ſit fundamentum ſucceſſionis ab inteſtato iure Romano antiquo? Quibusque ex cauſis illud immutatum ſit iure Iuſtinianeo?

Ad hanc quaeſtionem in certamen deſcenderant XII ex vobis, Commilitones, iique tantum non omnes ingenii ſui, ſuorum profectuum, ſuaeque in pertractando aliquo doctrinae capite facultatis, peritiae et vſus, ſpecimen ediderunt praeclarum, ita vt Ordo virorum conſultiſſimorum diu ambiguus et incertus haereret, cui ex multis adiudicandum eſſet praemium, vtque ille non mediocrem laetitiae et iucunditatis fructum ex hac ipſa ſua dubitatione iam tum ferret; nulla enim erat ſcriptio, quae prorſus indigna aut certamine aut praemio haberi poſſet. Erant autem XII illae commentationes his inſignitae ſententiis:

I. Alternos Muſae meminiſſe volebant. Virgil.
II. Tentanda via eſt, qua me quoque poſſim
Tollere humo, victorque virum volitare per ora.
Virg. Georg. III.
III. Et voluiſſe ſat eſt.
IV. Omne capax mouet vrna nomen.
V. Amant alterna Camenae.
VI. Dubitare et aliquid neſcire auſi ſunt.
VII. In obſcuris inſpici ſolet, quod veriſimilius eſt. L. 114. D. de R. I.
VIII. Nulla palleſcere culpa.
IX. Extremos pudeat rediiſſe.
X. Non habeo ingenium; ſed rex ſic iuſſit; habebo.
XI. Felix, qui potuit rerum cognoſcere cauſſas.
XII. Omnia conando docilis ſollertia vincit.

Cum diu anceps cura ac dubitatio viros conſultiſſimos tenuiſſet, tandem quatuor iſtae, quas ſub
VI. Dubitare et aliquid neſcire auſi ſunt.
V. Amant alterna Camenae.
XI. Felix, qui potuit etc.
IX. Extremos pudeat rediiſſe.
memorauimus, induſtria, ſtudio et ſubtilitate in rebus exponendis, vna (No. XI.) etiam ſermonis concinnitate, ceteras commentationes antecellere viſae ſunt, ita vt illa, quae quidem Nro. VI. ſententiam praefert:

Dubitare et aliquid neſcire auſi ſunt.

primum locum occupare iuſſa ſit. "In his, quae in prima ſcriptionis parte de antiqua ſucceſſionis ratione diligenter diſputauit, ſpecimen auctor dedit tractationis criticae, ſintne liberi ſine ſexus diſcrimine Leg. XII tabb. vocati ad ſucceſſionem; quod viſum eſt Iulio Paulo et Iuſtiniano, cum ipſe

ipſe filias tantum praeteritas eſſe cenſeat. Agnouit Ordo in propoſitis argumentis ingenii acumen, etiamſi in ICtorum ſententia nihil immutandum eſſe exiſtimet. In altera ſcriptionis parte, in exponenda totius ſucceſſionis ex iure nouiori ratione, ea laude verſatus eſt, vt reliquorum commilitonum diligentiam longe ſuperauerit." Reliquae tres:

V. Amant alterna Camenae.
XI. Felix qui potuit.
IX. Extremos pudeat rediiſſe.

accedere ad illam et ſecundum locum iudicatae ſunt tenere. Aperta mox ſchedula, Nro. VI. adiecta, ab Ord. Iurid. Decano, recitatum eſt victoris nomen:

GVSTAVVS HVGO *Badenſis.*

Declararunt altero inde die ii quoque nomina ſua, qui *ſecundum locum* tenere iudicati ſunt: No. V. JOACHIMVS SCHWARZKOPF *Hannoueranus*, XI. ABR. FRIDERICVS DE MVTACH *Bernenſis*, et IX. HENR. GVIL. BERGSTRÄSSER *Hanouienſis.*

Proclamato nomine eius, qui a Iuridico Ordine praemio ornandus erat, proceſſum eſt ad eam quaeſtionem, quae a *Medico Ordine* promulgata erat.

Oleorum vnguinoſorum alia magis, alia minus, prout ab artificibus, ita et a medicis, vario ſcopo opportuna vulgo cenſeri, res nota eſt. Quum tamen in haud paucis promiſcuo vſui locum eſſe ſagaciores exiſtiment: ad ſedandum hocce diſſidium experimenta haud parum facere Ordo medicus arbitratus eſt, quibus olea huius generis in re medica vſitata, ratione notarum

 ſenſibus

ſenſibus obuiarum, grauitatis ſpecificae, frigoris calorisque in ea efficaciae, miſcibilitatis cum aqua ope commodi adiuuantis, effectus eorum in ſulphurea, ſalia et metalla, quae medici cenſus ſunt, item virtutis in vermes inſectaque viua, inter ſeſe conferantur.

Non ſine magna voluptate Ordo medicorum Exper. duas ſcriptiones, quae de praemio concertarent, redditas accepit; vtramque laude dignam, nec modo diligentis lectionis et copioſae materiae conquirendae, eiusque ſcite diſponendae et cum iudicii acumine adhibendae; verum id quoque, quod potiſſimum ſpectauerat Ordo medicorum, effectum eſt, vt experimentis ſagaciter inſtitutis oleorum vnguinoſorum naturam, quatenus quidem illam cognoſcere medicus laboret, diligentius et accuratius, quam adhuc factum erat, exploratam darent. Quae quidem res vti tanto maiorem laudem habere videri debuit, quandoquidem a viris iuuenibus, qui nondum in ſtudiis conſenuere, intra paucorum menſium ſpatium, et per aliorum ſtudiorum interualla, negotium illud curatum ac perfectum eſt; ita non minus excuſationem potuit habere, ſi nonnulla eſſent, quae in vtroque libello deſiderarentur. Etſi enim vterque ad quaeſtionis ſummam recte reſpondit, cum tamen plura eius ſint capita, ſingula ſigillatim pertractata ſunt a neutro auctore; id quoque neutri curae fuit, vt in cauſſas diſcriminis oleorum iſtorum inter ſe ſeuerius inquireret, ſintne illae ab ipſa oleorum indole et natura, an a rebus externis, accidentibus, forte

in

in nonnullis a modo et ratione, qua, cum maiore copia parantur, illa olea miſcentur ac ſubiguntur, petendae. Haec quidem de vtroque: nunc de ſingulis.

Alter libellus, verbis Quinctiliani inſcriptus:

Si quid deſit operi, id ſuppleat aetas, et ſi quae ſint dicta iuueniliter, pro indole accipiantur.

ab iuuene docto profectus eſt, qui experimenta ſuo Marte inſtituit ſuper grauitate ſpecifica iſtorum oleorum; etſi deſiderari poteſt accurata notitia et narratio modi quo inſtituta illa ſunt; quatenus tamen olea ea aqua miſceri poſſint, variis modis exploratum dedit; inter quae illud obſeruatu dignum, quod in nonnullis euentus diuerſus fuit ab eo, quem cl. French experimentis ſuis vidit contingere; experimenta quoque multa variis oleis adhibitis in lumbricis ex humano ac porcino corpore, tum in lumbricis terreſtribus, fecit, pauciora ad declarandam dulcedinem oleorum, et in ſalibus ac metallis; illud vero inprimis laudi cedit, quod, quae ex iſtis experimentis neceſſario et ſua ſponte ſequantur, ſagaciter perſpexit et expoſuit.

Alter inſcriptus eſt:

Nec caſia liquidi corrumpitur vſus oliui.

Etſi deſiderata ſunt ea, quae artem olea vnguinoſa cum aqua commiſcendi declararent, tum ea quoque, quae oleorum iſtorum vim et effectum ad inſecta viua vermesque extra humanum corpus, reſpiciunt; omnino tamen in ceteris experimenta afferuntur maiore copia, eaque feliciter ſatis inſtituta: in quibus magno cum labore ſuſcepta ſunt ea, qui-

 bus

bus aciditas oleorum cum aciditate ex adipibus animantium comparatur; laudem porro mereri viſa eſt ſollers induſtria, qua grauitas ſpecifica, et coagulatio eorum ex gelu declarata eſt; maiore etiam numero ac varietate facta experimenta cum ſalibus, ad ſapones ope eorum conficiendos, et cum metallis, inprimis ad ſoluenda ea his oleis adhibitis; nec neglecta erat oleorum iſtorum vis et efficacia ad corpora terrea. Quod ſi in votis habendum fuit, vt, cum reſpectu ad medicinam hàbito quaeſtio propoſita eſſet, auctor commentationis tam doctae experimentorum ſuorum rationem, conſilium ac vim curatius ad ea praeparata, quae in materia medica iam recepta vſu ſunt, vel formulas medicas, quae ad lectos aegrorum praecipiuntur, retuliſſet, vtque ea, quae ex eius experimentis inferri ac colligi poſſunt, dilucidius exponendo lectoris ſtudium cognoſcendi adiuuiſſet: ingenii tamen ſui ad noua inuenta felicis et pertinaciſſimae in chemicis laboribus exſequendis induſtriae ſpecimen propoſuit eximium. Ex his itaque cauſſis Ordo medicus decreuit eamque ſententiam tulit, vt poſterior haec commentatio, cum lemmate: *Nec caſia liquidi corrumpitur vſus oliui,* principe loco adeoque praemio condicto ornaretur; ſchedula reſignata nomen exiit

Joachimvs Dietericvs Brandis *Hildeſienſis;* prior autem illa laude et loco *proxime ei accedere* pronuntiata eſt; cuius auctor mox nomen profeſſus eſt Jvstvs Arnemann *Luneburgenſis.*

Peruentum erat ad quaeſtionem, ab *Ordine philoſophico, nunc tamen vt ad Philologiam, et quidem*

quidem ſacram orientisque litteraturam ſpectaret, propoſita:

Sacris litteris perfectius intelligendis, multum conferre poteſt Calendarium Palaeſtinae oeconomicum, ex itinerariis collectum: quo quid nomine intelligamus definiendum. Enotanda ſunt ex itinerariis ad omnes anni menſes, pluuiarum, niuium, coeli ſereni, tempora, magis in Palaeſtina, quam noſtro ſub decliuiore coelo, ſtata ac certa, ſationis, floris, maturitatis meſſisque, tritici, zeae, hordei, oryzae, milii, arborum quoque et herbarum, quibus florent, maturosque fructus legentibus offerunt, vindemiae maxime, cum primae tum ſecundae. Eiusmodi ergo calendarium vt ex itinerariis Palaeſtinae, quorum copiam dabit bibliotheca academica, conficiant de praemio certaturi, poſcitur, et vero ſemper addito teſtis non ſolum nomine, ſed et pagina itinerarii vbi id teſtatur.

Exhibitae erant Ordini Philoſophico commentationes tres: prima cum ſymbolo:

I. Laudis ſtudio optimus quisque trahitur. Cicero.

altera

II. Niſi vtile eſt quod facimus, ſtulta eſt gloria.

et tertia:

III. Diuum cura nos tuetur.

Ingenium, doctrinam, induſtriam, auctorum approbarunt eae omnes; etſi ſermonis latini elegantiam, curam et artem ſcribendi exquiſitiorem deſideraret Ordo philoſophicus, cum in conditioni-

 bus

bus certaminis id vel maxime numeratum eſſe vellet, vt non modo pure, caſte ac diligenter, verum etiam vt terſe, nitide et concinne perſcripta eſſent ea, quae ſibi offerrentur; facere tamen excuſationem poterat tum anguſtia temporis, quod vix congerendis copiis, ornandis haud facile, ſufficiebat; tum ipſius argumenti indoles, cum materia ex multiplici variorum ſcriptorum, qui ſuas peregrinationes horrido plerumque et barbaro ſermone perſcripſere, multa lectione congerenda eſſet. Nunc iudicium maxime ad diligentiam et ſedulitatem in rebus congerendis, perſpicuitatem in eloquendis, ſubtilitatem in diſponendis, tandem ad ſagacitatem in videndo eo, quod inde ſequatur, inſtitutum et compoſitum eſſe debuit. Ad hanc autem tanquam normam propoſitam cum exacta eſſent ſcripta: facile apparuit, tertium illud in medio curſu ſubſtitiſſe; telam tamen non eſſe pertextam, tanto magis dolendum erat, quoniam ſunt nonnulla in eo ſcripto acute obſeruata nec a ceteris notata. Redibat igitur iudicium ad reliquas duas ſcriptiones, inter quas illud diu ſuſpenſum dubiumque haeſit. Praeſtare vno et altero nomine videri poterat illa, quae inſcripta eſt: *Niſi vtile eſt quod facimus.* Eſt enim rerum obſeruatarum magna copia propoſita, multis in partibus cum iudicii maturitate aliqua et variarum rerum intelligentia. Digna igitur erat commentatio haec, quae praemio ornaretur. Ecce vero ſua ipſe vineta cecidit auctor profeſſione ſua, ab animi quidem honeſtate et candore profecta, et ingenua liberalique indole digna, iudicum tamen votis aduerſa et infeſta, cum ipſe monuerit, ſe duorum

duorum amicorum opibus copiisque inſtructum hunc ſuum libellum conſcripſiſſe. Atqui hoc certaminis legibus aduerſari viſum, quibus *diligenter cauere iuſſi ſumus, ne commentatio alieno Marte elaborata nobis obtrudi a quopiam poſſit:* *) quid? quod exemplo hoc inuitati in poſterum operam ſuam alii plures, amicorum nomine ac titulo, conferre poſſent in vnum: quo ipſo multa alia in legum fraudem excogitari poſſe perſpicuum ſit. Atenim ſuas vnum quemque vires experiri, ſuae doctrinae ſuique iudicii documentum dare iubet cum certaminis lex tum ipſa rei ratio et natura. Habuerat quoque conſociata illa plurium opera incommoda plura: non .eodem orationis colore et habitu libellus eſt elaboratus; ſunt alia tenuiter et ieiune, alia ſatis grauiter enuntiata; irreplit quoque ex iſta copiarum adhibitarum diuerſitate error calculi in diebus ad Calendarium vetus et nouum computandis, vt modo XI dies additi modo ſubducti ſint alieno loco et repugnante ipſa re. Conceſſum igitur eſt in eam ſententiam, vt alteri commentationi locus princeps aſſignaretur, cum illa induſtriam, ſtudii pertinaciam, ingenium variis litteris artibusque politum et locupletatum, iudicibus approbaſſet. Ordinem vtique rerum et diſpoſitionem prudenter inſtituit auctor ſecundum plantarum genera, earumque per ſingulos menſes prouentum, regionibus tamen ac terris diligenter notatis; thermometri quoque varietates adiecit, et, cum nullo adiutore vſus ſit, maiores hactenus vnus rerum obſeruata-

Q 5 rum

*) *V. Programma anni ſuperioris Kal. Nov. p. 227.*

rum copias attuliſſe videri debuit. Itaque Ordinis philoſophici iudicio praemium adiudicatum eſt ei commentationi, quae inſcripta eſt:

Laudis ſtudio optimus quisque trahitur.

proximo ab eo loco habita altera: *Niſi vtile eſt quod facimus, ſtulta eſt gloria.* Mox ſchedula prioris a Decano reſignata auditum eſt nomen

Joann. Gottlieb Bvhle *Brunſvicenſis*,

Seminarii philologici ſodalis. Alterius autem ſecundo loco memoratae auctor b. noſtri Collegae Walchii filius, Ge. Fr. Walchivs, qui, ſe in patrium ac gentile nomen ſucceſſurum aliquando eſſe, his tanquam auſpiciis oſtendit.

Perſonuerant aures veſtras, Commilitones, victorum nomina ſtatim in illa panegyri: eorum vero nomina, quorum commentationes proxime ad principem acceſſiſſe iudicatae ſunt, nunc primum in hominum notitiam publice adducuntur, cum libertas propoſita eſſet auctoribus, vtrum ipſi, ſibi id non iniucundum fore, Decano ſui Ordinis declarare vellent. Euulgabuntur quoque Regia liberalitate prelo expreſſae Commentationes victrices et in Britanniam miſſae Regi indulgentiſſimo exhibebuntur. Victores autem praemia ſua repetent a Decano quisque ſuo, quam primum publice indictum erit, ex Britannia allatum eſſe chalybem, cui inſcripta ſunt ſigna in nouo numiſmate excudenda. Ceterum non dubitamus, cum victores tum eos, qui ſecundum illos principes iudicati ſunt, moderate fortunam eſſe laturos, neque aliud honore

honore ac praemio ſe aſſecutos eſſe illi putabunt, quam vt de ſucceſſu ſuorum ſtudiorum laetoque profectuum, etiam per futurum tempus, euentu bene augurari poſſint; nec tamen alia via ac ratione, quam continuata et tantum non ingeminata cum lectionis et meditationis, tum ſcriptionis opera, cura et aſſiduitate; eo contra turpius ac foedius fore dedecus, ſi partam laudem non tueri nec his auſpiciis erecti ad ſumma quaeque contendere conſtanter ac pertinaciter ſtuduerint et allaborauerint. Regi autem Indulgentiſſimo gratias agent nobiscum deuenerabundi, cuius conſilio et munificentia inſtitutum hoc certamen eſt, quo ipſi ſui ingenii vires explorare, ſuorumque profectuum modulum exploratum ac probatum dare, ſibi confidere et optima quaeque de ſe ſperare, didicerunt. Vt vero etiam illi, qui metam optatam curſu non attigerunt, diligentiae ſuae ac ſtudii fructus ferant vberiores: etſi iam ipſa ingenii acuendi et induſtriae excitandae opportunitas ſcribendique vſus pro magno et expetendo fructu haberi debet: vt tamen maiores quoque fructus et vtilitates inde auferant, liberum ipſis erit, adire iudices eosque conſulere, quid potiſſimum de viribus ingenii ſui ſperandum ſibi ſit, quonam in genere litterarum, quanam in parte, maiores ſibi faciendi ſint profectus, quid fugiendum, quid appetendum, quid elimandum ſit aut emendandum. Ordinis vtique theologici Decanus venerabilis id etiam in votorum ac deſideriorum ſuorum parte haberi profeſſus eſt, vt edocere poſſit eos, qui viribus ſuis haud parem operam aggreſſi ſunt.

Reſtat

Reſtat nunc vt tanquam praeconio aliquo pronuntientur publice quaeſtiones in futurum annum, qui eſt aerae noſtrae octogeſimus ſextus, propoſitae:

A THEOLOGORVM quidem ORDINE:

Num, et quatenus, vere affirmari queat: conſtante numinis prouidentia id effici, vt genus humanum, vniuerſim ſpectatum, continua progreſſione ad meliorem conditionem ſenſim aſſurgat.

Primum *quidem* res ipſa *ex omni hiſtoria, obſeruationibus idem recentioribus, accurate ſic euinci debet, vt per quamdam quaſi inductionem pateſiat, culturam litterarum artiumque, religionis porro atque virtutis, adeoque felicitatem, cum publicam tum priuatam, extenſiue et intenſiue, maiora ſenſim incrementa cepiſſe.*

Deinde *et* ſubſidia opportuna, *ſeu* media per quae, *et* modus, *quo accommodatiſſime haec deus effecerit, declaranda ſunt; ita vt inprimis inquiratur, quae et quanta ſint* religionis *vere* chriſtianae *de hac felicitate communi merita.*

Denique *luculenter doceatur, omnino pertinere hanc quaeſtionem recte expoſitam ad* iuſtam *de prouidentia diuina* notionem *animis informandam.*

AB ORDINE IVRE CONSVLTORVM:

Quodnam ſit fundamentum ſucceſſionis Germanicae, tam allodialis quam feudalis? in quonam conſiſtat potiſſimum ratio differentiae inter principia iſtius ſucceſſionis Germanicae et Romanae, ſpeciatim Iuſtinianeae?

A MEDICORVM ORDINE:

In irritabilitate animali, a qua niſi omnis, ſaltem maxima ſane, pars principii in corpore noſtro actuoſi pendet,

pendet, varia ſuperſunt, quae pleniorem poſcunt eruditorum expoſitionem. Deſideramus itaque ſolidam, obſeruationibus et experimentis ſuperſtructam, reſponſionem ad varias quaeſtiones irritabilitatem animalem ſpectantes:

1. *in quanam elementorum corporis animalis parte haeret vis irritabilis?*

2. *qui ſunt veri certique fines inter* Tonum *Stahlii et* Irritabilitatem *Halleri?*

3. *quibus adminiculis, ſiue a climate, aëre et vitae genere pendentibus, ſiue a cibo potuque, ſiue a medicamento, deſumtis, effici poteſt, vt, ſi torpida languet vel plane deficit, excitetur et augeatur? vel ſi nimis efficax ſit, temperetur et coerceatur?*

4. *quale inuicem obſeruatur commercium irritabilitatem inter et neruorum ſyſtema, in doctrina affectuum animi, temperamentorum, et in genere principii actuoſi corporis animalis, vllo cum fructu adhibendum?*

AB ORDINE PHILOSOPHORVM:

Cum veteres, ſideribus ad horizontem conſpicuis aut euaneſcentibus, (ortus et occaſus poeticos *vocamus) anni tempora diſtinxerint: eorum, qui ob praemium Regium Ordinis philoſophici iudicio permiſſum certare volent, erit:*

colligere *praecipua, quae eam ad rem pertinent, ſcriptorum claſſicorum loca; quid doceant*, explicare; *quando et vbi vera fuerint haec praecepta, ex aequinoctiorum praeceſſione et horizontum diverſitate* oſtendere; addere *calculorum, quibus id oſtenditur, rationem;*

tionem; et calculos ipſos, nonnullis ſaltem, maioris momenti exemplis illuſtrare.

Indictum eſt certamen in d. IV. Iunii anni proximi; praemia ſunt quaterna, ſingula XXV. aureorum ducatorum, ab Ordine quaeque ſuo adiudicanda; redduntor autem ſcriptiones, quae admitti ad concertationem volent, *ante Kalendas Martias* eius anni. Ceterum leges certaminis ſunt manentque eaedem, quae ſuperiore anno fuere edictae. Licebit in certamen prodire omnibus in litterarum ſtudio prouectioribus, ſeu indigenae illi ſint ſeu exteri; nec fraudi erit, ſi qui antę illum diem, quo praemia victoribus aſſignabuntur, ſtudiorum curriculo abſoluto Gottinga diſceſſerint; modo ipſi ante diſceſſum ſcripta ſua reddiderint, et in ſcheda obſignata ſeu locum, in quem ſe contulerunt, adſcripſerint, ſeu amicum negotii ſui geſtorem, e quo illud comperiri poſſit, reliquerint. Oratione vtentur Latina, eaque vt ſit pura, terſa, perſpicua, curabunt; ne auctores commentationum, quae Prorectori, Decano, aliiue Profeſſori reddentur, vllo indicio ſe prodant, diligenter cauebitur.

Proſperet ac fortunet numen O. M. deſtinata haec et in reipublicae vtilitatem ſalubriter conſulta; obtingatque hoc votis noſtris, vt Regis optimi conſiliis reſpondeat conatuum veſtrorum, Commilitones, euentus; ita tandem noſtrae operae curaeque praemium ipſi nos tuliſſe putabimus ampliſſimum. PP. in Georgia Auguſta d. VII. Iunii cIↃIↃLXXXV.

XV.

XV.

ACADEMIAE GEORGIAE AVGVSTAE

PRORECTOR

IOAN. STEPHANVS PÜTTER D.

CVM SENATV

SVCCESSOREM

IN

MAGISTRATV ACADEMICO

HENR. AVG. WRISBERG D.

CIVIBVS SVIS

COMMENDAT

INDICTIS SOLLENNIBVS.

IN A D. II IVLII CIↃIↃCCLXXXV.

Hiſtoriae naturalis fragmenta ex oſtentis prodigiis et monſtris.

Commentatio poſterior. *)

Qui in ſemeſtre indictus erat magiſtratus academicus, ex prorogatione in annum protractus, exit nunc, Ciues, feliciter et votorum nos damnat ſub eius auſpicia ſuſceptorum: euocatque nos ad noua ſuſcipienda vota pro eo, qui nunc in

*) Commentatio prior ſup. p. 195 .legitur

in eundem honorem et fortunam ſuccedit, viro experientiſſimo,

HENRICO AVGVSTO WRISBERG D.

cuius facilitatem et humanitatem cum ſatis perſpectam habeatis, vos eum, Ciues, omni obſequio officioque proſequuturos, eo que tranquillitatem ac proſperitatem rebus noſtris haud vnquam defuturam eſſe, ominibus auguramur certis certioribus. Fauſtis his ominibus cum humanitate et modeſtia veſtra, Ciues, tum fortuna noſtra praeſenti firmatis, laeti et erecti progredimur nunc ad illud, quod fere et ipſum inter auſpicia et omina ineuntis magiſtratus referri poteſt, vt publica ſollennia a diſputatione aliqua argumenti proficiſcantur litterarii.

Pertexamus itaque, quam nuper exorſi eramus, telam, vt inquiramus veſtigia eorum, *quae in prodigiis Romanorum narratis ad hiſtoriam naturalem momentum aliquod habere videri poſſunt.* Prodigia, portenta et omina a veteribus tradita, alia a falſa perſuaſione, qua mentes terrore aut fraude ſeu ſua ſeu aliorum occaecatae erant, alia a cauſſis phyſicis aut ignoratis aut neglectis aut male perſpectis profecta eſſe, ſuperiore aliqua commentatione *a*) expoſuimus; cumque alterius huius prodigiorum generis claſſes conſtituiſſemus has, vt alia ad *aeris caelique apparentia*, alia ad *terrae mariſque naturas*, alia ad *animantium cum brutorum tum hominum ingenia, cultus habituſque*, ſpectare diceremus: memoratum eſt ſatis, pro conſilii noſtri ratione, de iis, *quae in aeris*

a) **In Anniuerſ. Sacr. XVII. Sept. LXXXIV.**

aeris et atmoſphaerae affectionibus, mutationibus, inprimis repentinis, et viciſſitudinibus haud ſtatis, cauſſas abditas, ſaltem a priſcis hominibus parum perſpectas, habent. Nonnulla huius generis iam a Frereto expoſita *b*) tunc non memineramus: alia infra occurrent, vbi de terrae tremoribus agetur. Adiiciemus hic. nonnulla, quae cum iis coniuncta ſunt, inprimis flammas repente modo in antennis nauium, modo in ſpiculis ac ſignis caſtrorum in terra fixis, modo in puerorum et virorum capite viſas; aliquando etiam ſcipio circumeunti vigilias equiti in manu arſit (*Liv.* XXII, I.) et caput Vulcani (XXXIV, 45) et Anagniae ſeruo tunica, nullo poſt extinctum ignem flammae veſtigio; (*Iul. Obſ.* c. 8.) in Lucanis grex veruecum; (c. 112.) quae omnia non minus ominis notam habuere. Electricae materiae vim et naturam his ſubeſſe in promtu eſt ſuſpicari. Ad humidi porro et ſicci aeris ſeu repentinam vicem ſeu intemperiem ſatis conſtat referendos eſſe ſudores ſignorum et ſtatuarum in templis *c*). Quod ſi ſanguine dii adeo ſudaſſe narrantur,

b) *Memoires de Litterature* T. IV. (ed. in 4.) pag. 411. *Reflexions ſur les Prodiges rapportés dans les Anciens par Mr. Freret* vbi v. pag. 423 ſqq. Eſſent etiam in his prodigiis in caelo aliqua, hominis hiſtoriae naturalis ſtudioſi cura haud indigna, interdum circa vulgaria, v. c. cometas, duo ſoles ſaepe viſos; mirationem enim in his facit interdum diei pars, caeli plaga, ac ſimilia.

c) Bene ap. Cic. de Div. II, 27. — *et humor allapſus extrinſecus, vt in tectoriis videmus auſtro, ſudorem imitari potuit.* Inprimis auſtri ea vis, vt miro modo humeſcant parietes et ſaxa, inprimis marmora, adeoque et ſigna ac columnae.

tur, cogitandum eſt de ſignis minio obductis priſco ac communi more.

Verum accedamus nunc ad alteram claſſem, quae *terrae mariſque phaenomena* complectitur; habitum enim eſt in prodigiis, quidquid praeter morem in mari terraue eueniret; quam opinionem, inprimis rudium et indoctorum, hominum animis inſediſſe, non aegre ferremus, niſi coniunctus fuiſſet ille animorum error, vt ad iram numinis portendendam grauiumque calamitatum metum iniiciendum illa traherent, indeque ad tetras placandi numinis religiones ac ritus prolaberentur. Itaque nullum facile tempus a terroribus vacare debuit, inprimis in iis terris, in quibus propter ſpecus ſubterraneos et ignium occultorum alimenta continui eſſent motus et ſoli facies ſubinde mutata. In Italia cum prodigia huius generis per ſingulos fere annos memorata ſint, ſatis hoc ipſum docet, multo frequentius, quam noſtra aetate, illam ſubterraneis ſoli incendiis et tremoribus fuiſſe vexatam: idque iis quoque in locis, vbi nunc raro illae calamitates euenire ſolent, inprimis in Etruria, Vmbria, Latio et locis vicinis *d*). Eius rei memoriam, ceteroquin obſcuratam aut nullam, ſeruant prodigia, quae non niſi ad motus terrae et agri aut montium exardeſcentium labores ſpectare poſſunt; quo conſilio ſi quis accurate ſingula notauerit et comparaverit,

d) Cic. de Div. I, 42. *Etruſci — quodque propter aeris craſſitudinem de caelo apud eos multa fiebant, et quod ob eandem cauſſam multa inuſitata partim e caelo alia ex terra oriebantur, — oſtentorum exercitatiſſimi interpretes extiterunt.*

verit, licebit inde ad hiſtoriam naturalem veteris Italiae nonnulla minus nota elicere.

Relati autem ſunt inter prodigia primo ipſi *terrarum motus.* Et Romae quidem terra motu concuſſa ſaepe memoratur *e*); in Sabinis terra quaſſata, inprimis Reate; (v. c. V. C. 676. v. *Iul. Obſ.* c. 121.) in Picentibus; vt in concurſu Romanae cum iis aciei, Sempronio Coſ. aduerſus eos ducente. V. C. 485. (*Frontin. Stratag.* I, 12.) Creberrimus motus (ap. Plin. II, ſ. 86.) Punico bello, *intra eundem annum* (V. C. 537.) *ſepties atque quinquagies nuntiatus Romam. Quo quidem anno ad Thraſymenum lacum dimicantes maximum motum neque Poeni ſenſere nec Romani.* Magni illi terrae motus in Liguribus, Gallia, compluribusque inſulis, totaque in Italia, facti erant: vt e Coelio apud Ciceronem (de Div. I, 35.) legitur, vt multa oppida corruerint, multis locis labes factae ſint, terraeque deſederint fluminaque in contrarias partes fluxerint atque in amnes mare influxerit. Montium, ignibus abditis tumentium, effectus per Etruriam narrantur paſſim, non modo tremores, ſed et ſolum in ſpecus dehiſcens et lapi-

 dei

e) Plin. II, 84. ſ. 86. *Nunquam vrbs Roma tremuit, vt non futuri euentus alicuius id praenuntium eſſet.* cf. Cic. de Div. I, 18. ſ. 35 Liv. III, 10 ad V. C. 293. *eo anno caelum ardere viſum: terra ingenti concuſſa motu eſt.* Habemus adeo (cf. Dionyſ. X, 2.) ſimilem caeli faciem, quam nuper ipſi vidimus; niſi coruſcaſſe caelum ex Aetnae aut alterius montis ignibus putabimus. Liv. IV, 21. ad a. 319. *crebris motibus terrae ruere in agris nuntiabantur tecta.* Etiam ſub belli Sullani initia magnus terrae tremor Romae: Appian. B. C. I, 83. et paullo ante Graccho leges agrarias moliente V. C. 626. Iul. Obſ. 89.

dei imbres et ſimilia: ipſa tamen montium incendia non meminimus memorari. Eueniſſe eius generis prodigia complura colligere licet ex eo, quod Etruſci interpretationem eorum in artem redegerant. Hactenus iactura librorum auguralium Etruſcae gentis in hiſtoriae naturalis incommodum facta eſt *f*). Deprehenſa tamen noſtra aetate ſunt veſtigia craterum, pumicum aliarumque rerum, quae talia teſtantur, circa caſtellum *Radicoſani*. montem *Fiaſconi*, *S. Fiora aliisque locis* *g*). Nec facile motus terrae narrantur, quin ſimul aut ingentes procellae et tempeſtates, aut meteora et phaenomena caeleſtia, aut ignes e ſolo vel monte erumpentes memorentur. Mirari licet quoque motam per longinqua interualla terram, vti V. C. 720. a. C. n. 32. quo in Iudaea terrae motus ingens, Aetna ignibus finitima vaſtans et Piſaurum ad mare Adriaticum terrae motu hauſtum legentibus occurrunt.

Terrae motus, vt modo diximus, haud raro cum *ignibus e terra erumpentibus* coniuncti ſunt, aut etiam ab iis proficiſcuntur. Habiti autem et hi ipſi ignes e terra erumpentes inter prodigia. Iam per eas aetates, quibus Romana ciuitas exordia et incrementa habuit, inprimis crebris terrae motibus et ignibus caecis afflictum fuiſſe videtur ſolum Albanum *h*) ac Sabinum, quod nunc nullos facile motus

f) Cic. de Div. I. 33. *quorum alia ſunt poſita in monumentis et diſciplina, quod Etruſcorum declarant aruſpicini et fulgurales et tonitruales libri; noſtri etiam augurales. cf. c.* 41.

g) *Targioni Tozzetti Viaggi della Toſcana* Tom. IX. p. 421 ſqq. T. X. p. 59. et paſſim hoc et ſequ. Vol.

h) Conf. *Freret* l. c. pag. 414.

motus ſentit. Eo enim ducunt multa prodigia. Prima rei mentio, etſi fabuloſe, facta ſub Alladio, ſeu Aremulo, impio Albae Longae rege (v. *Dionyſ. Halic. I,* 71. *Aurel. Vict. de orig. G. Rom.* 18.) Lacus Albanus tum prodigioſa eluuie facta ipſum regem cum magna aedium parte obrutum merſerat; narratum eſt, apud Dionyſium, in quadam lacus parte aquis deficientibus cerni potuiſſe ruinas et domus veſtigia. Iam ſub Tullo Hoſtilio *nuntiatum regi patribusque eſt, in monte Albano lapidibus pluiſſe; quod cum credi vix poſſet, miſſis ad id viſendum prodigium, in conſpectu haud aliter quam cum grandinem venti glomeratam in terras agunt, crebri cecidere lapides.* Haud dubie, ſi propius accedere auſi eſſent qui miſſi erant, lapides vi flammae e monte actos vidiſſent. Neque alio pertinet, quod in Veiorum oppugnatione V. C. 356. nuntiatum fuit, *lacum in Albano nemore, ſine vllis caleſtibus aquis cauſſaue qua alia, quae rem miraculo eximeret, in altitudinem inſolitam creuiſſe* (*Liv. V,* 15. et ap. al.) V. C. 542. *Tempeſtates foedae fuere. In Albano monte biduum continenter lapidibus pluit — Reate ſaxum ingens viſum volitare: ſol rubere ſolito magis ſanguineoque ſimilis.* (*Liv,* XXV, 7.) V. C. 641. *Mons Albanus nocte ardere viſus* (*Iul. Obſ.* 98.) Itaque ipſe *lacus Albanus* nunc pro vetuſto cratere Vulcanii montis habetur.

Inter haec tamen fatendum eſt, pro magna multitudine veſtigiorum ignis ſubterranei erumpentis, quae per omnes Italiae oras occurrunt, nimis pauca ſcriptorum loca et memoriam raram ac te-

 nuem

nuem ſimilium euentorum extare *hh*). Aut itaque credendum eſt, incendia illa omnem rerum memoriam multum antevertiſſe; aut hominum incuriam ſilentio ea praetermiſiſſe. Nimirum plerumque in annalibus Romanis ſola effecta montium ignibus inteſtinis ardentium et ſoli motu quaſſati memorantur, nulla cauſſae notatione adiecta; adeo nulla ſollicitudo et cura inquirendi in cauſſas rerum hominum animos tum tenuit. Ita paſſim terrae mugitus ac fremitus narrantur; terrae hiatus et ſubſidens in ſpecus ſolum, quod in ipſa Roma aliquoties factum; vt, cum M. Curtius in voraginem ſe equo immiſit; (*Liv. VII,* 6.) interdum erumpente ex ſinu terrae igni et flamma lucida, vt Sullae tempore. (*Plutarch. Sulla* p. 454. E.) Agri Privernatis labem factam v. c. 635. narrat Iulius Obſ. c. 96. at ex Cicerone (*de Div.* I, 43.) diſcitur Apuliam eodem tempore maximis motibus fuiſſe quaſſatam. Memorantur porro montes inter ſe concurrentes, vt in agro Mutinenſi V. C. 663. *i*) flammae repente ſolo erumpentes; terra ſine ignis alimento ardens; inprimis vero imbres lapidei, toties per Italiam, etiam in Auentino memorati; tum quod lapides paſſim de caelo ceciderunt *k*); idem prodi-

hh) Itaque in libro perdocto Thomae *Ittigii* de montium incendiis (Lipſ. 1671) perpauca huius generis allata eſſe videas p. 90 ſq. p. 137 ſq.

i) Plin. II, 83. ſ. 85 *namque montes duo inter ſe concurrerunt, crepitu maximo adſultantes recedentesque, inter eos flamma fumoque in caelum exeunte interdiu; eo concurſu villae omnes eliſae.*

k) Liv. XXV, 7. *Reate ſaxum ingens volitare viſum:* atqui eodem tempore in Albano monte lapidibus pluit.

prodigium inter Graecos vulgatum, ſaxo ingenti in Aegos potamon delapſo; aucto temere rei miraculo, cum illud prodigium ab Anaxagora praedictum tradidere *l*). Spectant quoque ad montium incendia obſcuratus toties aer, ſubductus ſol, aut pallens aut rubens; quod Veſuuio et Aetna exaeſtuante ſaepius factum, etſi Romanorum annales id tantum, quod Romae viſum erat, memoriae ſeruarunt, non ea quae remotis a Roma terris euenerant. Ex iisdem, quae erumpente e terra ſpiritu et igni gigni ſolent, magnam partem eorum explicandam eſſe, arbitramur, quae de turbinibus et procellis inſolitis narrata ſunt, quibus memorati ſupra imbres lapidei, cineritii, plures alii miri generis *m*) debentur.

Nec aliam cauſſam habuiſſe videntur fragores ac ſtrepitus ingentes interdum in locis ſacris auditi, aucta et verſa ex ſuperſtitione in miraculum re; apertae repente templorum fores, ſigna deorum mota vel conuerſa, ſortes extenuatae ſeu euolutae, haſtae motae; pinnae murorum deiectae; ſepulcrorum repagula euulſa, et, quod cum ea religione facile coniunctum eſſe debuit, Manes luci redditi.

Etiam in *arboribus* ac *plantis* ſi qua inſolita apparerent, ad prodigia referri ſolita: ita, ſi arbores repente enatae, aut alieno in loco: vt laurea in

R 4 puppi,

l) Plin. II, 58 ſ. 59. Marm. Arundel. Diog. Laert. et alii. cf. *Freret* l. c. p. 421.

m) cf. Plin. II, 56 ſ. 67. Ad laneos imbres ſpectat, quod apud Iul. Obſ. c. 110. habetur: *Praeneſte lana volitavit.* Eodem referenda oſtenta C. Graccho leges agrarias moliente V. C. 626. ap. Iul. Obſ. 89.

puppi, palma in templo; vbi ſimul omen ad prodigium acceſſit; aut ſi areſactae reuiruerant *n*). Obſcurum eſt, quod Priuerni lana pulla terra enata fertur (*Liv.* XLII, 2) et quod in Veienti agrô lana ex arboribus nata *o*). Notius, quod fruges in arboribus natae narrantur (V. C. 627. *Iul. Obſ.* c. 85. *vbi in not. v. al.*) Ad terrae noſtrae viciſſitudines, ſaltem quae ſuperficiem attingunt, ſpectant narrata de piſcibus ſub aratro inuentis *p*); quae ad piſces foſſiles, iam veteribus obſeruatos, pertinere in promtu eſt *q*). At mulierculae fraudem agnoſcas in hoc, quod Arretii mulieri e naſo ſpicae farris natae; eadem farris grana vomuit. (*Iul. Obſ.* 109.)

Indignatio ſubit, quoties ſuperſtitionem modo, modo fraudem humanam, in rebus tenuibus et facile

n) Alia dabit Plinius XVII, 38. 25 in quibus vnum eſt, quod riſum faciat: cum in Capitolio, palma proſtrata, ficus eodem loco enata eſſet, ab eo tempore pudicitiam ſubuerſam Piſo, grauis auctor, prodidit: Scilicet factus luſus in *ficus* notatione. Ibidem oliuetum viam publicam transgreſſum, aruisque inde in eius locum transgreſſis, ſolum concuſſum et labefactum arguit; cf. Lib. II, ſ. 85. cui ſimilia nuper ex Calabria nuntiata ſunt.

o) [Suſpicabatur *Blumenbach* amiciſſ. vir, fraudi eſſe potuiſſe certa lichenum genera, inprimis ex filamentoſis, vti lichenem inbatum, barbatum et ſic alios]. Obſcurius illud Liv. XXXII, 1. quod Oſtiae *in Herculis aede* capillus enatus dicitur; in ſigno ſaltem, vt de Lyſandri ſtatua narratum herbarum foliis horrente apud Cic. de Div. I, 34.

p) Liv. XLII, 1. *in Gallico agro, qua induceretur aratrum, ſub exſiſtentibus glebis piſces emerſiſſe.*

q) Loca v. ad Liv. l. c. Alia ad Ariſtot. de audit. mirab. c. 75. a *Beckmanno* notata.

cile aſſequendis vulgi tamen oculos animosque occaecaſſe videmus; vt in ſignis, vexillis, ſpiculis, reluctantibus, cum euellerentur: haud dubie, quia altius et in ſolo tenaci infixa erant; aut ſi ſignis euulſis ſanguis erupiſſe dictus, rubentis ſcilicet aquae ſcaturigine ſub ſolo latente. In aliis vana religio viſa obiecit, inprimis in ſolitudine agrorum et locorum: vbi fit, vt vocem exaudiiſſe tibi videaris. Eiusmodi voces auditas ſaepe inter barbaros Africae et Indiae memorari meminimus. *r*). Verum, quod ipſe Liuius monet, motis ſemel in religionem animis multa nuntiata temere et credita ſunt (XXI, 62. XXIV, 10.) Alias ipſe fluctuat in iudicio de prodigiis (XLIII, 15. XXVII, 23.)

Interdum ab iisdem naturae tumultibus, nonnunquam tamen aliis quoque a cauſſis, profectae ſunt prodigioſae illae *aquarum eluuiones* repentinae et lata vaſtitie agros obruentes; inprimis Tiberis; motu terrae interdum diſerte cum ipſis commemorato; quo magna aquae vis e terrae viſceribus ſubito effuſa ingruiſſe videtur. Ab iisdem cauſſis, magnis ſoli ruinis factis, repetemus, ſi lacus aut repente, et cauſſa externa nulla animaduerſa, increviſſe vel defeciſſe, amnes modo retrouerſi, modo hiatu terrae abſorpti memorantur; *s*) porro ſi, aquis a ſoli cretacei vel argillacei contagione albeſcentibus vel rubentibus, riui ſanguinis aut lactis fluxere;

R 5 lacus

r) V. c. *Wolf Beſchreib. von Ceylan* II. P. p. 118.

s) Ita Vulturnus et Clanis vndas ſubito retorſere, Cumanis cum barbaris congreſſuris ap. Dionyſ. VII, 3.

lacus ſanguine manauere; *t*) vnde aquae a procellis in altum raptae aliis in locis imbres cruentos vel lacteos facere potuere; eodem modo quo ſaepius multifariam terra pluit. Nec ea, quae de Comitio ſanguine fluente, et de meſſibus cruentatis reperiuntur, (v. c. *Liv.* XXVIII, 11. XXII, 1.) ab his aliena; adhaeſere forte ſpicis ſordes vel guttae ex iſtis imbribus, aut natum vitium ex ſimili cauſſa, e qua Peireſcius (*in Vita* p. 111.) interdum pluuiae cruentae opinionem natam diuinavit, quod ex chryſalide euolantes papiliones rubicunda gutta conſperſi ſpicis adhaeſerant, aut forte ab aliis inſectis rubor adſperſus. Solent plerumque haec et his ſimilia plura coniunctim narrari, *u*) vt ſatis appareat, a naturalibus cauſſis affecta et turbata ſoli aeriſque natura enata illa eſſe.

Inde quoque illa apparuere, quod *Ariciae ſimul lapidibus pluit, et multo cruore ex frigidiſſimo fonte calidae aquae manarunt;* porro quod fons ingens antea non viſus erupit, aut ſcaturigo lactis vel olei, haec quidem, vena forte bituminoſa ex meatu recluſo manante. Quam ſaepe ignes ſubterranei ſub mari arſerint, teſtantur prodigia de mari

t) Cic. de Div. II, 27. *ſed et decoloratio quaedam ex aliqua contagione terrena maxime poteſt ſanguini ſimilis eſſe.* [Speciem rubentis aquae praebere quoque poſſunt inſectorum genera, aquae innatantia: quod idem amiciſſ *Blumenbach* de pulice monoculo monuit; exemplis apud Swammerdam. proſtantibus p. 79.]

u) V. c. Liv. XXIV, 10. XXVII, 4. et in plerisque ap. Iul. Obſ. capp. cuius Scriptoris editores vtinam ea ſaltem loca adſcripſiſſent, vnde ille aut. qui eum ſuppleuit. Lycoſthenes, ſua petiere. Add. Oroſ. V, 18. inprimis oſtenta poſt Caeſaris necem a. 708.

mari ardenti nuntiata; (vt *Liv.* XXIII, 31.) interdum cum mentione Aetnae exundantis, vt V. C. 628. *x*) receſſus maris reciproco fluxu, et relictae in ſicco belluae (v. c. *Iul. Obſ.* c. 120 ſ. cf. *Plin.* II, ſ. 89. ſ. 110. 111.)

Prodigia adhuc commemorata pleraque ad medias Italiae partes, agrum Romanum, cum Etruria, Vmbria et Latio, ſpectant; vt adeo antiquis temporibus multo maiores ac crebriores, quam nunc, cum terrae tum aeris et noxae et ex intemperie calamitates eueniſſe videantur. Videbimus nunc, ex iis prodigiis, quae *ab animantibus* petita erant, num quid ad hiſtoriae naturalis ſtudium lucrari queamus.

Quod ſi prodigia huius generis ad certas rationes redigimus, in prodigiorum numerum veniſſe apparet beſtias, *ſi raro viſae eſſent*, aut *ſi inſolito* aut *alieno in loco*, aut *ſi ſpecies inſolita*, aut *ſi quid ab iis factum, quod ab earum natura alienum eſſet:* omnia haec tanto grauiora, ſi eae natura ſua ominoſae eſſent; vt anguis, bubo. Ad *raro viſa* ſpectant angues iubati, (*Liv.* XLI, 26. XLIII, 15. (13.) et quadrupedes, cuius generis lacertas, et ſerpentes adeo, memorari videas; cum alioqui ingens ſerpentum frequentia varietasque per Italiam eſſe debuerit, quandoquidem inter omina vulgo obuia nihil

x) Iul. Obſ. 89. *Aetna mons terrae motu ignes ſuper verticem late diffudit, et ad inſulam Liparas mare efferbuit.* — Saepius id factum e Strabone nouimus lib. VI, p. 424. ſed quod *ſuper verticem* columna, quam vocant, ignis emicuit, notatu dignum viſum nuper quoque Hamiltono in *Philoſ. Transact.* Vol. LXXII, P. I, pag. 7.

nihil ſerpentibus frequentius. Ad *alterum genus* referre licet lupos, ſaepius oppida Italiae et vrbem Romam, etiam Capitolium ingreſſos; et quidem, quod mireris, poſt necem Caeſaris adhuc, (Appian. B. C. IV. pr.) quod nunc vix factum audimus; vnde colligere licet multo maiorem olim luporum in Italia frequentiam fuiſſe; anguem ex ara, foribus templi vel columna lignea, elapſum; apum examina ſignis inſidentia aut in foro viſa; bouem in tertiam contignationem ſcandentem, aut in theatrum irruentem; araneas in ſignis deorum; coruos in aede Iunonis Soſpitae nidum facientes; vulturium frequenti foro in tabernam deuolantem (*Liv.* XXVII, 11. add. 23.) *Inſolita ſpecies* complectitur *monſtra*; quorum tam frequens fit memoratio, vt eorum maior frequentia olim fuiſſe videri poſſit, quam nunc facile in ipſa Italia occurrat. Enimuero ipſe neglectus huius prodigiorum generis infrequentiae ratio et cauſſa haberi poteſt: ita vt olim non plures naturae aberrationes fuerint quam nunc, ſed eas ſuperſtitio ac metus notauit; nunc vero incuria hominum transmittit. Etſi ſimul cogitandum eſt, quo magis luxurietur vbertate ſolum, adeoque pabuli copia et caeli ſalubritas veneris ſtimulos ſubdat, eo maiorem eſſe pecudum ſalacitatem; quae eadem ſubſidit, ſoli exhauſta fertilitate caelique clementia ipſo cultus defectu mutata; vt in Calabria et Apulia factum ſcimus. *y*) Alia tamen etiamnum

y) Similiter Cic. de Div. I, 42. Telmiſſes, *quod agros vberrimos maximeque fertiles incolunt, in quibus multa propter fecunditatem fingi gignique poſſunt, in oſtentis animaduertendis diligentes fuerunt.*

etiamnum doctorum hominum indagationem et explorandi ſtudium prouocatura eſſent; vt caprae lanatae; agnus cum vbere lactanti natus; (*Liv.* XXVII, 4.) gallina in gallum, gallus in gallinam verſus; bos qui equuleum peperit; taurus agreſtis qui vaccam aeneam iniit (*Liv.* XLI, 17.) auis incendiaria (v. *Plin.* X, 13. ſ. 17.) lana purpurea vel aurea, quarum in Lampridio et Capitolino aliquoties mentio fit. Poſſunt haec omnia forte ad certa naturae euenta et cauſſas reuocari, et ſimilia ex noſtris aetatibus exempla commemorari. *Adverſus naturam animantium;* quod mures aurum roſere, quod de muribus grauidis etiam noſtra aetate cum fide traditum eſt; *yy*) inprimis vero hoc, quod toties narratum legimus, quod mula pepererat; quam naturae a more ſuo aberrationem ſaepius in Italia olim, etſi nec nunc inauditam, accidiſſe apparet; *z*) modo doctiorum, quam tunc erant, hominum ſtudio ea res explorata fuiſſet! Quid vero de illo portento dicemus, quod toties bos locuta eſſe memoratur? Namque canum latratus inſoliti cauſſas habuere obuias. At luem etiam auium genus attigiſſe, aut tetro aliquo ad alitum quoque ſenſum affectu corpora peſte contacta correpta fuiſſe, colligas ex eo, quod V. C. 579. graui peſtilentia homi-

yy) cf. ad Ariſtot. Mirab. Audit. c. 24.

z) Aliquoties apud Obſequ. vt c. 125. *Mula pariens diſcordiam ciuium, bonorum interitum, mutationem legum, turpes matronarum partus ſignificauit:* a. V. C. 704. ſub belli ciuilis initia. Appian. de B. C. l. 83. Xiphil. ex Dione LXIV, vbi v. not. In recentioribus hiſtoriae nat. ſcriptoribus paſſim exempla partus a mula editi memorantur.

hominum boumque cadauera, non ſufficiente Libitina, cum iacerent, vulturius nusquam viſus eſt. (*Liv.* XLI, 21. *Iul. Obſ.* 65.)

Cum hoc prodigiorum genere, quod in animantium naturis ſpectatur, coniuncta ſunt *diuinandi* illa *genera*, quibus Romani inprimis vſi ſunt, inter prodigia non numerata; quandoquidem horum naturam et notionem omnino conſtituebat hoc, ſi quid noui et inſoliti ineſſet. Ita omnis diuinatio, quae ex *victimis*, inprimis *extorum inſpectione*, petebatur, fauſta et infauſta nuntiabat; illa, ſi nihil a natura et bona pecudis valetudine et habitu alienum; haec ſi partes morboſae, truncatae, aut alio modo vitioſae, occurrerent: in quibus tractandis vtinam extiſpices ſeu anatomiae ſeu phyſiologiae notiones iuſtas habuiſſent et obſeruata a ſe notaſſent! quot enim quantaeque varietates ac diuerſitates occurrere debuere circa iecinora, cordis tabes ſeu tumores, et ſimilia! Etruſcorum itaque in ſumma ſuperſtitione ſcientia anatomica partium internarum haud potuit eſſe nulla. *a*) Fieri autem non poteſt, quin ex pabuli genere, vbertate vel tenuitate, caeli ſalubritate vel peſtilentia, multa in animali corpore varientur et corrumpantur. Multa in his ad *omina* ſpectabant: quae omnino ea

a) Cic. de Div. I, 42. *Etruſci autem, quod religione imbuti ſtudioſius et crebrius hoſtias immolabant, extorum cognitioni ſe maxime dediderunt, quodque propter aeris craſſitudinem de caelo apud eos multa fiebant, et quod ob eandem cauſſam multa inuſitata partim e caelo, alia ex terra oriebantur, quaedam etiam ex hominum pecudumue conceptu et ſatu, oſtentorum exercitatiſſimi interpretes extiterunt.*

ea viſa complectebantur, quae cum natura rerum, hominum, et animantium, per ſe ſatis conuenirent, ſed hactenus animum aduerterent, quod certis locis temporibusque euenerant, vti ſub egreſſum ex domo, naue conſcenſa, armis motis, acie educta, omnino ſub exordia coepti alicuius aut inter rei arduae initia; ita vt animus ad ea aduerteretur; multo magis ſi captabatur omen: accedebat interdum etiam prodigioſi aliquid, quod et ipſum in omen verſum. Inter haec *auguria et auſpicia* ſolita ac communi auium natura continebantur; vt omen caperetur ex volatu, cantu, eſu; etſi et in his accedebat interdum aliquid, quod prodigii loco habitum, vti ſi pulli haud paſcerent. Totum hoc genus profectum dixeris a barbarorum hominum ingeniis, quibus in vaſta ſolitudine errantibus, dum in magno diſcrimine verſantur aut in aliquam rem cogitatione defixi ſunt, ad aures repente accidit auiculae cantus ſeu evolantis ſtrepitus; quo arrectis animis illi de ſucceſſu aut deſperant aut bona ſpe ac fiducia firmantur. *Aruſpicina* maxime circa prodigia et exta inſpicienda verſabatur; nata haud dubie inter victimarum mactationes. Nolumus in hunc cenſum reuocare, quae de Manibus aut Vmbris euocatis paſſim occurrunt; credidit haec ludibria impia ſuperſtitio, cum ſaepe nocturna viſa fraudem faciant ſomniantibus, vt mortuos ſibi adſtare putent: quidni, inquiebant, hoc ipſum arte fieri poſſe credamus!

Obiecit et *humana natura* prodigia: inprimis per monſtroſos partus, quos fere necari iuſſit et olim,

olim, et nunc, barbarorum ſuperſtitio ex naturae ignoratione nata; tum per androgynos eodem more in mare mitti ſolitos: in quibus fuere forte, quae diligentiorum viri docti conſiderationem requirerent. Sed de his ſatis multa a multis diſputata ſunt; mirum eſt, quod apud Iul. Obſ. (c. 13.) inter prodigia pueri tergemini nati memorantur, tanquam res prodigioſe inſolita; cum tamen vel Horatiorum et Curiatiorum memoria in hiſtoriis celebrata proſtaret; ſed locus forte corruptus habendus. Inter haec tamen prodigiorum omnium maximum et incredibile prorſus habendum putamus *ipſum hominem*, qui ad inſolita naturae attendere maluit, *b*) quam ad praeclarum et mirabilem naturae ordinem, quique ex iſtis maluit iras deorum arguere, quam ex hoc numinis propitiam voluntatem et in omne genus humanum indulgentiam intelligere; metus potius et terrores circumſpicere, quam malorum ſolatia anquirere. Terroribus itaque, re noua et inſolita obiecta, percuſſi animi trahebant in prodigium etiam ea, quae nihil quod terreret habebant, aut quae ſatis frequenter euenirent, vt fulmina, procellas ac tempeſtates foedas, tum ea omnia in maius augebant; *c*) quid? quod ea quoque, quae per

b) Fere quod Cic. de Div. II, 22. *Cauſſarum ignoratio in re noua mirationem facit, eadem ignoratio ſi in rebus vſitatis eſt, non miramur; nam qui mulam peperiſſe miratur, is, quomodo equa pariat, aut omnino quae natura partum animantis faciat, ignorat.*

c) Cic. de Div. II. 27. *Atque haec in bello plura et maiora videntur timentibus: eadem non tam animaduertuntur in pace; accedit illud etiam, quod in metu et periculo cum creduntur facilius tum finguntur impunius.*

per ſe iam inter mala et calamitates erant: vt fluminum eluuies, grandines et turbines aliaque his ſimilia. *d*) Adeo prona eſt humana mens ad mala vera falſo creditis cumulanda, et malignius in ſe infeſtiusque ſaeuiunt homines, quam natura aut fortuna ſtatuerat. Nec tamen in his quicquam eſt a natura humana alienum: in incertis his fortunarum noſtrarum, ad futurarum rerum notionem omnes ſumus natura procliues; inhiarunt itaque et prominuerunt populi omnes et per omnia ſaecula in eas res, quae deſiderium et votum hoc explere videbantur; nec quicquam eſt, quod ſapientiſſimos quosque homines adeo in fraudem illaqueaverit quam diuinatio ac futura praeſagiendi facultas ſeu diuinitus animo immiſſa ſeu arte parata: vti nec vlla philoſophiae percrebreſcentis vi effectum iri putamus, vt ab hac inſania plerique homines vllo temporel iberari ſe patiantur. Itaque, naturae cognitione ſubtiliore quantum gens humana ad tranquillitatem ac felicitatem profecerit, ita demum intelligimus, ſi ſuperſtitioſos metus timoresque meminerimus, quibus illa ante phyſicam ſatis expolitam tenebatur: iacent cum iis exploſi et damnati inanes illi expiandi, luſtrandi et procurandi ritus, quibus humanae mentes erant obſtrictae. Ceterum, quod etiam in peſſimis exemplis fieri ſolet, interdum aliqua vtilitas inde ad populos manauit, quemad-

d) E quo genere Carmen II. lib. I. Horat. plura complectitur. Eluuies Tiberis et aedium ruinae inter prodigia ibi produntur, quibus ira deorum et bellum ciuile recrudeſcens portenditur.

quemadmodum iniuria proterue illata, aut facinus immane, quod impune auctori fuerat, poſteaquam territum oſtentis vulgus cauſſas irae numinis anquiſiuerat, publice vindicatum fuit; ſic cum oſtento pluuiae ſanguineae et ſubſequuta peſte ſub Romulo recordatio ſubierat Romanos, Tatii et legatorum caede violato iure gentium, iram numinis expiandam eſſe; quare dediti caedis auctores et ſupplicio affecti. Verum in hoc, vt in multis magnisque generis humani rebus, parua aliqua vtilitas magno conſtitit; habuit etiam barbaries ſuperiorum aetatum ſua bona, quibus nunc caremus, ſed aequo animo. Verum abſtineamus ab iis quae male ominata haberi poſſint, et conuerſis ad bona noſtra animis craſtino die fauſtis ominibus perſequamur noui Magiſtratus auſpicia. Quod quidem a veſtra comitate, humanitate, affectu, Principes Sereniſſimi, Comites Illuſtriſſimi, Barones Nobilesque ſeu ſtirpe ſeu ingeniis ac virtutibus, nos facile eſſe conſequuturos auguramur. PP. Kal. Iulii cIↃIↃccLXXXV.

[Adiiciam nonnulla a Forſtero meo familiariter mihi ſuppeditata. *Lacteae pluuiae* (p. 212) ortae eſſe potuere ex polline certarum piantarum per turbinem collecto; etiam ex particulis ſulfureis per Vulcania incendia in nubes ſublatis, et cum imbre in terras praecipitatis; aut ex certo morbo plantis polline obductis. Si *carne pluit:* potuere carnes eſſe deiectae a vulturiis, qui ex aris eas abſtulerant. *Mare ardere* videri potuit per naturam phoſphoream; *Gallinae autem in gallum verſae* obiici ſpecies, ex ſenio pennis in cauda incuruatis, forte et criſta enata, vt ſolent pauones feminae, vbi oua parere deſierunt, caudam, marium more, oculatam et gemmatam expandere.]

XVI.

XVI.

ACADEMIAE GEORGIAE AVGVSTAE
PRORECTOR
HENR. AVGVST. WRISBERG
CVM SENATV
ANNIVERSARIA INAVGVRATIONIS,
SACRA XXXXVIII.
IN A. D. XVII. SEPTEMBR. CIƆIƆCCLXXXV.
RITE INDICIT.

De foederum ad Romanorum opes imminuendas initorum euentis eorumque cauſſis.

Quo magis annorum, quibus res noſtra ſtetit, numerus procedit, ſemiſaecularisque feſti ſollenne appropinquat, Ciues, eo magis ſollennibus noſtris anniuerſariis auguſta aliqua et religioſa celebritas accedere videtur; habetque ea res rationem pietati in parentes noſtros ſimilem, quorum caritas tanto maior eſſe ſolet, quanto grandiores natu illi ſunt. Quem vero ſenſum noſtrum pietatis et hilaritatis eſſe neceſſe eſt, cum, rerum noſtrarum ſtatu incolumi ac florente, hic quoque dies anniuerſarius XLVIII. iuſtas laetandi et gratulandi cauſſas praebeat! quas quidem in coetu ſollenni ad templum academicum in craſtinum diem ex hoc ipſo edicto indicendo exponet is, cui dicendi

vices e muneris lege impoſitae ſunt, CHR. G. HEYNE, oratiuncula praemiſſa, qua *de conſiliorum ad formulam concordiae in litterarum diſciplinis conſtituendam vanitate* paucis declamabit.

Cum vero mos et inſtitutum Academiae poſtulet, vt in ipſo hoc panegyris futurae praeconio noſtro praemittatur diſputatio aliqua de re ad communes litteras ſpectante: agite, Ciues, exſpatiemur paullulum in quaeſtionem, ad quam deduxit nos euentum huius anni maxime memorabile, foedus ſcilicet inter grauiſſimos libertatis Germanicae vindices initum, quo cautum eſt, ne corporis Germanici diſſolutio aliqua temere aut deminutio fiat; exempli quidem foedus praeclari, quippe quo tranquillitas publica firmata eſt et ſtabilita, rerum autem nouandarum ſtudium refrigeratum, quo labefactari potuiſſet ſtatus publicus. Cuius ſapientiſſimi conſilii admiratione defixus cum diu haeſiſſet animus, coepit ille tandem circumſpicere et inquirere in alia ſimilis foederis exempla, quoties coniunctis plurium viribus quaeſitum eſt hoc, vt opibus imperiorum ad nimis magnam molem euectis obſiſteretur; vt, qui tandem tam ſalubris inuenti fructus et alias fuiſſent et nunc expectandi ſint, in conſpectu poneretur. Iam quae temporibus noſtris propióra ſunt exempla, ſiue in Ferdinandos, ſiue in Philippos, ſiue in Ludouicos compoſiti foederis, tanquam notiora, nec ſine offenſione expoſitu, aut in tam anguſto libello comprehenſu facilia, lubenter omittimus; deflectimusque diſputationis tanquam liberiores habenas ad priſca tempora, in

quibus

quibus tutius euagari et temporum hominumque notationes ad animi ſenſum proponere licet; maiore etiam rerum fortunarumque varietate ſuppetente; dum contra in recentioribus hiſtoriis taedium facit par ſibi et ſimilis vbique ſeu fraudum et aſtutiarum, ſeu ſcelerum et iniuriarum, rerum tamen euentu in neutram partem memorabili, ordo ac tenor. Cum autem partim temporis, partim chartae ſpatio, nec minus operae noſtrae conſilio, circumſcriptum ſit omne hoc commentandi genus *a*): ſubſiſtemus

S 3 in

a) Poſſent enim alioqui eiusmodi exempla foederum paſſim ex hiſtoriis excitari, quibus aduerſus praeualentis populi vel regis vires coiere plures et ſuas opes coniunxere: quemadmodum foedus aduerſus Cyaxarem Medum conflatum; (Xenoph. Cyrop. I, 5, 3.) item adverſus Cyrum, Croeſo conſiliorum duce et auctore; Xerxis et Carthaginienſium ad Graeciam opprimendam, tum Graecorum aduerſus Xerxem; tum multa Graecorum inter ſe ad opes Athenienſium aut Spartanorum infringendas facta foedera; forte etiam Philippi et Alexandri foedus cum Graecis ad Perſarum regnum exſcindendum; ſucceſſorum Alexandri foedus aduerſus Antigoni praepotentis opes, tum in Demetrium. Licet etiam in his progreſſum a rudioribus conſiliis ad ſagaciora et ſubtiliora animaduertere; etſi altera ex parte fatendum eſt; occurrere nec minus exempla incredibilis ſeu ſocordiae ſeu ſtuporis populorum et regnorum in parando mature per foedera praeſidio aduerſus praepotentis inimici inualeſcentes vires, quibus ſinguli impares eſſent: inprimis aduerſus barbarorum impreſſiones: vt enim Achaeos taceamus, qui contra Dores et Heraclidas nihil prouiſum habuere, quis non Aſiae vires in commune collatas expectaſſet aduerſus Cimmerios aut aduerſus Scythas? Romanorum, Etruſcorum, Vmbrorum et Latinorum aduerſus Gallos? nam barbaris Germanicae ſtirpis in vnum coeuntibus nulli alii, quos inuadere poſſent, quam vnius imperii Romani fines patebant. Nullum vtique magnum et praepotens nimis

in rebus Romanis, vt, cum Romanorum opes ad maiorem indies molem auctae tantos terrores per tot ſaecula inter vicinos remotosque populos ſparſiſſent, quaeramus, an ſimilia aliquando conſilia hi populi inierint, vt communi inter ſe foedere facto illas opes ſiſterent et minuerent, ſuas vero firmarent ipſi et augerent. Bene enim meminimus, quoties in lectione Romanarum rerum verſaremur, ſaepe mirationem incidiſſe, qui factum eſſet, vt tantus populorum animos occaecaret ſtupor, vt ſingulos ſe Romanis trucidandos ſubiugandosque tradere mallent, quam vnitis viribus eos opprimere et peſtem communem excidere; id quod multo magis inter domeſtica plebis et patrum diſſidia aut in magna accepta clade factum expectares.

Nec vero putandum eſt hoc aut ſimile quid Italiae populis aut exteris regibus nunquam in animum veniſſe; immo vero exempla ſimilium conſiliorum cum ſaepe alias, tum iis maxime temporibus agitata fuere, de quibus nunc paucis agere decreuimus: rerum ſucceſſu illa caruere ſuo, variis de cauſſis, quas hoc loco ante omnia ſummatim exponere placet. Et primo quidem foedera illa fecere populi non tam ad ſuas res firmandas roborandasque, ne a Romanis impetu facto labefactari illae

nimis imperium coaleſcere potuiſſet: ſi mature ſatis ciuitates ac populi coniunctis viribus vires adhuc exiguas et tenues coercere ſtuduiſſent. Verum de his vix ſatis tuto iudicare tibi licet, niſi rebus iam eo adductis, vt nimis fero ad calida prorumpas conſilia; in rerum autem initiis hand facile inuenias, cui fidem eorum facias, quae aut temeritas aut ignauus metus animo tuo ſubieciſſe videri poterat.

illae poſſent; quam ad arma Romanis inferenda, vt ipſi potius fortunae aleam experirentur et in belli caſum ſe committerent; id quod lubricum, plerumque exitioſum fuit. Conuentum porro eſt in foedus plerumque parum tempeſtiue, et tempore alieno, hoſte iam ſatis parato validisque viribus inſtructo; cunctatione quoque conſumtum eſt tempus, vt non niſi ſero in certas conditiones conſentirent, aut, quae ad bellum neceſſaria, ſatis prouiſa haberent, aut ad iuſtum diem copias educerent; quo factum, vt interea Romae compoſitis patrum et plebis diſſidiis in externa odia et iras animi exardeſcerent. Ita Decemuiris diuina humanaque miſcentibus Aequi et Volſci, tum altera parte Sabini, Romanos aggreſſi, parum prudentibus conſiliis vſi, rerum gerendarum opportunitatem manibus dimiſerunt. Interdum populi, iuncti ſocietate cum Romanis, foedus, quod ipſi abruperant, in medio diſcrimine poenitentia ducti repetierunt, aut recipiendi eius ſpe deluſi ſocios deſtituerunt, et ipſi otioſi et ſegnes ſtudia aliorum, quo minus alacritate vterentur, retinuerunt. Inprimis autem duo maxime ſucceſſibus obfuiſſe arbitramur, primo, quod in exſequendis conſiliis foederatorum concordia ardorque omnium in commune bonum conſpirantium plerumque abfuit et in magna ſocietate abeſſe ſolet; quo ipſo fieri neceſſe eſt, vt foedera a pluribus inita raro ſucceſſum habeant, ita vt ne a potentiorum quidem multitudine infirmiores opes euertantur; id quod ſatis docuit cum ſuperiore ſaeculo XVI. Venetorum fortuna, foedere Cameracenſi aduerſus eos facto; tum

 recens

recens exemplum totius fere Europae in magni regis excidium fruſtra conſpirantis; non enim niſi retardatione conſiliorum hoſtilium opus eſt, vt refrigeſcant illa et conſeneſcant; deinde obfuit, quod tum quoque, cum Romanos ipſi ad arma prouocaſſent, expectare maluere, donec ſuos illi fines ingreſſi eſſent, quam id primo loco agere ac videre, vt in Romanorum fines belli molem ipſi a ſe amolirentur. Tam male illos rebus ſuis conſuluiſſe videmus, vt, ſi Hannibalem exceperis, qui bene intelligebat, Romanos nonniſi in Italia, hoc eſt in ſuis finibus, vinci poſſe, vix alii fuerint, qui id, quod ſummam rei conſtituebat, perſpectum haberent, infractum iam paene eſſe robur, cui impetus ſe exſerendi ademtus, alienus autem impetus, quem excipiat, exſpectandus ſit. Atque haec ad antiqua maxime tempora referenda ſunt, nondum adultis Romanorum opibus; ex quo enim illae adeo inualuerant, vt ne coniunctae quidem multorum regum vires eſſent pares: multo minus expectari poterat, vt aduerſus robur vnius vaſti et ingentis corporis nerui plurium ad commune conſilium intenti celeres ſatis validosque motus haberent.

Atque haec quidem ita ſe habere, ipſis rerum argumentis exemplisque declaratum dabimus. Quod igitur primo loco foedus eo conſilio initum dici poteſt, vt opibus Romanorum iam aliquantum auctis occurreretur, Latinorum erat V. C. 253. anno octauo ab expulſis regibus initum, omni Latinorum nomine in bellum in nouam remp. conſpiran-

ſpirante *b*). Quae enim ante id tempus paſſim commemorantur aut Latinorum inter ſe, aut Etruſcorum, aut etiam vtriusque populi in idem foedus aduerſus Romanos coeuntis, pactiones, vt inter vicinas gentes, imprimis barbaras, fieri ſolet, potius ad vim depellendam et vlciſcendam, ad res repetendas, aut ira odioque iniuria accepta repente exorto, initae fuerant. Eſt ex hoc genere foedus inter Latinos, Sabinos et Etruſcos, pactum ſub Tarquinio ſeniore apud Dionyſium; (III, 51. 57.) ſi modo homini antiqua in maius augenti et ornanti fides habenda eſt, Verum illud, quod paullo ante diximus, Latinorum in Romanos foedus tanto magis terrere poterat Romanos, quod eosdem Latinos antea ſocios amicosque habuerant; ſapienti enim conſilio iam antea Seruius Tullius id egerat, vt concordiam inter Romanos et Latinos conſtitueret, moxque Tarquinius alter id effecerat, vt vtrumque populum in magnum foedus cogeret, cuius Roma caput eſſet, feriis quoque Latinis inſtitutis, quibus vtriusque populi conuentus haberentur *c*). Nunc idem Tarquinius vrbe expulſus non Romae, ſed ſibi, principatum illum vindicare, iniuriam ſuam tanquam illorum communem iactare, audaciam ciuium in metum et ſuſpicionem adducere; cum Tarquinio gener Mamilius, Latini nominis princeps, vt ſocer reduceretur in vrbem, laborare. Irae faces quoque ſubiiciebant Fidenae

 captae,

b) Dionyſ. V, 50. 61 ſq. Liv. II, 18.

c) Dionyſ. IV, 25 ſq. 45 ſq. add. Liv. I, 45. 49 ſq. qui rem ad exordia opum Romanarum longe grauiſſimam nimis leuiter attigit.

captae, inflammabantque odia in Romanos Aricini. Romae tanto maius diſcrimen inſtabat, quod graui foenore oppreſſa plebs nomen militiae dare recuſabat. Creato tamen dictatore et plebi et Latinis metus incuſſus; actum de induciis; altero vel tertio anno pugna ad lacum Regillum facta Latinorum fregit animos. Quod enim facile praeuideri poterat, accidit, vt res in commune curata a ſingulis eſſet ſocorditer, principes quidem Latinorum, muneribus et pollicitationibus Tarquinii et Mamilii corrupti, alacres ad bellum irent, ipſa autem plebs eſſet remiſſa, agerentur quoque incerta de belli gerendi ratione conſilia; contra Romae dictatore iterum dicto ad vnius nutum omnia agebantur intente, cum conſilio, et ex edicto *d*).

Varia inde, aliud ex alio fatum, finitimorum populorum cum Romanis bella: verum capta a Gallis et incenſa vrbe (v. c. 365.) facile expectares finitimos populos in commune conſulturos idque operam daturos eſſe, vt vrbem, a qua tot mala ſibi illata meminerant, ipſis cineribus oppreſſam ſepultamque nullo modo reuiuiſcere ſinerent. Quod tamen ſecus accidit; forte quoniam ab iisdem Gallis multas magnasque calamitates experti erant alii, alii e ſuperioribus cladibus, quas a Romanis acceperant, nondum vires receperant; ſaltem conſilia ab iis aut non acta ſunt aut non maturata, niſi Romanorum animis viribusque refectis iterum et firmatis. Altero enim anno hinc Volſcorum, hinc Etruriae principum, de bello coniuratio facta; dete-

d) Dionyſ. VI, 2. 4.

defecere quoque Latini Hernicique *e*); ſed repreſſi Volſci a Camillo, dictatore facto; oppreſſi Etruſci ex improuiſo; nec ceteri maturis ſatis conſiliis ſuccurrerunt; adeo, ſocietate armorum facta, niſi vnius nutu imperioque ad celeritatem in rebus exſequendis adigantur omnes, ne maximae quidem opes robur habent.

Iam bellum Samniticum, etſi a Campanorum deditione Romanis facta ortum *f*), poſtea tamen ad tantam molem accreuit, vt Romani etiam de ſalute ſibi bellandum eſſe cernerent: adiunxere ſe Samnitibus Latini, Volſci, aliique, mox Tarentini, Lucani, Apuli, tandem quoque Etruſci; verum plerique rebus Samnitium iam laborantibus in ſocietatem pertracti, aut viribus haud in vnum coniunctis, aut parum concordibus conſiliis. Ita victi et perdomiti alii poſt alios, belli iuxta ac victoriae tanquam contagio. Etruſcos autem ſaepe mirati ſumus, populum pacis bellique artibus adeo florentem, prudentiaque ciuili vel in hoc conſpicuum, quod XII ciuitates in vnum foedus coniunxerant, vires ſuas coloniis deductis firmauerant, opes autem nauigatione et commerciis ſibi ſummas pepererant, cum Romanam gentem ferocem et indomitam ſuis finibus imminentem haberent, non id ſibi ante omnia factu opus eſſe ratos, vt excidio delerent vrbem, quam ſibi aliquando ipſis excidio futuram eſſe facile praeuidere poterant; ſed eam paſſos eſſe vires eas conſequi, quibus mox ipſi

e) Liv. VI, 2.
f) Liv. VIII, 29.

ipſi reſiſtere nequirent, inprimis cum nec reip. inſtituta nec ciuium ſtudia militiae ſatis apta eſſent: peccatum tamen ab ipſis eſt in aliis quoque; bello enim ſaepe laceſſitis ciuitatibus foederatis, vt Veientibus, Faliſcis, Tarquinienſibus, Volſiniis, permiſere, vt bellum ſingulae pro ſe gererent; communi vero decreto arma non cepere, niſi cum Romanorum vires iam ita eſſent firmae validaeque, vt iis reſiſti amplius non poſſet. Quod ſi mature ſatis cum Samnitibus arma iunxiſſent: opprimi poterat Romana virtus in ancipiti poſita; enim vero praetulere illi ea, quae in praeſens tuta eſſent, minus ſolliciti de futuris etſi ſatis certis; nec adiunxere ſe Samnitibus niſi iam fractis ac tantum non debellatis, ita vt omnem belli molem ab iis in ſe deuolutam ipſi ſuſtinerent *g*). Victi mox ad lacum Vadimonis fractique ſunt *h*): V. C. 444. Iterum motis armis, ſed conſiliis parum certis parumque firmis, nunc demum de ſocietate cum Gallis Vmbrisque iungenda eſt cogitatum *i*): ſed ne tum quidem pugnatum eſt communi Marte ſignisque in vnum collatis *k*). Victi tandem (v. c. 471.) ad Vadimonis lacum Senones Etruſcique; deditio ab Etruſcis facta *l*).

Quod ſi recentes adhuc et intactae Etruſcorum Samnitiumque vires illo fuiſſent tempore: actum fuiſſet de Romanis, bello Tarentino moto Pyrrho-

g) Liv. IX, 29. 32. 35 ſq.
h) Liv. IX, 39.
i) Liv. X, 8.
k) Liv. X, 27 ſq.
l) Polyb. II, 19. 20.

Pyrrhoque in Italiam accito, Lucanis Bruttiisque in belli ſocietatem pellectis. Nec vero ſaniora fuere conſilia ciuitatum Graecarum in extrema Italia: quae nullo communi foedere coniunctae deſides expectarunt, donec Romanus arma ad ſingulas ciuitates circumferret; ipſae Lucanis Bruttiisque in praedae partem adiectae. Scilicet haec illa fuit Romanorum fortuna, cum ipſi, ab initio in ſumma rerum inopia frugalitati adſueti, corporibus animisque eſſent induratis, vt, vno excepto Etruſco populo, ſed eo luxu, et luxus comite auaritia, priuataeque vtilitatis ſtudiis corrupto, non niſi paruas ciuitates per omnem viciniam haberent, quibus eſſent ſingulis pares; quibusque victis maiores, quam ceteri omnes coniunctim, haberent opes, quae quidem et longinqua terrerent. Nam ſi Roma magna regna et imperia, cum quibus congrediendum eſſet, ab initio ſtatim habuiſſet: nae virtus illa tantopere iactata in latrociniis rapinisque conſenuiſſet; adeo dubitari poteſt, ad opes Romanorum tantopere auctas annon fortunae plus quam ipſi illi virtuti imputandum eſſe cenſeas.

Debellatum erat in Italia ſub a. V. C. 481. Belli Tarentini contagione, et recepta Mamertinorum ſocietate, cum Romanus Siciliae occupandae immineret, Poenus eum a Siciliae aditu prohiberet, bellum Punicum exortum eſt; quod cum exitum habuiſſet Poenis infauſtum, inde demum conſilia agitare coeptum eſt Carthagine, quomodo Romanae potentiae obſiſti poſſet non modo domeſticis, ſed et externis viribus adiunctis; et primum

mum quidem ſocietate populorum Africae et Hiſpaniae, hinc Galliae et Italiae, res tentata; mox Philippus, Macedoniae rex, prudenti conſilio, arma cum Poenis ſociauit, V. C. 537. ad opprimendam ciuitatem, cuius opes intra Italiae fines haud eſſe ſubſtituras apparebat *m*). Praeclare haec erant conſulta et deſignata. Adfuit tamen et in hoc Romanis fortuna, primo quod interceptis Philippi legatis mature patefacta ſunt conſilia, tum quod per inteſtinas diſcordias et diuerſa factionum ſtudia Annibalem nec armis nec copiis iuuerunt Poeni ſui; denique, quod Philippus ſuis rebus, non communi cauſſae, ſtudens nihil prouiderat ſatis opportune; itaque Romani claſſe Epiri littora obſidendo Philippum in regno continuerunt; *n*) bello autem cum Poenis finito ipſi arma Philippo intulerunt; cuius cum potentia inuiſa eſſet finitimis, quia auaritia et cupiditate prauaque dominandi lubidine omnium iras et odia in ſe concitauerat, ipſi illi, quorum intereſſe videri debebat, vt externum populum a ſuis finibus auerterent, ſocios ſe belli Philippo inferendi praebuere; vicitque adeo acceptae iuiuriae memoria et ira metum aliarum et grauiorum iniuriarum, quas facile praeuidere poterant a populo, qui honeſto ſociorum nomine ſeruientium turbae eos adiiciebat. Ita accreuere in his quoque terris Romanae vires, donec eae tam validae eſſent, vt fruſtra Graecorum armis tentarentur. Inde excepere ſe clades Macedonum, Aetolorum et Achaeorum; qui ſi communi conſilio

m) Liv. XXIII, 33 ſqq. Polyb. Exc. VII, 2.
n) Liv. ibid. c. 38.

ſilio ac virtute primis conatibus obſtitiſſent, ceruicem ſuam a generis humani ſeruitio intactam forte ſeruaſſent.

Noua inde ſpes affulſerat iugi a tot populorum ceruicibus detrahendi, motis ab Antiocho armis; modo ille Annibali obtemperaſſet, qui in Italiam vt bellum transferret monitis horatibusque inſtabat; ſed, quod imprudentes facere amant, quodque exitio eſſe ſolet, medium rex conſilium ſequi maluit; vt in Aſiae quidem terras admittere bellum nollet, nec tamen niſi in Graecia ſocios armorum quaereret. Verum ne quidem hoc ſatis prudenter conſultum aut in rerum actum perductum; ſegniter et ſupine grauiſſima quaeque curata; opportuna rerum momenta manibus dimiſſa; aulicorum artibus, aſſentationibus et ſuſpicionibus, tractatae bellicae res; ita commiſſum, vt in ipſa tandem Aſia cum Romanis eſſet concurrendum.

Bella deinceps Romanos excepere alia ex aliis; grauiſſimum ſociale V. C. 663. in quo tamen id modo ſpectatum a ſociis, vt aequo cum Romanis iure vterentur. Prudenter ab iis adminiſtrata res in hoc quoque, quod legatos miſerunt ad Mithridatem *o*), petentes, vt cum exercitu Italiam ad opprimendos Romanos inuaderet; nec vana ea ſpes eſſe potuit; nam Thraces iam tum in armis erant, quos ille mox in ſocietatem belli traxiſſe videtur: et populos, per quos iter faceret, belli ſocios habiturus erat; ſpreto tamen conſilio hoc, dete-

o) **Diodor. Ecl. XXXVII, 1. p. 540.**

deteriora amplexus, rex Ponti conſtituit in Aſia manere, vt et regni fines tutaretur et proxima quaeque occuparet. Ortum ita bellum Mithridaticum: quod cum primum viribus ſuis aliquantum ſuſtinuiſſet, poſthaec miſit ad regem Armeniae, Tigranem, generum ſuum, ad Arſacem, Parthorum regem, ſocium et amicum, tum ad reges Syriae et Aegypti, vt arma ſecum iungerent; Thraces quoque ac Scythicos populos ſollicitauit *p*): cauſſam belli odiique in Romanos concitandi praebebant iuſtam Nicomedis Bithyniae regis iniuriae, quas Romani aut diſſimulabant aut aperte defendebant. Nec facile alias tam clare apparuit, Romani bellica virtute et conſilio quantum ſupereſſent; etſi enim Italico bello premebantur, et paullo poſt bellum ciuile motum erat, diſtrahebantur autem ducum iurgiis et diſſidiis ciuitates et prouinciae, ipſique propter cauſſam belli iniuſtam odiis omnium laborabant, fauſta quoque Mithridati belli erant initia, ita vt victum Nicomedem regno exueret, inde Phrygiam intraret, totamque Aſiam ſuam faceret, in ipſa porro Graecia Athenas arcem opum haberet: miſſae tamen adverſus eum copiae in illas ipſas prouincias, et coactus ille eſt paullo poſt victas Sullae dare manus et pacis conditiones quamuis iniquas accipere. Cum autem Romanorum ducum auaritia et ambitione iterum ac tertio ad arma ſumenda fuiſſet adactus: (V. C. 677.) Sertorii ille Luſitaniam tenentis ſocietate petita, Tigrane quoque ad arma iungenda pellecto, barbaris ſeptentrionis e ſedibus ſuis extractis *q*), numero-

p) Appian. Mithrid. 15.
q) Ibid. c. 67. 68. 69. 78.

numeroſiſſimas copias parauit; victus tamen Romanorum armis cum in Bosporum fugiſſet, (V. C. 688.) adeo non fractus eſt animo, vt et bellum renouare pararet et in ipſam Italiam illud transmittere vellet *r*); ita vt, ſuperato Iſtro aut per Pannonias et Illyricum facto itinere, Alpium iuga ſuperaret, aut Thracia Macedoniaque peragrata mare Ionium traiiceret; quae conſilia ſi euentum habuiſſent, in ſummum haud dubie diſcrimen adducta fuiſſet res Romana. Intercepta conſilia exercitus defectione a Pharnace filio ſollicitati.

Atque haec quidem a nobis expoſita ſatis docent, non omnino prudentiam defuiſſe hominibus, verum non adfuiſſe fortunam; et fuiſſe ita in fatis, vt tot populi ac ciuitates, numeroſa pube, corporum animorumque virtute rerumque copiis florentes, vnius vrbis auaritia et dominatione exciſae, laetiſſimo Italiae, Siciliae, Graeciae, Aſiaeque cultu extincto, ſolitudine et vaſtitie ſqualerent; vtque gentes ingeniis artibusque politiſſimae, nullo aut exiguo ad ipſa victorum ingenia fructu, (quippe qui ad humanitatem nullo tempore ſatis expoliti fuere; luxum, pro cultura, habuere) ad barbariem relaberentur. Ad magni imperii molem, qua publica priuataque virtus oppreſſa deficit, cum res excreſcerent: a ſano animorum morumque habitu, qui, niſi in mediocribus rebuspublicis aut regnis, vix durare poteſt, ruentibus omnibus in opum magnarum cupiditatem, et cum hac in luxus libidinum-

r) Ibid. 109.

dinumque foeditatem, extinctum eſt, quicquid vsquam, aut natura aut ſtudio, lege vel more, eſſet praeclarum: quibus omnibus ſi foederum ſalubri pactione mature obuiam iri potuiſſet, quanto cum humanitatis omnis fructu id factum fuiſſe putabimus!

Verum agamus id, cuius cauſſa ſuſcepta erat haec commentatio, et, omiſſis votis ac deſideriis vanis, acquieſcamus in rerum noſtrarum ſtatu praeſenti haud vtique poenitendo, cum prouiſum ſaltem ſit, ne noſtra aetas ſeruitutis iugum ſuae ceruici impoſitum ſentiat, agamusque deo O. M. gratias pro tanta rerum proſperitate, cuius fructus nobis conceditur. Quod vt rite fiat, agite, Ciues, bonis votis noſtram religionem pietatemque proſequimini, ducendaeque in templum academicum pompae, ſi videbitur, Principes Sereniſſimi, Comites Illuſtriſſimi, et quiqui aut generoſa ſtirpe ſati ad virtutem annitimini, aut virtute et ingenio vobis nobilitatem parare ſtudetis, intereſſe fauentes haud dedignamini. PP. in Georgia Auguſta d. XVI. Septembr. cIↃIↃccLXXXV.

XVII.

ACADEMIAE GEORGIAE AVGVSTAE
PRORECTOR
HENRIC. AVG. WRISBERG D.
CVM SENATV
SVCCESSOREM
IN
MAGISTRATV ACADEMICO
LVDERVM KVLENKAMP
CIVIBVS SVIS
COMMENDAT
INDICTIS SOLLENNIBVS.
IN A D. II. IANVARII CIↃIↃCCLXXXVI

Demogorgon daemon, e diſciplina Magica repetitus.

Quoties per omnem generis humani hiſtoriam in errores, prauas opiniones, ſuperſtitiones ac fraudes incidimus, quibus ſymbolica et allegorica loquendi ratio locum fecit: in illa cogitatione defixi ſumus, quot quantisque opinionum monſtris ſuperſtitionumque ludibriis caritura eſſet vita humana, ſi ab initio ſtatim generis humani ſermo idoneus extitiſſet, quo eloqueretur quisque ea,

quae cogitatione deſignabat, proprie, nec vtendum fuiſſet ſymbolica ratione, qua ſenſui ſubiiceretur id quod ſub ſenſum non caderet nec adduci poſſet. Saltem, ex quo ſermo hominum ad philoſophicam ſubtilitatem fuit adductus, vtinam omnis illa ſymbolica et allegorica oratio et actio e generis humani commerciis expelli potuiſſet! Nunc autem ita accidit, vt ea ſymbola, per quae rudiorum aetatum notiones expoſitae eſſent, non modo retinerentur, verum adeo acciperentur tanquam proprie dicta, efficerenturque ex iis opinionum portenta, quibus implicita mens humana per omne aeuum tanquam compedibus tenetur, e quibus necdum magnae hominum parti extricandi ſe nec elabendi vlla eſt facultas. Ita per omnes aetates et per omnium gentium ſapientiam diuinam et humanam regnarunt dogmata et placita ex illis ſymbolis male acceptis ducta, et ad ſubtilitatem philoſophicam reuocata: quibus tanto difficilius eſt occurrere, ſi velis, cum auctoris verba ipſa recitari aliaue auctoritas commemorari poſſit diſerta. Scilicet fecit fraudem illa opinio, qua, quod primi homines, neceſſitate adducti, ſermonis idonei penuria, per ſymbola et hieroglypha protulerant, conſilio aut fraude factum plerique interpretarentur, inque ipſis diſciplinarum primordiis et incunabilis ſubtiliſſimas quasque, vix in noſtra litterarum luce animaduerſas, aut omnem extra humani ingenii modulum poſitas, arcanas doctrinas ſermonis vel ſcripturae ambagibus et inuolucris occultare voluiſſe crederentur ſeu ſacerdotes ſeu philoſophi. Quis quaeſo, ſuo iudicio, non aliorum cupiditate, ductus ſibi perſuadere

poſſit,

poſſit, patriarchis aut ſapientibus primarum aetatum viris de rerum naturis ea cognita fuiſſe, quae tot virorum ſubtiliſſimorum ſtudiis, rerum experimentis, inſtrumentorum inuentis, multorum ſaeculorum progreſſu aut nondum aut vix tandem ad qualemcunque hominum notitiam adducta ſunt! Subnata inde interpretantium ſtudia, incerta ac diſſona, ytpote in ſymbolis ac ſignis, quae definitam ſatis notionem habere nequeunt. In mythis ac ritibus explicandis captatae ſubtilitates generis omnis. Incuſſa quoque mentibus religio, ne patefacta in vulgus efferrentur. Eo maior erat venia fingendi abſurda *). Natum ex iſta opinionum fraude ſimile aliorum ſtudium vera ſymbolis, allegoriis, mythis involuendi, arcanas diſciplinas condendi: quaſi veritas nuda nec adſpici poſſit nec ferri. Extitere adeo per omnes fere inde aetates, qui, cum philoſophi videri vellent et multi etiam eſſent, cogitata animi non proprio, plano ac ſimplici ſermone perſpicue reddidere, ſed vti maluere allegoriis et hieroglyphis; quique ipſa ſapientiae principia vocabulis tropicis enuntiarunt; qua ipſa re, cum iisdem ſignis notiones quisque ſubiiceret diuerſas, ex iisque, probabiliter vt ipſi videbatur, deduceret ea, quae vera eſſe ſibi perſuaſum haberet, cum indies implicarentur veteres fraudes nouis, et

 in

*) **Appoſitus ad rem eſt Macrobii Sat. 1, 7. locus:** „*Saturnaliorum originem illam mihi in medium proferre fas eſt; non quae ad arcanam diuinitatis naturam refertur, ſed quae aut fabuloſis admixta diſſeritur aut a phyſicis in vulgus aperitur. Nam occultas et manantes ex veri fonte rationes ne in ipſis quidem ſacris enarrari permittitur; ſed ſi quis illas aſſequitur, continere intra conſcientiam tectas iubetur.*

in alia commenta detorquerentur, contexta eſt in multis rebus ea opinionum, ſomniorum, nugarum anilium tela, vt interdum difficile ſit, ſtamina ſingula, e quibus ea contexta ſit, retexere. Eſt ſane hoc ex iis, in quibus generis humani calamitas vertitur, quod, quae ſimplex rerum ratio hominum animis apponit, ea illos haud facile tenent, contra ſymbolicarum rerum apparatus ſenſibus porcuſſis eos mouet. Fluxit ex eodem fonte alia malorum eluuies, cum ipſum numen per ſymbolorum ambages ea, quae hominibus declarare vellet, proponere ſtatuerent. Quod niſi hac perſuaſione teneri maluiſſent: vix in illa incidiſſent, quibus deorum voluntatem ſignificari crediderunt homines. Vix in vaticiniorum obſcura et perplexa, aut in portentorum, prodigiorum et ominum ludibria deflexiſſent: niſi ea opinione ducti fuiſſent, ipſum numen quae vellet non aliter quam per ſymbolorum inuolucra ſubinnuere. Quid tamen numine magis dignum videri poterat, quam, quae vellet, accommodate ad ſentiendi et intelligendi vim humanam declarare! Quae cum ita ſint, quis in ambiguo poſitum eſſe exiſtimet, an noſtris adhuc aetatibus vlla ſymbolica praecipiendi ratio accommodata ſit? Etſi enim nemo dubitet ſymbolis ad hominum ſenſus animosque impellendos magnam ineſſe vim; deficiunt tamen noſtros homines cetera, quibus inter veteres certi ritus ſymbolici tantam ad animos vim habere poterant: adſunt contra permulta, quae aut ad mera ludibria aut ad paucorum fraudem et dominatum reuocant, quicquid huius generis inuentum habetur: tantum abeſt,

abeſt, vt ad verum videndum acuat oculos obiecta caligo et caecitas. Verſatur ſaltem in lubrico omnis hic conatus homines per veri ignorantiam emendandi, et rectis vnius ſapientis conſiliis inſinuant ſe ſexcentorum fraudes ex aliorum deſipientia ſuis rebus conſulentium. Per omnes aetates graſſata ſunt ea opinionum ludibria, quae, cum ſymbolice et allegorice eſſent redhibita, ſapienti, qui notionem bonam et ſanam, quam ſubiiceret, haberet, non omnino improbari poterant: cum interea illa animos aliorum phantaſmatibus ſuperſtitionum ac ſpectris obiectis turbarent; id quod haud eueniſſet, ſi maluiſſent ſapientes vulgus *pauca plane noſſe*, quam *multa obſcure ac male*. A Coſmogonia et Theogonia, ſymbolice declarata, quanta philoſophiae veteris pars fluxiſſe videri debet! Ad ſeriora etiam tempora in Oriente iſta philoſophandi ratio permanſit; niſi quod, principio malo in diſciplinam inducto, ſuum illa ſibi habitum induerat: qui mox, inprimis inter Alexandrinos, aliisque in terris, adſcitis Pythagoreo-Platonicis placitis, admodum fuit variatus. Nulla forte aut eſſet aut fuiſſet myſtica doctrina, ſi, quae allegorice ac ſymbolice propoſuerant, proprie efferre maluiſſent illi, qui talium ſyſtematum auctores fuere. Ita nec vlla fuiſſet magia, niſi veterum philoſophemata per ſymbola reddita fraudem hominibus feciſſent. Cum enim illa verſetur circa virtutes rerum naturae occultas, aut proprietates ac virtutes numinis, quandoquidem et illae et hae veteri cum philoſophandi tum eloquendi more in perſonas, adeoque in deos ſeu daemonas ac genios, eſſent mutatae, inuentae

 ſunt

ſunt cum indoctorum hominum ſeu fraudes ſeu ſtupores, tum ſagaciorum praeſtigiae, philoſophantium artes theurgicae, ſapientiae arcanae myſteria; ex iisque, infinitis modis permixtis, modo necromantia extitit, modo theurgia; modo magia ſeu Zoroaſtrea, ſeu Cabbaliſtica, ſeu aliis nominibus celebrata. Quum autem omnia haec per ſenſuum et phantaſiae vim in hominum animos illabantur, tanto potentiora ea ſint, neceſſe eſt; adeoque mirum non eſt, ſi per omnes aetates fuere, qui ſimilem arcanam diſciplinam profiterentur, etſi infinitis modis variatam. Eſt vnum ex hoc genere, quod, cum primo adſpectu valde abhorrens et inſolens viſum eſſet, accuratiore a nobis inueſtigatione facta mox ad genus ſuum referri potuit.

Memineramus ſcilicet, Commilitones, quoties in Miltoni lectione peruentum erat ad locum de Satanae profectione ad Erebum, vbi Chaos cum Nocte in throno ſedens ille conſpexerat, teneri nos memorato inter adſtantes cum Orco et Hade *Demogorgone a*), quod quidem nomen antiquitatis fide

a) *Paradiſe loſt* II. 965. — *and by them ſtood*
Orcus and Hades, and the dreaded Name
Of Demogorgon.
Excuſum eſt in recentioribus edd. *Damogorgon.* Deletum vtrumque hemiſtichium: *and the dreaded Name of Demogorgon:* malebat Bentleivs; ſcilicet non lectionem emendans, ſed ipſum poetam eiusque iudicium ac verba: id quod ſub aliud critices genus cadit. Idem Bentleivs Bocatii inuentum arbitrabatur hoc nomen: *Boccace, I ſuppoſe, was the firſt, that invented this ſilly word Demogorgon:* meminerat tamen Spenſero quoque nomen frequentari. Alia ex hoc poeta

ſide niti haud recordabamur. Ad Bocatium auctorem referri illud ſolet; nec tamen ſatis probabile eſſe videbamus, quod ab hoc eodem inuentum et excogitatum nomen illud traditur. Nuper cum in magicis praeſtigiis in nomina daemonum et bonorum et malorum inquireremus, pupugit animum, quod in antiquitate, quam eruditam vocamus, nullum alicuius Genii ſeu Daemonis nomen occurrere recordabamur. Vnde igitur illa, quae vulgo feruntur, ducta putabimus? Scilicet, quod diligentior inueſtigatio facile docuit, ſunt ea mera ludibria, ex Iudaicis plerumque ſuperſtitionibus ducta; vnde harum nugarum origo Cabbaliſtica intelligi poteſt. Coepimus itaque iterum in Demogorgonis origines inquirere; nomen graecum, quodque eruditae antiquitatis colorem habere videtur. Cumque nunc proludendum ſit indicendis per hanc ipſam tabellam ſollennibus noui magiſtratus academici craſtino die a Viro Excellentiſſimo

LVDERO KVLENKAMP

ſuſcipiendi: agite, Commilitones, cum argumentum commune aliquod et *publica materies* commentationi huic ſubſternenda ſit, diſpiciamus paucis

 de

poeta exempla attulit doctus MILTONI commentator Th. NEWTON; idemque ex MILTONI proluſionibus (*Opp. Lat. p. 340.*) locum adiecerat, quo conſtare poteſt, cum iudicio Miltonum hoc nomen Demogorgonis adhibuiſſe: "*apud vetuſtiſſimos itaque mythologiae ſcriptores memoriae datum reperio. Demogorgonem deorum omnium Atauum (quem eundem et Chaos ab antiquis nuncupatum hariolor) inter alios liberos, quos ſuſceperat plurimos, Terram genuiſſe; hac incerto patre Noctem fuiſſe prognatam.*"

de hoc daemone, eiusque auctorem et natales exquiramus. Nugae! dicetis, quorſum enim nouum daemonem explicari, cum eorum numerus iam ſatis magnus per omnem terrarum orbem emerſerit, nuper etiam noua cohors inter certa ſodalitia ad ſtupenda rerum miracula perficienda prodierit! Forte tamen ipſae hae *ducent nos ad ſeria nugae.*

Ad Bocatii auctoritatem vulgo Demogorgonis ſeu Daemogorgonis nomen referri ſolet. Proferenda igitur et paucis comprehendenda ſunt ea, quae is de hoc nomine in *Genealogiae deorum* principio propoſuit: „Veternoſus ille deorum omnium gentilium proauus, vndique ſtipatus nebulis et caligine, mediis in viſceribus terrae habitat; pallore quodam muſcoſo, et neglecta humiditate amictus. — „Huius inſipidae credulitatis cauſſam dicit Theodontivs non a ſtudioſis hominibus habuiſſe principium, ſed a vetuſtiſſimis Arcadum ruſticis„, qui, cum ex terra fontes emitti, fruges naſci, ignes euomi, viderent, Terram omnium rerum parentem crediderant; „qui autem poſt hos ſequuti ſunt, paullo altius ſentientes, non terram ſimpliciter harum rerum dixere auctorem, ſed illi mentem implicitam eſſe diuinam, intellectu et nutu cuius agerentur iſta, *eamque mentem in ſubterraneis habere ſedem arbitrati ſunt* — quam diuinitatem non alterius quam *Demogorgonis* exiſtimabant. — „Hic igitur cum eſſet apud vetuſtiſſimos Arcades in honore praecipuo, rati taciturnitate nominis diuinitatis augeri maieſtatem, ſeu exiſtimantes indecens eſſe, tam ſublime nomen venire in buc-

cas

cas mortalium, vel forte timentes, ne nominatus irritaretur in eos, conſenſu publico vetitum eſt, ne impune nominaretur a quoquam.„ Prouocatur inde ad duo poetarum loca, de quibus nunc videndum eſt. Alter eſt Lucani (lib. VI, 745.) vbi Erichtho ſaga, vt animam in corpus reuocaret, diis inferis minas facit: — *paretis? an ille Compellandus erit, quo nunquam terra vocato Non concuſſa tremit;* (quo vocato ſemper terra mouetur) *qui Gorgona cernit apertam; Verberibusque ſuis trepidam caſtigat Erinnyn; Indeſpecta tenet vobis qui Tartara; cuius Vos eſtis ſuperi; Stygias qui peierat vndas?* Memorat hic poeta numen ceteris diis inferis potentius in Tartaro ſedens; quod in ſacris magicis invocatum deos inferos cogere poſſit. Nihil amplius his verſibus inferri, ſi nihil aliunde intuleris, manifeſtum eſt *b*); et potuit numen illud adumbratum eſſe ex diis illis, quos ſummo robore praeditos in Tartarum detruſos fabulata erat in Coſmogoniis antiquitas, Titanes puta et Cronum, et iam ante Centimanos; (v. Apollodor. pr.) forte Briareon (Heſiod. Θ. 817 ſq.) Aegaeonem (*auguſtam centeni Aegaeonis vmbram* Stat. Theb. IV. 535.) aut Typhoeum. Alter locus eſt Statii IV. Theb. 516. vbi Tireſias ad Vmbram Laii euocandam deos inferos cunctan-

b) Quae ad exornationem adiecta ſunt, ad maiorem numinis potentiam declarandam valere debent: *qui Gorgona cernit apertam*, h. e. Meduſam, nec aut in lapidem mutatur aut, quod ſaltem hic locum habere videtur, metu ex aſpectu et horrore percutitur. Imperat ille Furiis, tenet Tartara, adeoque loca infra Haden ſeu Orcum ſita, vt adeo dii inferi reſpectu ad illum habito ſint ſuperi; tandem Stygem contemnit deorum ſuperorum terrorem, per quem illi iurare ſolent.

cunctantes compellat: *Iam nequeo tolerare moram — Spernite ne, moneo: et nobis ſaeuire facultas. Scimus enim et, dici quicquid noſcique timetis, Et turbare Hecaten; ni te, Thymbraee, vererer, Et, triplicis mundi ſummum quem ſcire nefaſtum. Illum ſed taceo; prohibet tranquilla ſenectus.* Ait Tireſias ſe formulas magicas noſſe, quibus ipſa Hecate cogi poſſit, (quas tamen fratris Apollinis, cuius ipſe munere vaticinatur, reuerentia adhibere recuſat) et ſe noſſe numen potentius, cui triplex regnum deorum, caeleſte, terreſtre et inferum, pareat. Creditum igitur in rebus magicis, deos inferos, Hecaten et Manes, cogi poſſe, et quidem per aliud, idque potentius, numen, ſed quod arcanum eſſet, nec extra ſacra magica proferendum. Coniuncta cum his debuit eſſe alia opinio, cum ipſo more formulas magicas ſeu carmina voce ſubmiſſa recitandi coniuncta, qua numinis iſtius nomen et ipſum eſſe arcanum, nec niſi iis, qui magicas artes tenerent, notum ferebatur; mox, nec effari illud cuiquam licere. Latius inde ſparſa magica ſuperſtitione, acceſſiſſe et inſinuaſſe ſe videntur ſuperſtitiones aliae Orientis, Magicae et Iudaicae, mox et Neoplatonicae, quibus nomen dei non vno modo αῤῥητον et ineffabile habebatur. Nec tamen horum quicquam obuerſatum eſſe videtur ſeu Statio ſeu Lucano. Atqui ab iis Demogorgonem reſpici, et eſſe hoc arcanum illud numen, non ex Bocatio; tantum abeſt, vt is primus ſit auctor et inuentor nominis; verum ex Lutatio Placido, ſeu, quem alii vocant, Placido Lactantio diſcimus ad illum Statii locum: „*dicit deum demogorgona ſummum, cuius*

nomen

„nomen ſcire non licet. Infiniti autem philoſophorum, „Magorum, Perſae etiam, confirmant reuera eſſe c), „praeter hos deos cognitos qui coluntur in templis, alium „principem, et maxime deum, numinum ordinatorem, „de cuius genere ſint ſoli Sol atque Luna: ceteri vero, „qui circumferuntur, aſtra dominantur, quae eius cla-„reſcunt ſpiritu; maximis in hoc auctoribus, Pytha-„gora et Platone et ipſo Tagete, conuenientibus.

Non itaque nunc ſaeculo XIV. illud philoſophema mythicum contineri videmus; ſed altius illud aſſurgere. Confecta res eſſet, ſi, Lutatius ille cuias fuerit et quando vixerit, ſatis recte teneremus. Eum ad ſaeculum VI. ſaltem eſſe referendum ex laudatis ab eo ſcriptoribus collegerunt viri docti; etſi miratione dignum haberi poteſt, tam bonum Grammaticum et interpretem, ſaltem antiquiorum excerpta cum dilectu proponentem, illo tempore naſci potuiſſe.

Antiquiorem auctoritatem Demogorgoni haud facile afferas. Nam locus Hygini, quo ille memoratur,

c) Antiquior lectio apud Micyllum ad Lucan. l. c. occurrit: *infiniti autem philoſophorum magnorum per ſe etiam confirmant.* Ab Omnibono autem haec memorantur: *Multi dicunt, per hunc Demogorgonem animam intelligi mundanam, quae vegetat omnia, quae omnibus naturis propoſita eſt, de cuius ſemine firmamentum, Solem et Lunam et Stellas natas eſſe dicebant. Et hoc ſecundum Seruium. Sed ſecundum Theocleten, philoſophi dicunt, Daemogorgonem eſſe rerum omnium et deorum omnium principem, genitorem Terrae, Erebi et Parcarum; a δαιμων. quod eſt ſapiens, quia intelligentiam maximam rerum omnium habent.* Videtur hic ex alio fonte hauſiſſe; nec, ſi Theodontii nomen in Theoclete lateat, Servii tamen vnde auctoritatem acceperit, conſtat.

ratur, haud dubie eſt interpolatus; et quod ad Chryſippum prouocatur, temere factum arbitrabimur *d*). Interea altera nunc dubitatio ſubnaſcitur, vnde Lutatius ille Demogorgonem acceptum habuerit! Ad quam antequam reſpondeamus, de *Theodontio* videndum eſt, quem Bocatius tanquam proximum fontem, e quo ſua hauſerit, laudare videtur.

Theodontium non hoc modo loco, ſed ſaepe alibi, tanquam auctorem eorum, quae apponat, laudat Bocatius; et ex eo alii. Fruſtra in hominis originem et aetatem exquirendam bonam horam conſumſimus. Tandem diligentiore inueſtigatione facta deprehendimus, falſo inter viros doctos ſaeculi XIV. illum hominem haberi: non hominis ſed *libri nomen* illud fuit aut certae eius particulae, in qua Theodontio, ficto nomini, dicentis partes fuerant datae. Ipſe enim Bocatius alio loco (XV, 6.) vbi

d) Hygin. praef. p. 14. v. Stav. "Ex (*Demogorgone et*) Terra Python, draco diuinus." Haud dubie hoc ex interpolatione. Nam e Terra ſola editum Pythonem tradidit antiquitas; alterum adiectum ex Bocatio de Geneal. deor. I., 7. aut ex ſimili auctore. De Chryſippo locus eſt apud Bocat I, 14. "Erebus, vt Paullus ait (eſt is Paullus Peruſinus, vt paullo poſt videbimus) a Chryſippo traditum, filius fuit Demogorgonis et Terrae." Chryſippus eſſet ſane auctor non improbabilis interpolatae mythologiae, ſi quidem ea, quae de eo memorata ſunt, et ex ſcriptis eius libros περὶ θεῶν memineris. Sed ex diligentiore inueſtigatione conſtare nobis viſum eſt, conflatam eſſe illam Chryſippi auctoritatem ex Cicerone N. D. III, 17. vbi de malis et miſeriis vitae agitur Chryſippo in partes vocato, forte e libris περὶ παθῶν. cf. Tuſc. IV, 5. et 10.

vbi viros ſui ſaeculi (erat illud XIV.) doctos, ſuarum narrationum auctores, interpoſito ſingulorum elogio, commemorat, *Paullum Peruſinum* inſignibus laudibus celebrat, ex eiusque libro multa, „et potiſſime ea quae ſub nomine Theodontii appoſita ſunt„ ſe ſumſiſſe profitetur *e*).

Nondum

e) Adſcribemus locum, emendatius quam in impreſſis. Paullum Peruſinum "qui, et aetate prouectus, et multarum rerum notitia doctus, fuit diu magiſter et cuſtos bibliothecae Roberti, Hieruſalem et Siciliae regis inclyti (regnauit is ab a. 1309-1342); et ſi vsquam curioſiſſimus fuit homo in perquirendis, iuſſu etiam ſui principis, peregrinis vndecunque libris, hiſtoriis et poeticis operibus, iſte fuit: et ob id ſingulari amicitia Barlaae iunctus, quae a Latinis habere non poterat, eo medio innumera hauſit ex Graecis. Hic ingentem ſcripſit librum, quem *collectionum* titulauerat, in quo inter cetera, quae multa erant et ad varia ſpectantia, quicquid de diis gentilium, non ſolum apud Latinos, ſed etiam apud Graecos, inueniri poteſt, adiutorio Barlaae arbitror collegiſſe. Nec dixiſſe verebor ego iuvenculus adhuc, longe antequam tu (regem Robertum alloquitur) in hoc opus animum meum traheres, ex illo multa, auidus potius, quam intelligens ſumſi, et potiſſime ea, quae ſub nomine Theodontii appoſita ſunt: quem librum, maximo huius operis incommodo, Biellae, impudicae coniugis, crimine, eo defuncto, cum pluribus aliis ex libris eiusdem deperditum comperi." Fuit igitur liber Paulli Peruſini, *Collectionum*, iam tum, cum Bocatius iſta ſcribebat prouectus aetate, (Ob. 1375) abolitus crimine vxoris, non Theodontii, ſed Paulli. In illo libro aut partes loquentis Theodontio datas, aut partem operis Theodontii nomine inſcriptam fuiſſe neceſſe eſt, ex quo Bocatius ſe iuuenem multa transtuliſſe fatetur. Poſt illa, quae ſic ſatis liquido conſtare videntur, enoluimus aequales Bocatii, tum eos, qui de viris ſaeculi XIV. claris tradidere; vnum in his Laurentium Mehus in vita Ambroſii Trauerſarii p. CCXCIII. vidimus eo deueniſſe, vt Paullum

Nondum ex hoc ſaltu in lucem emerſimus. Ecce enim alia larua obiicitur. Nam alio loco, vbi Bocatius de Litigio e Chao nato narrat, *de cuius eductione*, inquit, *a Theodontio recitatur fabula: dicit enim* a Pronapide poeta in Protocoſmo *ſcribi, quod ſemel reſidente Demogorgone, vt quieſceret, in Aeternitatis antro, ſenſit in vtero Chaos tumultuari f*). Vnde nunc repente inauditi nominis hunc ſcriptorem enatum eſſe dicemus! Scilicet Pronapidem Athenienſem, poetam lyricum, Homeri magiſtrum, antiquiores ferebant *g*). Inciderat itaque Paullus in *Proto-*

lum nomen Theodontii ſibi induiſſe putaret. Eſt autem Theodontius, aut verius Theodotius, ex Theodoto factum, forma deminutiua, redditumque ſic quod Italis DIODATINO eſſet. BARLAAS ille, ſeu Barlaam, cuius opera Paullus vſus eſſe dicitur, monachus erat Calaber ſaec. XIV. inter eos referendus, qui graecarum litterarum ſemina in Italia iecere; fuitque ille earundem magiſter Petrarchae et Bocatio. V. Mehus l. l. p. 219. 268 ſq. eundem poeticarum fictionum interpretem optimum vocat Aretinus ibid. p. 219. Ex eo tamen ea, quae de Demogorgone tradita ſunt, petita non erant, cum a Latino homine, non a Graeco, profecta ea eſſe, ipſa res arguat, et laudata Lutatii auctoritas iam omnem ſcrupulum exemiſſe videri debeat. Ceterum in Bocatio firmauerat ac perfecerat graecarum litterarum diſciplinam conſuetudo cum LEONTIO, ſeu Leone, quem ſecum Florentiam adduxerat; eo interprete Iliadem legit per tres annos et exempla Homeri Florentiam reduxit; v. Bocat. XV, 7. Add. c. 6. qui locus claſſicus eſt; Repetit ea Guadagnius ad Graeca Pandectarum p. 216. cf. *Mazzuchelli Scrittori d'Italia* To. II. P. III. p. 1325 et 1322.

f) De Geneal. Deor. I, 3. add. IV, 54.

g) Vid. Diod. III, 66. et Weſſ. cum Fabric. B. G. I, 27. De PROTOCOSMO Gyraldus de Poetar. hiſt. Dial. II. p. 89. D. Opp. "PRONOPIDES (ita ſcribitur) *excellenti fuit*

Protocoſmum, librum, qui eius nomen praeferebat, aut in ſcriptorem, qui commentitium Pronapidem laudabat; niſi ipſum talem auctoritatem commentum eſſe ſuſpiceris. Vtrum probabilius habendum ſit, non liquet; ferebat illa aetas fraudes huiusmodi multas ac varias.

Iis, quae ſupra e Lutatio expoſita ſunt, haud pauca commenta adiecerat auctor Theodontii, appoſita illa, et exornata forte, a Bocatio; Erat enim Demogorgoni, miſeri in Terrae tenebris principatus patri, ſocia ſeu coniux, Aeternitas *h*); additum Chaos, tanquam materia, et ipſa aeterna, cui poſſet formam dare. Prognatum agmen IX filiorum et filiarum. Inde Demogorgone et Terra prognatus Erebus *i*). Vt verbo rem abſoluamus: notionem

fuit ingenio, (hoc ex Diodoro ſumtum) *atque mundi principium verſibus complexus eſt, quod* Πρωτοκόσμον *inſcripſit, celebratum et citatum ab auctoribus.*" Viderat itaque Gyraldus, ſaeculi XVI. ſcriptor doctiſſimus, auctores, qui illum librum laudabant.

h) Cuius deſcriptionem praeclaram afferunt e Claudiano de Laud. Stilic. II, 424 ſqq. Idem in Rufin. II, 522 ſqq. bene illuſtrat Chaos in Tartaro ſitum.

i) *Litigium* (Eris) *Pan. Clotho, Lacheſis et Atropos. Polus. Phyton* (ex corruptis voc. Phaethon ſ. Sol, et Python) *Terra*, e qua *Nox* et *Tartarus. Fama* (e Virgilio Aen. IV.) *Tages. Antaeus.* Erebi progenies XXI. *Amor. Gratia. Labor. Inuidentia. Metus. Dolus. Fraus. Pertinacia. Egeſtas. Miſeria. Fames. Querela. Morbus. Senectus. Pallor. Tenebra. Somnus. Mors. Charon. Dies. Aether.* Sequitur inde ſtirps Aetheris, e quo *Iupiter*, et ſic porro. Sunt haec partim ex vulgaribus Theogoniis Heſiodi et al. petita, partim e Cicerone N. D. III, 17. Omnino operae pretium eſt, in ſcriptoribus ſaec.

notionem mali principii, mali daemonis, in mythologiam tranſtulerat, et coſmogoniam in theogoniam mutauerat, ſeu perſonatus ille Pronapides, ſeu ipſe Paullus. Verum notionem ipſam Demogorgonis ad Lutatium redire ſupra vidimus: eo nunc reuocanda eſt diſputatio.

Iam ex verbis eius ſupra adſcriptis manifeſtum fit, hauſtam eſſe Demogorgonis notionem e philoſophia illa barbara Orientis a Magica Perſarum diſciplina deriuata, qualis erat illa proximis inde a C. N. ſaeculis, notionibus omnis generis permixta, Platonicis, Iudaicis et Chriſtianis: Orientalem dicunt philoſophiam, de qua vana eſt in verbis haerens diſputatio, an vlla fuerit; nulla enim fuit, ſi ſingulare aliquod et elaboratum ſyſtema intelligas; at fuit vtique, ſi certa philoſophemata, inprimisque illud de duplici rerum principio, ex Oriente profecta ea voce comprehendas. Eadem in vulgus diſſemi-

ſaec. XIII. attendere ad auctores priſcos, quos manibus triuere: et eſſet ea materies praeclari et ad varia conſilia vtiliſſimi libri. Praeter Ouidium, Ciceronem, Lucanum, Statium, et ſimiles, laudantur a Bocatio inprimis Lactantius, Seruius, al. Albericum adhibuit III, 21. Fulgentium IV, 45. Dictyn. Iſidorum et al. Sed haec diligentius eſſent perſequenda. Ceterum fabulas iſtas, e Theodontio Paulli Peruſini receptas, mature deſeruere viri docti, etiam Natalis Comes, etſi gloriolam captans ex laudandis auctoribus parum vulgo notis; quorum nomina e ſcholiis vet. deſcripſit. Chartarius qui eodem fere tempore de imaginibus ſcripſit (medio ſaec. XVI.) memorat quidem Demogorgonem, monet tamen in nullo ſcriptore ſibi eum occurriſſe. At eſt Burcardus Pylades Brixianus (ſaec. XV exeunte) qui Bocatium expreſſit carmine: *Theogoniae libris V.* ſubiectis Heſiodo in edd. nonnullis.

diſſeminata erant per ſacra Mithriaca. Tradebatur igitur „praeter deos cognitos, qui coluntur in templis, alius princeps (et) maxime deus, ceterorum numinum ordinator, de cuius genere ſunt ſoli Sol atque Luna; ceteri vero, qui circumferuntur, aſtra nominantur, quae eius clareſcunt ſpiritu.„ Illud quidem diſerte a Lutatio non edicitur, fuiſſe illum Demogorgonem principium malum; videtur tamen eo ducere opinionis iſtius, qua malum principium adſcitum eſt, ſumma celebritas, quae per Orientem regnauit *k*).

k) At enim confuſionem varii geueris et origiuis diuerſae notionum aguoſcas iu ſeqq. Lutatii verbis: uam primum ſubiicit: "*maximis in hoc* (de vuo deo priucipe et ceterorum numiuum ordiuatore) *auctoribus*, *Pythagora et Platone et ipſo Tagete*, *conſentientibus*." Tum vero ille alia de ſuo adiicit, quae Chriſtianum hominem arguunt: *ſed dire*, iuquit, *ſentiunt*, *qui eum intereſſe nefandis artibus actibusque magicis arbitrantur.* — *Sed hoc dei vocabulum a nullo hominum ſciri poteſt*; magos tameu, cum virtutes dei per uaturae poteſtates deſignareut, pluribus uominibus deum appellaſſe, h. in plura uumiua dei nomen distraxiſſe. Hic ſenſus ineſſe videtur iis, quae ſubiiciuntur, ſed admodum corrupta: *ſed cum magi vellent virtutis eius*, *vt putabant ſeſe comprehendere ſingulas appellationes*, *quas per naturarum poteſtates abuſiue modo deſignarunt*, *et quaſi plurimorum numinum nobilitate deum appellare conati ſunt*, *quaſi ab effectu ductis rei cuiusque vocabulis. Sicut Orpheus fecit*, *et Moyſes ſummi dei antiſtes*, *et Eſaias et his ſimiles.* Nouiſſima an aliuude inſerta ſint, haud facile dixeris. Sed ſuperiorum verborum correctionem tentauit Barthius ad Theb. IV. 514. vt tamen ſententiae parum conſuluiſſe videretur. Forte ſic couſtituenda lectio: *ſed cum magi vellent virtutes eius*, *vt putabant*, *comprehendere ſingulas appellationes*, *quas per naturae rerum poteſtates abuſiuo modo deſignarunt: quaſi plurimorum numinum nobilitate deum appellari conati*

Enim vero reſtat difficultas *nominis Demogorgonis*, vnde illud ductum, a quo inuentum ſit. Ad rationem quidem grammaticam fatendum eſt illud parum ſcite formatum eſſe; multo magis ſi a *daemone* ductum creditur. Erit ſaltem a terror (*δεῖμα* vel *δεῖμος*) petendum; vt ſit adeo Δειμογόργων;

nati ſunt. Ceterum ſuperſtitiones Mithriacas arguunt illa quoque quae in eadem Lutatii nota antecedunt: "*Et triplicis mundi. Iuxta picturam illam veterem, in qua haec tormenta deſcripta ſunt et adſcenſio ad deum.*" Notio ipſa, *ανοδος*, occurrebat in Platonica diſciplina, ex Heraclito traducta in eam, mox et in Mithriaca recepta, vt vel ex Porphyrio de A. N. conſtat. Et paullo ante: "*tetigit et philoſophice partem ſacrorum iuxta picturam, quam in inferiore ad notationem commemorat.*" Leg. *adnotatione*. Etſi totum ſcholium ab alia manu in margine adſcriptum, nec Lutatii eſſe putamus. Imbutum autem hominem opinionibus his ſeu Mithriacis ſeu Magicis fuiſſe, aliunde conſtat, vt ad Theb. I, extr. Ad lib. VI, 364 autem, vbi de anima mundi e Platonis placitis meminerat: *ſed huius*, inquit, *tractatus ſecretae philoſophiae magna laus Perſis debetur: vel Perſes ſcilicet ille magnus* (an magus) *praeceptor huius philoſophiae:* niſi haec vltima adſuta e margine. — *Sed de his rebus prout ingenio meo connectere potui, ex libris ineffabilis doctrinae Perſei praeceptoris ſeorſum libellum compoſui.* Narrat etiam de thuris ſignis libros Tireſiae ad IV, 468.

l) In etymologia vocis *Demogorgonis* dici vix poteſt, quam indocte verſentur Bocatius et alii. Ex eius et Omniboni ſententia *Daemogorgon* ſcribendum erit; nam a *δαίμων* ductum eſſe putant; ita vero *δαιμονογόργων* ſcribendum fuiſſet: etſi ne huius quidem formae aliud exemplum meminimus. Debebat eſſe Γοργοδαίμων, *Gorgoni ſimilis daemon*, ſeu *Gorgonis more terribilis;* vt in Orphicis *γοργοφόνος*, eadem analogia *σοροδαίμων*, ex capulo daemon: de ſene capulari. Sed ſi vere illa vox a graeco homine formata fuit: debuit *δειμογόργων* eſſe *a metu* dictum; (*δεῖμα* vel *δεῖμος*). etſi vel ſic illa difficultas

γων; etſi ne ſic quidem res ſatis bene procedit. *l*) Nominis tamen huius, etſi male inuenti, ortum tanquam manu tenere videmur: debetur enim haud dubie Lucani verbis ſupra laudatis, male intellectis *qui Gorgona cernit apertam.* Verum ſuſpicamur vel ſic nomini cauſſam ſubeſſe aliam ex indocta vitioſaque ſcriptura profectam. *Demiurgus* erat, qui in Demogorgonem deprauatus eſt.

Scilicet nomen hoc *Demiurgi*, (τοῦ Δημιούργου) bonae notae vocabulum, mox, varia acceptione corruptum, tandem malae notae moneta factum eſt, vt vix probus vir eo numo vti auſit. Apud Platonem, et ipſum Timaeum, quod ſatis conſtat, *Demiurgus* erat ὁ Νοῦς *m*), philoſophema philoſopho hoc haud indignum et in quo cum voluptate mens ſanctior ac viuidior verſari poteſt. At Platonici mox infinita ſuper hoc nomine argutati, modo ſecundum a principe deo, (τὸν λόγον) modo tertium fecere *n*). Iam per Orientem ea notio

 obtinue-

cultas reſtat, quod, cum tantum ἡ Γοργὼ vel Γοργὼν dicta ſit, etiam ἡ Δειμογόργων formata eſſe debuerat. Hactenus igitur multo magis probabile ſit, vocem Demiurgi in Lactantii codd. corruptam nouum monſtrum peperiſſe. Etiam e Micylli ad Lucanum nota apparet, fuiſſe iam olim, qui Demogorgonis nomen, vt fictitium ac vanum, reiicerent, et pro eo Demiurgi vocem reſtituendum contenderent. Bocatius *Gorgona terram* interpretatur; refert autem verſum ad Demogorgonem, quod in viſceribus habitet terrae. Sic et Omnibonus ad e. l.

m) *Rerum opifex et creator*, idem ποιητης και πατηρ του παντος. Vid. Plato in Timaeo p. 28 ſq. et ipſe Timaeus ſtatim pr.

n) Nota haec. L. cl. Plotin. Ennead. V. Lib. I. c 8. p 489. Numen ap. Euſeb. Pr. Ev. XI, 18. et 22. *aſſiduus mundi ſui*

obtinuerat, et adhuc obtinet, etiam per Indiam, non a deo ſummo, ſed ab alio, cui res mandata erat, ſeu deo ſeu genio, mundum eſſe creatum. Igitur tota Gnoſticorum cohors, iam inde a Cerintho, a deo emanaſſe virtutes credidit, a quibus conditus ſit mundus: Virtutes in perſonas mutatae modo Aeones, modo aliis vocabulis deſignari coepere. Valentinus, quippe Platonicae ſapientiae ſectator (vt ap. Tertullian. de praeſcript. c. 30.) ſubtiliore argutatione poſt XXXIV. Aeonas *Demiurgum* induxit, a deo ſummo, inuiſibili, ineffabili, non nato, diuerſum: dictum tamen et ipſum *deum*, *patrem* ac *regem o*). Subſtituerunt quoque alii *plures Creatores* eosdemque Regnatores mundi, Angelos vulgo dictos: vt Saturninus VII. at Aeonas VIII. Baſilides; indefinito numero Marcion. Succeſſere inde alii, qui eum malum deum eſſe maluere, cum mundum malis omnis generis redundantem ille creaſſet; alii ſaltem e mala materia mundum creatum contendebant *p*). Proceſſit inde Manichaeorum diſciplina: et inſedit inſidebitque ea philoſophia omni tempore multorum mentibus: haud enim adeo facile habent, vbi ſubſiſtant, ſi ſemel eo proceſſerint, vt in creando vel corrumpendo mundo daemo-

ſui opifex ap. Apulej. in Apolog. idem *βασιλευς* et al. Adoptarunt eadem PP. vt Euſeb. Pr. Ev. XI, 14. ſq.

o) Nolumus in his auctoritates accumulare; adeundus poſt Moshem. Inſtit. eccleſ. vel b. Walchius. Irenaeus, qui ſi philoſophicarum opinionum peritior fuiſſet, haereſium melior interpres factus eſſet, inpr. lib. I. adv. Haereſ. 5. § 1. 2. et Maſſuet diſſ. in Irenaeum ſ. 5 ſqq. 65. ſqq.

p) Diſputat adv. hoc Gnoſticorum genus Plotin. Enn. II. lib. 9.

daemones inducant. Demiurgum etiam philoſophi myſtici e Chriſtianis, qui placita Orientis aut Iudaica adſciuiſſent, amplexi ſunt, vt in Poemandro factum. Tandem Demiurgus in teletis non modo diſciplina ac doctrina, verum dramatica etiam pompa fuit exhibitus. Aiunt quidem in ipſis Eleuſiniis hierophantam ſuſtinuiſſe Demiurgi perſonam; qui tamen hoc tradiderit Euſebio antiquior, (Praep. Ev. III, 12.) non nouimus: at in Mithriacis Demiurgi notio haud dubie frequentata. Declaratus ille per ipſum Mithram *q*).

Cum itaque Demiurgus in ſacris Mithriacis, adeoque in philoſophematibus Perſarum, et in Magica diſciplina iſtorum temporum, viguerit; non improbabile videri poteſt, Lutatium illum, aut ipſum graece parum doctum, nomen *Demiurgi* corrupiſſe, aut alium praeeuntem in ea re eſſe ſequutum, vt ex eo *Demogorgonem* faceret; reſtat tertia ratio, vt eius codices in hac voce corrupti fuerint. Quicquid eſt, attemperari aliquando coepit nomen illud Genio malo, et quidem principi; locum ſeu errori ſeu commento fecit, vt diximus, inprimis verſus Lucani male acceptus: *qui Gorgona cernit apertam.* Alter autem locus Statii, inque eo: *triplicis mundi ſummus, quem ſcire nefaſtum*, facile ad Magorum

q) Porphyr. de A. N. 24. *ὡς και ὁ ταυρος, δημιουργος ων ὁ Μιϑρας και γενεσεως δεσποτης.* et c. 6. Perſae (h. e Mithriaci) initiant myſten in antro: cum Zoroaſtres antrum conſecraſſet *εις τιμην του παντων ποιητου και πατρος Μιϑρου, εικονα φεροντος αυτου του σπηλαιου του κοσμου ὀν ὁ Μιϑρας εδημιουργησε.*

rum et Cabbaliſtarum ſomnia de nomine dei ineffabili ducere potuit.

Inter haec, ſi huiusmodi opinionum, quae magicis artibus fidem fecere, tantam per Orientem et Occidentem, idque per omnium temporum decurſum, conſenſum et conſpirationem videas; ſi tot Callioſtros per diuerſas aetates iisdem veſtigiis inſiſtentes cernas: illa conſideratio mentem tenere poteſt, quanta etiam in fraudibus inueniendis ingenii humani anguſtia ſit. Vera, id quod omnes fatemur, pauca numero ſunt, quae recte teneamus; verum etiam ea, quae falſa et opinata ſunt, vtut multiplicia et innumera videantur, ſi tamen rite aeſtimes, eaque ad ſua genera, cauſſas et origines, referas, et ipſa numero eſſe perpauca et alia ex aliis repetita, recocta, deflexa, videas, nec ineſſe tantam, quam vulgo iactari audias, ne errorum quidem diuerſitatem. Nam ſunt primo pauca rerum capita, circa quae vulgus philoſophantium occupatum eſſe ſolet; et, ſi animum attenderis, ea ipſa ad paucas enuntiationes primarias redigi intelligas. Inprimis autem, quicquid inter homines, quamdiu fuerunt, ſuper rebus ſupernaturalibus et de natura noſtra vltra fines ei conſtitutas perficienda, ſiue in philoſophia, ſiue in magia, ſiue in teletis, myſteriis, ſodalitiis, dictum actumque eſt, in ſumma rerum ſimilitudine, vbique ad eadem opinionum ludibria redit; niſi quod modo pinguius, modo ſubtilius iudicium deprehendas. Tenet tamen ſcena haec, ſi qua alia, ſpectantis oculos, ſi eorum recenſum facias, quae inde ab arcanis per mythos inductis

ductis ritibus, ſacerdotum contuberniis, hierophantarum diſciplinis, philoſophorum, initia verius quam ſcholas habentium, ſacrariis, per omnem aetatum decurſum tradita fuere; ſique acceſſiones, quas illa per Magiam, Theurgiam, Cabbalam, Alchemiam, Fratrum roſeae crucis, reuelationum et id genus ſomnia alia, habuere, animo reputes. Nec anguſtos fines ingenii humani in rerum modo materiis deprehendas, verum in ipſis rerum phantaſmatibus, ſiue in verba ſiue in in ritus deductis. Ita myſtica doctrina Chriſtianorum in Indorum myſtica diſciplina manibus tenetur. A theogonia et coſmogonia inde perſequi licet certas opinionum claſſes, earumque modo ex Oriente in Occidentem progreſſum, modo inde in patriam mutato habitu reditum. Mira interdum res, ſi videas philoſophemata, quorum cauſſae in Aſia erant, ad Septentrionem vsque a populis diuerſi caeli ſolique, ritus et vitae, recepta, et aliis domeſticis opinionibus implicita, qua commixtione noua facies, nouus habitus, procuderetur. Vt ex philoſophia in religiones, ita in has ex illis, innumera immigrarunt: et in vtramque per omnes aetates immanarunt nonnulla e populari ſuperſtitione. Quo fit, vt in multis recentiorum ſaeculorum opinionibus ſeu Orientalis, quam vocant philoſophiae, ſeu Platonicae, adhuc veſtigia haud obſcura agnoſcere interdum liceat.

Verum, ſi noui anni et ſtudiorum noſtrorum per hunc annum auſpicia hac ipſa ſcriptione facta putanda ſunt: ſatis nunc delibatum ex iis eſſe

videri debet. Supereſt, Ciues, vt ſollennia noſtra in craſtinum diem indicamus: quibus, Princeps Sereniſſime, Comites Illuſtriſſimi, Iuuentus florentiſſima, natalium ingeniorum ſtudiorum laude conſpicua, vt intereſſe frequentes velitis, nos in votis habere, quidni profiteri liceat?

P. P. in Georgia Auguſta Kal. Ian. cIↃIↃccLXXXVI.

XVIII.

XVIII.

ACADEMIAE GEORGIAE AVGVSTAE
PRORECTOR
LVDERVS KVLENKAMP
CVM SENATV
CIVIVM SVORVM
QVI
IN CERTAMINE LITTERARIO
IN A. D. IV JVNII
REGIS NOSTRI AVGVSTISSIMI
NATALEM
CONSTITVTA EIVS MVNIFICENTIA
PRAEMIA
ORDINVM ACADEMICORVM IVDICIO ABSTVLERVNT
NOMINA
SIMVLQVE
COMMENTATIONVM
QVAE
AD CERTAMEN IN A. D. JVNII IV. ANNI FVTVRI LXXXVII. HABENDVM
ADMITTI VOLENT
ARGVMENTA
AB ACADEMIAE NOSTRAE ORDINIBVS
PROPOSITA
PROMVLGAT
M. JVNIO CIƆ IƆ CCLXXXVI.

Natalem Regis noſtri auguſtiſſimi, Ciues, quem antea votis precibusque tacitis proſequi ſolebamus, redeuntem nunc ſollenni panegyri celebrari vidiſtis,

vidiſtis, huius ipſius Regis Indulgentiſſimi benefi-
cio, quandoquidem praemiis ad ſtudia veſtra exci-
tanda conſtitutis diem hunc tanto ſollenniorem vo-
bis eſſe voluit. Inſtituti quidem ratio vt iterum
vobis declaretur, neceſſe non eſt: ſatis enim ex
iis, quae ſuperiore anno expoſita ſunt, conſtare
poteſt, Sapientiſſimi Regis conſilium eſſe hoc, vt
inter vos ii, qui ſtudiorum ſuorum curſum iam ad
vltima fere curricula exegerunt, habeant, quo in-
citentur ad vires experiundas ſuas, ad educenda in
aciem ſtudia, ad transferenda in ſcriptum audita,
ſed commentando et meditando ſubacta et perpo-
lita, et ad caput aliquod diſciplinae, quam audi-
tione aſſidua imbiberant, ſuo Marte tractandum et
diſertius enarrandum. Quaeſtionem itaque propo-
ſitam ſi dicimus, argumentum dicimus e diſciplina
aliqua petitum, quod vniuscuiusque, qui quan-
tum debuit in litteris profecit, opera docta et in-
genua pertractari et expediri poteſt; nec vero pro-
ponuntur quaeſtiones difficiles et impeditae de re
aliqua inter viros doctos parum explorata: cuius-
modi quaeſtiones eſſe ſolent Societatum litteraria-
rum, a quibus id ſpectatur et agitur, vt noua pro-
ferantur, obſcura illuſtrentur, aut difficilia exſol-
vantur. Quod quaerimus, caput eſt aliquod doctri-
nae, e media diſciplina petitum, ita tamen com-
paratum, vt in eo pertractando et exponendo vi-
rium ingenii ſui profectuumque ſpecimen aliquis in-
genue natus et eruditus edere poſſit. Non adeo
in certamen prouocamus niſi eos, qui diſciplina-
rum rudimenta dudum depoſuere, quique doctri-
nae copiis ſic ſatis iam inſtructi ſunt, vt, quid ipſi
ingenio

ingenio doctrinaue valeant, experiri poſſint; quid? quod, quemadmodum his, qui iam profecere aliquantum in ſtudiis ſuis, auctores ſumus, vt et ipſi aliquid audeant, dehortando contra ac diſſuadendo auocare ſolemus et tantum non deterrere eos, quorum ſtudia nondum ita expolita ſunt, vt ex vmbra illi in campum prodire aut pugna confligere poſſint. Verum etiam illos, qui bene inſtructi ad certamen ſe accingunt, nolumus quaeſtioni tractandae ita incumbere, vt alias ſtudiorum ſuorum partes negligant aut a curſu academico perficiendo auocari ſe patiantur.

Monita haec a nobis, Ciues, et diligenter expoſita fuere iam ſub ipſam inſtituti certaminis huius indictionem, vt iam tum putaremus ſatis eſſe occurſum aut reprehenſioni calumnioſae, qua totum hoc inſtitutum eleuari poſſet, aut prauo nonnullorum inter vos iudicio, qui nec ſatis parati et inſtructi, nec ceteris ſtudiis bene attemperatis, certamini ſe forte committerent. Quod ſi tamen ab vno et altero nimia fiducia vel imprudentia eſſet peccatum: num, quod vnius vel alterius vitio et culpa commiſſum eſt, ipſam rem attingit, eiusque ſalubritatem ac praeſtantiam tollere videri debet? Quid tandem eſt in rerum natura praeſtantiſſimum per ſe et vtiliſſimum, quod non prauus inſipientium et imprudentium vſus corrumpere et in noxam ſuam vertere poſſit? Quin agamus id, quod bonum virum omni in re facere par eſt: elaboremus pro ſe quisque, vt prauis rerum ſtudiis prouida cura occurramus; conſilio monitisque idoneis inſtruamus

eos

eos quos errore abripi videmus; rectam rerum rationem, prudentia, auctoritate, opera ac ſtudio, firmemus ac ſtabiliamus. Non adeo magno acumine opus eſt ad intelligendum, quid in quaque re ſeu ſuo ſeu aliorum vitio haud ſatis firmum ac validum ſit; verum prouidere, ne ſumma rerum labefactata in hanc partem inclinet et ruinam inde trahat, curare, vt bonorum conſiliorum fructus non modo non intereant, verum etiam ampliores ſint et ſalubriores, ea demum ſapientia eſt. Multo grauius et perniciofius academias inſedit malum illud, cui regia magnificentia occurrere voluit: torpor ingeniorum et ignauia, cum intra audiendi deſidiam continet ſe iuuentus, nec vires ſuas ipſa acuit nec vitae ac foro diſcit. Haec eſt vera ſtudiorum peſtis, a qua in omnem rempublicam mala grauiſſima fluxere, quaeque ipſa litterarum ſtudia in contemtum iuxta et neglectum adduxere. Ita natura humana comparata eſt, vt ſine virium ſeu corporis ſeu animi intentione conſequi poſſimus nihil; et omnis emendatioris inſtitutionis auctores id egerunt, vt ad incitandum ſtudium auxilia ac praeſidia idonea circumſpicerent. Certaminum quanta ad veternum animorum abſtergendum vis eſſet, vidit Graecia, quae multa alia bene vidit. In rudioribus ſaeculis corporum, mox ingeniorum certamina propoſuit: hisque effeciſſe ſibi viſa eſt, vt ingenue in Graecia natum vel muto adſpectu ab omni barbaro, etiam regia ſtirpe nato, facile dignoſceres; ſin vterque verba facerent, humanitatis cultum in altero facile agnoſceres. Athleticis ſtudiis neglectis ingeniorum ſaltem certamina cur non amplectemur, efficiemusque,

que,

que, vt ingenia noſtris curis elaborata et expolita ita emineant, vt Georgiae Auguſtae alumnum facile agnoſcas?

His itaque conſtitutis, agite, Ciues, accipite nunc aut recognoſcite nobiscum ipſius certaminis exitum, et ſententias iudicum, iam antea in templo academico e cathedra pronuntiatas, praeconio hoc altero promulgatas cognoſcite.

Propoſita erat ab *Ordine Theologorum* quaeſtio:

Num, et quatenus, vere affirmari queat: conſtante numinis prouidentia id effici, vt genus humanum, vniuerſim ſpectatum, continua progreſſione ad meliorem conditionem ſenſim aſſurgat.

Primum quidem *res ipſa* ex omni hiſtoria, obſeruationibus item recentioribus, accurate ſic euinci debebat, vt per quamdam quaſi inductionem patefieret, culturam litterarum artiumque, religionis porro atque virtutis, adeoque felicitatem, cum publicam tum priuatam, extenſiue et intenſiue, maiora ſenſim incrementa cepiſſe. *Deinde* et *ſubſidia opportuna*, ſeu *media per quae*, et *modus*, quo accommodatiſſime haec deus effecerit, declaranda erant; ita vt inprimis inquireretur, quae et quanta ſint *religionis* vere *chriſtianae* de hac felicitate communi merita. *Denique* luculenter docendum erat, omnino pertinere hanc quaeſtionem recte expoſitam ad *iuſtam* de prouidentia diuina *notionem* animis informandam.

Duo qui in arenam deſcenderunt, cum antiquioribus tum recentioribus litteris probe inſtructi,

hactenus

hactenus laudem communem abſtulere, quod rerum exemplorumque, quae pro argumentis erant, dilectu et diſpoſitione iudicium ſuum Ordini approbauerant, eratque omnino ambigua ac difficilis iudicii victoria. Alter tamen, cuius libellus dicto inſignitus erat:

Glorioſum eſt etiam cecidiſſe in praelio,

cum luculenter docuiſſet, quantum Graecorum litterae publicam priuatamque felicitatem adiuuerint auxerintque, non aeque diſertus fuit in docendo, a quibus initiis iſta litterarum lux orta per quas vias et opportunitates, easdemque haud fortuitas, ſenſim ad alias gentes manauerit; hoc idem factu opus erat renaſcentibus ſaeculo xv. antiquis litteris, vt doceretur, quosnam effectus ea res habuerit ad ingenia cum caeterorum Europae populorum, tum Germanorum, excitanda animosque virtute incendendos, vt barbariem depellerent, et religionis repurgatae litterarumque fauſtum connubium iungerent. Alter vero, qui dicto Paullino ſe inſignierat:

Παντες μεν τρεχουσιν, εἱς δε λαμβανει το βραβειον,

luculenta rerum expoſitione ſummatim facta, a praeſenti temporum laeta facie ad primas origines retro procedendo, cauſſarum explicationem non neglexit, et viciſſitudines rerum, opportunitates, euentusque, qui vulgo fortuiti habentur, ſapienter ab vniuerſitatis rerum moderatore deo ad certa conſilia attemperatos et nexu admirabili diſpoſitos ante oculos poſuit. Huic itaque alteri, quia acumine in cauſſis perſpiciendis et eruendis, tum in rebus exponendis ſubtilitate excellere viſus eſt, βραβειον adiudicatum; reſignataque ſchedula lectum eſt nomen

Joannes Henricvs Heinrichs

Hannoue-

Hannoueranus, Seminarii philologici ſodalis.

Ab *Ordine Iureconſultorum* propoſita erat quaeſtio: Quodnam ſit fundamentum ſucceſſionis Germanicae, tam allodialis quam feudalis? in quonam conſiſtat potiſſimum ratio differentiae inter principia iſtius ſucceſſionis Germanicae et Romanae, ſpeciatim Iuſtinianeae?

Quatuor redditae ſunt commentationes praeſcriptis dictis inſignitae:

1. *Apis Matinae more modoque.*
2. *Conamur tenues grandia.*
3. *Audentes fortuna iuuat.*
4. *At ſocii multo gemitu lacrimisque Impoſitum ſcuto referunt Pallanta frequentes.*

Ordinis quidem expectationi votisque nulla earum ita ſatisfeciſſe viſa eſt, vt nihil eſſet quod deſiderari poſſet. Cum tamen diffitendum non eſſet, eſſe in ipſa quaeſtione nonnullas difficultates: iudicauit Ordo Conſultiſſimus, aequius ſibi ac mitius nunc in ſententia ferenda eſſe verſandum, probandumque adeo et laudandum conatum, qui ingenii doctrinaeque ſigna haud obſcura prae ſe ferret. Cum itaque illa Commentatio, cui inſcripta erant verba:

Apis Matinae more modoque:

inter ceteras emineret cum rerum expoſitione tum oratione, Ordo Conſultiſſimus huic ipſi primum locum ac praemium Regium detulit. Nec tamen ille nihil tribuere videri voluit induſtriae et labori, quem in libellum ſuum exarandum impenderat auctor commentationis altero loco commemoratae praefixo ſymbolo: *Conamur tenues grandia.* Ei itaque *alterum* locum a priore aſſignauit, ita vt ad

 princi-

principem laude et merito acceſſiſſe videri debeat. Scheda aperta victricis Commentationis auctor innotuit:

Fridericus Boutterweck, *Goſlarienſis;* ſecundum locum obtinuit idem, qui iam ſuperiore anno proxime a victore abfuiſſe viſus erat, Joachimus Schwarzkope, *Hannoueranus.*

A *Medicorum Ordine* indicta erat quaeſtio:

In irritabilitate animali, a qua niſi omnis, ſaltem maxima ſane, pars principii in corpore noſtro actuoſi pendet, cum varia ſuperſint, quae pleniorem poſcunt eruditorum expoſitionem: deſiderata eſt ſolida, obſeruationibus et experimentis ſuperſtructa, reſponſio ad varias quaeſtiones irritabilitatem animalem ſpectantes: 1. in quanam elementorum corporis animalis parte haeret vis irritabilis? 2. qui ſunt veri certique fines inter *Tonum* Stahlii et *Irritabilitatem* Halleri? 3. quibus adminiculis, ſiue a climate, aëre et vitae genere pendentibus, ſiue a cibo potuque ſiue a medicamento deſumtis, effici poteſt, vt, ſi torpida languet vel plane deficit, excitetur et augeatur? vel ſi nimis efficax ſit, temperetur et coerceatur? 4. quale inuicem obſeruatur commercium irritabilitatem inter et neruorum ſyſtema, in doctrina affectuum animi, temperamentorum, et in genere principii actuoſi corporis animalis, vllo cum fructu adhibendum?

Qui iam ab initio mentes inceſſerat metus, ne quaeſtionis ſubtilitas et difficultas, ipſeque rerum compre-

comprehenſarum, et varia multiplicique lectione, experimentis et obſeruationibus expediendarum, ambitus, animos deterreret potius quam alliceret, minui tamen videbatur cogitatione numeri centenarii eorum, qui medicis ſtudiis in hac academia noſtra nomen ſuum profeſſi ſunt; non enim defore inter hos ingenia, quae ad altiora et doctiora enitantur, quaeque adeo laetatura ſint, virium oſtentandarum opportunitatem ſibi oblatam. Fefellit tamen haec ipſa opinio; nec niſi vna ſcriptio reddita eſt, inſcripta lemmate:

Qui nunquam male, nunquam bene.

Recte vero auctor ipſe de ſe ita iudicauit, vt nunc virium ſuarum periculum qualecunque feciſſe eoque ipſo viam ſibi paraſſe videri velit ac proluſiſſe ad praemium alio anno ferendum.

Ab *Ordine Philoſophorum* propoſita erat quaeſtio:

Cum veteres, ſideribus ad horizontem conſpicuis aut euaneſcentibus, (*ortus et occaſus poeticos* vocamus) anni tempora diſtinxerint: iis, qui ob praemium Regium Ordinis philoſophici iudicio permiſſum certare vellent, id agendum erat, vt *colligerent* praecipua, quae eam ad rem pertinent, ſcriptorum claſſicorum loca; vt quid doceant, *explicarent;* quando et vbi vera fuerint haec praecepta, ex aequinoctiorum praeceſſione et horizontum diuerſitate *oſtenderent; adderent* calculorum, quibus id oſtenditur, rationem; et calculos ipſos, nonnullis ſaltem maioris momenti, exemplis *illuſtrarent.*

 Prodiere

Prodiere in certamen duumviri vigore ingenii athletico et doctrinae apparatu bene inſtructi: quorum alterius commentatio inſcripta verſibus Ovidianis:

Felices animas, quibus haec cognoſcere primis Inque domos ſuperas ſcandere cura fuit;

alterius ſcriptio verſu Virgiliano inſignita:

Multa dies variusque labor mutabilis aeui Retulit in melius.

Habebat vtraque ſuas laudes, ſuas reprehenſiones. Poſterior maiorem litterarum graecarum latinarumque copiam interpretandique facultatem, prior mathematici acuminis variaeque doctrinae documenta praeclara prodere iudicibus eſt viſa: etſi itaque in ea deſiderata eſt ſubtilior illa elegantia, qua mathematicae et aſtronomicae rationes ad loca veterum declaranda transferendae erant, doctrinae tamen mathematicae maiorem apparatum et copiam praemio ſuo ornare decreuit ampliſſimus ordo. Itaque ſcheda, cui inſcriptum erat *Felices animas*, reſignata, victoris nomen recitatum eſt

Joannes Fridericvs Pfaff
Stuttgartenſis, Philoſ. Stud.

Alteri commentationi proximus a principe illa locus eſt aſſignatus: eiusque auctorem ſe poſtea profeſſus eſt probitatis et modeſtiae eximiae laude conſpicuus iuuenis Jo. Conradvs Schavbach, Meiningenſis.

Perſolutum eſt iis, quorum ſuperior ſcriptio iudicata erat, praemium cuique ſuum a Decanis Ordinum numus aureus XXV aureorum ducatorum pondo: de quo nunc quaedam a nobis interponenda ſunt. Regia enim munificentia non magis

quam

quam ingenioſa elegantia praemium hoc commendat: numus eſt affabre factus, nec minus ſubtili diligentia et arte, qua figurae inciſae ac circumſcriptae ſunt, quam inuenti ſimplicitate et dignitate conſpicuus. Altera enim parte Caput Regis laureatum, ſubſcripto titulo: GEORGIVS III. MDCCLXXXV. Altera Genius alatus, innixus clipeo arae ſeu baſi impoſito. In clipeo verba: INGENIO ET STVDIO. In arae fronte Georgii II., Conditoris huius academiae noſtrae, effigies cernitur: quo quidem memoriae Aui recolendae ſtudio pietatis ſuae monumentum conſecrauit praeclarum Nepos Auguſtiſſimus. Inferiore ſegmento inſcripta ſunt verba: GEORGIA AVGVSTA ADIVDICANTE.

Certamine peracto et praemiis diſtributis progreſſus factus eſt ad nouas quaeſtiones certamini in annum proximum ineundo pronuntiandas.

Ab ORDINE THEOLOGORVM quaeſtio conſtituta eſt

Quaenam vera fuit et certa eorum, qui medio ſecundo atque ineunte tertio ſeculo praecipue floruerunt, Patrum, maxime vero Iuſtini Martyris, Athenagorae, Tatiani, Theophili Antiocheni, Clementis Alexandrini, Tertulliani denique, de ratione ſiue relatione Filii ſeu Verbi cum Patre ſententia? Id vero ita oſtendatur, vt,

1. *Quid ſenſerint iſti Patres, ex ipſis eorum ſcriptis proferatur, atque iſtos etiam vere ita ſenſiſſe, iuſtis quidem argumentis ex vſu linguae, ex nexu locorum, ex reliqua opinionum, quas alebant, hiſtoria euinca-*

euincatur; nec tamen ideo lis vlli eruditorum moueatur, quibus aliter forte ſenſiſſe illi viſi ſunt. Tum vero,

2. Sententiis iſtis inter ſe inuicem collatis, quid commune omnibus quidue proprium cuique ſit, vel videatur proprium, accurate examinetur, cauſſaeque diſſenſus, ſi quis intereſt, et ſi quae afferri poſſunt, afferantur; quo facto nihilominus prima omnium ex vno fonte deducta origo demonſtrari adhuc facile poterit. Denique

3. Illae etiam cauſae, quantum fieri poteſt, perſpicue proponantur, quibus inducti Patres huius aeui ſententiam iſtam non quidem fidei ac doctrinae eccleſiaſticae, at ſuae tamen Theologiae inferebant; adeoque inprimis explicetur, quid praeſtare vſus eius in informanda doctrina de Trinitate et poterat, et poſſe ex illorum iudicio videbatur,

Ab ORDINE IVRECONSVLTORVM

Emigrationem ciuium prohibere vel circumſcribere, an, et quatenus, fas ſit?

Ab ORDINE MEDICORVM

An, vti oſſium in caſu fracturae complicatae, cariei etc. ita etiam partium mollium in caſu vulneris, perditam ſubſtantiam natura humana reſtituit? An itaque vulnera noua carne replet? Si affirmatur, quaerimus: an caro illa alia ex membranis, alia ex oſſibus, alia ex muſculis, alia ex tendinibus naſcatur? An itaque naturam partis habeat ex qua naſcitur? An vero eadem ſit, ex quacunque parte demum nata? An omnes vel quasdam tantum partes reſtituat natura? An

An in omnibus vel quibusdam tantum caſibus? Qua ratione ars regenerationem hanc coercere, iuuare, moderari poſſit? — Si negatur vulnera noua carne repleri, quaeritur, quonam modo claudantur vulnera variarum partium, e. c. oſſium, cerebri etc.

Ab ORDINE PHILOSOPHORVM

Orbis terrarum faciem, qualis depingitur ab Homero, *declarare: hoc eſt, ex vtroque poetae principis opere, tam Iliade, quam Odyſſea, quicquid iis geographici argumenti continetur, diligenter ac plene colligere, ita, vt, Homero duce, per tres orbis partes eatur, et, quae de ſingulis regionibus, earumque populis, montibus, fluuiis, maribus lacubusque, vrbibus, oppidis cet. ab Homero commemorata ſunt, Geographorum more in vnum congerantur. Obſcurioribus poetae locis quum ſaepe lucem affundere poſſit* Strabo, *perpetuus Geographiae Homericae interpres: bene recteque agent de praemio certaturi; ſi Strabone, quotiescunque ipſa res poſtulatura ſit, ad Homerum explicandum vtantur. Ita exiſtet, vt ſperamus, aliqua* Homeri Geographia, *qua hucusque aegre caruerunt tam Hiſtorici quam alii litterarum antiquiorum interpretes.*

Accedite itaque ad quaeſtiones has ſeu argumenta, diligentiae veſtrae, Commilitones, propoſita, quotquot veſtrum parte iam ſtudiorum exacta, vires quisque ſuas ſtudiorumque fructus, ſintne illi ſatis magni, experiri vultis; ita tamen vt nec, curriculi academici quicquid ſupereſt, ſegnius decurratis: reſeruanda ſunt illa horis ſubſeciuis, quas ſcrip-

tioni et commentationi nemo non veſtrum conſecrare debet. Nihil enim generoſo ingenio magis indignum eſt, quam ſola auditione ſtudia academica contineri et abſolui putare: qua quidem opinione nihil nouimus aut pernicioſius aut ſtolidius.

Indictum eſt certamen in diem IV. Junii anni proximi LXXXVII. praemia ſunt quaterna, ſingula XXV aureorum ducatorum pondo, ab Ordine quodque ſuo, adiudicanda; ſcriptiones quae ad commiſſionem admitti volent, *ante Kalendas Martias* eius anni vt redditae ſint, curabitis. Leges certaminis, etſi neminem veſtrum latere poſſunt, ex edicto tamen anni LXXXV repetemus has: „Licebit in certamen prodire omnibus in litterarum ſtudio prouectioribus, ſeu indigenae illi ſint ſeu exteri; nec fraudi erit, ſi qui ante illum diem, quo praemia victoribus aſſignabuntur, ſtudiorum curriculo abſoluto, Gottinga diſceſſerint; modo ipſi ante diſceſſum ſcripta ſua reddiderint, et in ſcheda obſignata ſeu locum, in quem ſe contulerunt, adſcripſerint, ſeu amicum negotii ſui geſtorem, e quo illud comperiri poſſit, reliquerint. Oratione vtentur Latina, eaque vt ſit pura, terſa, perſpicua, curabunt. Ne auctores commentationum, quae Prorectori, Decano, aliiue Profeſſori reddentur, vllo indicio ſe prodant, diligenter cauebitur.„

His peractis ad diei ſollennia reditum eſt, inque Regis Indulgentiſſimi natali ſollennia vota ac preces ad Deum O. M. factae, vt huius ipſius beneficii munificentiſſimum auctorem omnibus iis bonis

nis

nis beet, quorum fructus vitam reddere poteſt iucundiſſimam. Iisdem votis ac precibus etiamnum immanemus. Proſperet Numen ac fortunet conſilia conſiliorumque euentus, inque his iter illud, quo ad ſacraria noſtra florentiſſimi tres Iuuentutis Principes, Auguſtiſſimi Parentis Proles fauſtiſſima, proficiſcuntur!

Quae omnia vt ex voto Regis Indulgentiſſimi, et ad Academiae noſtrae felicitatem et proſperitatem eueniant, precabimini nobiscum omnes ac ſinguli. PP. in Georgia Auguſta m. cIↃIↃCCLXXXVI.

XIX.

ACADEMIAE GEORGIAE AVGVSTAE
PRORECTOR
LVDERVS KVLENKAMP
CVM SENATV
SVCCESSOREM
IN
MAGISTRATV ACADEMICO
GOTTFRIDVM LESS D.
CIVIBVS SVIS
COMMENDAT
INDICTIS SOLLENNIBVS.
IN A. D. IVLII III. CIƆIƆCCLXXXVI.

Saeculi felicitas in numis.

Frequens eſt, Ciues, in Imperatorum Romanorum numis epigraphe: FELICITAS SAECVLI. FELICITAS TEMPORVM. Occurrit, ſi bene meminimus, primum in Antonini Pii numis anni aerae Chr. 145. 148 *Temporum Felicitas;* et *Felicitas Saeculi*

culi in numo anni 160. Inde variis modis frequentatum a multis titulum hunc videmus *a*). At Conſtanti-

a) *Felicitas Saeculi* in numis Fauſtinae, Commodi, Severi, Caracallae, Getae, Iuliae Piae et paſſim feriorum: in aliis inde a Fauſtinae aetate, inuerſis verbis, *Saeculi Felicitas.* Similiter *Temporum Felicitas* reperitur in numis Fauſtinae, M. Aurelii, Commodi et feriorum; *Felicitas Temporum* in aliis L. Veri, a. 162. M. Aurelii, Commodi, Peſcennii Nigri, Septimii Severi et hinc multorum. Nec ſane aliena ab eadem notione *Felicitas publica*, *Felicitas Auguſta*, vtraque ſaepiſſime in numis obuia; *Saeculum Felix. Fecundum. Frugiferum.* vſurpatum a Clodio Albino, et iam ante a Nerone, Commodo, Pertinace; *Tempora Felicia* in Diocletiano, a. 284 et *Felicia Tempora* in numis Probi et Conſtantini apud Bandinium. Sane variis modis huic titulo proluſum eſſe videri poteſt. Vt memoratum Auguſti numum a. V. C. 727. cum verbis *Salus generis humani* apud Golz. t. 57, 2. et Mediob. taceam (graviorem enim auctorem deſiderare licet; multo magis alterius anni 721.); in Tiberii numis primum occurrit: *Salus Auguſta*, *Aeternitas Auguſta*; in numis Caii, Claudii, Neronis, Galbae prodeunt primum *Spes Auguſta. Pax Auguſti* vel *Auguſta*, *Libertas Auguſti*, et id genus alia. Galbae numo argenteo (aureus eſt in Muſ. Caeſ. Vindob. Eckhelii, viri in hoc ſtudio principis To. II. p. 115, 63.) apud Vaillant. To. II. p. 73. eſt *Salus generis humani*, ducta forte epigraphe ex litteris Vindicis ap. Svet. 90. Non repetitam eam vidimus, niſi in numo Traiani anni 98 ſtante dea Salute ante aram cum patera; appoſito temone, in hac altera etiam globo. Etiam in Galbae numis in conſpectum venit primum *Felicitas publica*, mox ab aliis paſſim frequentata: in aliis *Felicitas Auguſti* primum legitur: haec quidem poſthaec admodum frequens in numis Traiani, Adriani et ceterorum; in aliis *Salus Auguſti.* In Othonis numo, ſed ap. Golz. *Felicitas Orbis* editur. At in numis Veſpaſiani, Titi, Domitiani, Traiani, hinc in Severi, Getae. Iuliae et multorum frequentari coepit *Felicitas Publica*; pro ea in aliis *Salus Publica.* In vno numo a. C. 76 ap. Golz. Titus *Felicitas Orbis Terrarum*

ſtantinus et Conſtans filii *b*) in numis nouam imperii ſui commendationem, ſaepe hinc a ſucceſſoribus frequentatam *c*), intulerunt: *Felix temporum Reparatio*, bellis ciuilibus compoſitis; iam inde ab a. 308.

Iam Pii *temporum felicitatem* praedicari facile feras; ſi enim vnquam magna humani generis pars felicitate aliqua per plures annos vſa eſt, Pio imperante id factum eſſe dixeris, vno omnium qui vnquam fuere Principe optimo; e ceteris autem plerique vix ea aut fortuna aut moribus vſi ſunt, vt memorabilis aliqua imperii ac temporum felicitas inde naſci poſſet: alii etiam infeliciſſimi: maxime enim frequentatur titulus in numis Impp. ſaec. III et IV. Verum adulantium improbitas aut ſtultitia vanitati Principum plerumque eo ipſo illudere ſolet, quod laudum materiam ex iis captat, quae vel maxime in eorum ſeu ingenio et indole, ſeu virtute et induſtria, ſeu fortuna, deſiderantur. In Tiberii, Seueri et ſimilium numis quis expectet *Clementiam*,

rarum editur: at *Felicitas publica* in multis Titi viſitur, et ſuſpicari licet alterum eſſe commentitium. *Felicitas Prouinciarum* in numo Domitiani a. C. 81, in argento Adriani *Felicitas P. R.* quod et e numo Titi laudatur, et ſaepe in numis Alexandri et Philippi, Conſtantini, Magnentii, repetitur; in altero Adriani: *Saec. Aur.* mirationem facit nouitate. At in Caracallae numo a. 197 *Imperii Felicitas*, et ſerius, inde a Caro, *Felicitas Reip.* et a Conſtantinis *Felicitas Romanorum*, affectata. Sic et variat *Aeternitas*: cf. Eckhel Sylloge I. p. 100.

b) Eſt vnus qui Conſtantini nomen prae ſe fert: ſed de eo dubitatur. v. Bandur. To. II. p. 271.

c) Adeatur Raschii v. c. *Lexicon rei numariae* pag. 939 ſq. opus doctrinae et operae pertinaciſſimae.

tiam, *Indulgentiam Aug.?* in Gallieno, *Virtutem Aug. Victoriam Aug. Felicitatem Aug.?* Atqui idem in numo (apud Vaillant. T. II. f. 169) *Reſtitutor Generis Humani:* ita vt neſcias, ſitne id malorum generis humani grauiſſimum, quod illudi ſibi tam turpiter patiuntur homines, vt, quibus ipſi virtutibus omnino carent, eas ſibi accedere putent, modo aliorum impudentia ſibi verbo eas tribuat; niſi pro tolerabili bono habendum hoc ipſum dixeris, quod tantam iacturam tam aequo animo et ferunt et reſarciunt homines. Hactenus paullo ſeuerius egiſſe videri poſſumus. Altera enim ex parte an ignoramus in palatiis et aulis per omnes aetates verba ſollennia frequentari cum publicis tum priuatis congreſſibus, actis et litteris, quorum ſenſus aut nullus aut ab vulgari loquendi vſu diuerſus eſt? Iam autem *felix* eſt Romana voce, quicquid ad deos, quicquid ad Principem ſpectat *d*): vt olim *Roma Felix. Vrbs Felix.* Tolerabilius hoc, quam quod ſerius in Officiis domus auguſtae fuit adoptatum, vt omnia, quae ad foediſſimos homines, purpura indutos, ſpectarent, *ſacra* appellarentur, vtque *ſacrum* eſſet *Cubiculum*, *ſacrae Largitiones* in eunuchos et proſtibula factae &c. Si tamen in cauſſas inquirimus, a quibus potiſſimum *Felicitas Temporum* ſeu *Saeculi* (etiam *Auguſti*, nam fere eadem aut cognata ſunt nomina) repetita fuit: intelligemus, modo a victoriis et pace facta, modo ab annonae copia et frugum abundantia, modo ab Auguſtae fecunditate, interdum a Principum aut militum concordia, epigraphen eſſe petitam. Ab iis cauſſis deducta quoque

d) cf. Spanhem. Vſ. et Pr. Num. T. II. p. 442.

que ſunt ſymbola, quibus numi inſigniti ſunt. Ipſa quidem Felicitas figura muliebri adumbratur, quae dextra caduceum tenet, ſiniſtra Cornu Copiae aut haſtam. Inde *Felicitas Saeculi* et *Temporum* adiuncta fere habet ſymbola Pacis, Victoriae, Abundantiae, Securitatis, Fecunditatis, Concordiae: cernitur enim illa fere ſtolata, columellae innixa, modo caduceum tenens, modo ramum oleagineum, Cornu Copiae, haſtam, globum, victoriolam, pateram ſuper ara: quae eaedem figurae interdum etiam ſine titulo occurrunt; vt contra duplex Cornu Copiae interiecto caduceo ſeu ariſta ſine figura muliebri in aliis. Adiicitur interdum roſtrum nauis, aut temo. In Elagabali numo a. 218 eſt triremis praetoria, et duae Victoriae corollam tenentes in numo Maximini: et ſic porro alia. In numis Commodi 183. 190 quatuor anni tempora per puerulos deſignata; in numo Peſcennii Nigri caniſtrum floribus et fructibus onuſtum, cum verbis *Fel. Temp.* Etiam congiario dato Liberalitas Aug. viſitur expreſſa, vt in numis Caracallae, Getae et ipſius Seueri a. 202. At domus Auguſtae, prole ſubnata felicis, ſymbola habentur in numo Antonini Pii duo Copiae Cornua capitibus filiorum impoſitis; in numo Fauſtinae minoris, duo pueruli in lectiſternio, appoſito aſtro; in aliis mulier ſtans cum quinis et ſenis puerulis; ipſe Seuerus capite tenus adſtat inter duo filios; in alio mater cum duobus filiis, et luna creſcens cum ſeptem ſtellis; et ſic alia *e*). Haec igitur ad Felicitatem Saeculi declarandam diuerſo quidem

e) Licet nunc congeſta haec videre a Raschio l. c. p. 983 ſqq.

quidem reſpectu ac ſenſu non male inuenta videri poſſunt.

Iam ſi de *noſtri Saeculi Felicitate* quaerimus, quibusnam in rebus aut poſita illa ſit, aut eſſe poſita a plerisque credatur: difficile erit ſymbolum inuenire, quo iudicium illud ſatis bene declaretur: niſi forte *globum* ponas, hoc eſt, terrarum orbem, *Solis irradiante luce colluſtratum*, aut *Phoebo in bigis ſuperius hemiſphaerium emetiente.* Iamdudum enim obtundit aures noſtras ea ſaeculi praedicatio, vt inprimis litterarum luce per omnia latiſſime diſperſa et ingeniorum cultura laetiſſima eminere illa et omnes aetates ſuperare dicatur. Vtimur autem ea in re vernaculo ſermone vocibus, quibus lucem per omnia loca diffuſam declaramus; *f*) iam his ipſis vocibus animi ſenſus aciesque praeſtringitur; quis enim, ſi, medio caelo ac die, lucente Sole, colluſtratum eſſe lumine terrarum orbem audierit, ſe caecutire, aut nubeculam ſuis oculis eſſe obiectam fateri auſit! itaque non modo illud locum habet, quod apud poetam eſt: — *venimus ad ſummum fortunae! pingimus atque pſallimus;* verum, quod multo maius eſt, *philoſophamur* — et quidem ſubtilius quam omnes omnis aeui ſapientes; nec quenquam facile e media turba arripias, qui non phyſica ac metaphyſica crepet! Felices nos quibus in tanta ſaeculi felicitate naſci contigit! ſi modo verum eſt, tali felicitate nos vti, aut talem felicitatem vnquam fuiſſe, aut vnquam eſſe poſſe. Atqui nec fuit illa vnquam, nec eſſe poteſt; aut ſi eſſet vlla, nullum ea

f) *Aufklärung. Erleuchtetes, aufgeklärtes Zeitalter.*

ea rerum fructum eſſet habitura ad genus humanum. Turbauit hic opinionum vanitas plura, quae paullo ſubtilius disiungere ac diſcernere iuuabit.

Et primo quidem, quoties ſaeculi felicitatem ex tanta litterarum luce et ingeniorum cultura ſubnatam praedicari audiuimus, fraudi plerumque eſſe intelleximus ipſas *ſaeculi* vel *aetatis* voces, tum *lucis* et *culturae* notationem parum definitam. Dum enim ſaeculum, grandius vocabulum, buccas inflat: tacite ſubrepit opinio, vt id, quod inde a denis vel vicenis annis in populo noſtro, aut in parte eius aliqua, ſit aut factum creditur, pro communi generis humani conditione habeatur; porro cum vnum et alterum genus litterarum in aliqua vrbe aut ab aliquot viris laudari ac frequentari viderent vel audirent, fuere ex noſtris hominibus, qui ſtatim ſummum omnium litterarum inter nos honorem prodidere. Sunt adeo, qui, quod in magnis vrbibus inter certi ordinis et loci homines interdum memoratum dictum vel factum acceperant, vrbanae et ruſticae plebis conditioni accommodent, et in ea rem eodem modo ſe habere putent. Nulla tamen eſt commemoratio vllius populi barbari, cuius parem ſtuporem non iuuenias inter huius ordinis homines per omnes terras: ſi modo propius inſpexeris res noſtrae plebis ruſticae. Tandem alii rem ex libellorum, qui prelo excuduntur, inſana multitudine aeſtimant. Adeo fit *ſaeculi* plerumque praeconium, quod Germaniae, aut nonnullis eius terris, aut certo hominum ordini, aut paucis ex iis, aut nulli, debetur. Verum et ipſae laudes

a

a rebus petuntur parum exploratis ac definitis: notione *culturae* tam male conſtituta, vt in omnes partes fluctuet et incerta feratur diſputatio.

Cultura, quam volumus, varia eſſe poteſt ac multiplex: alia *vitae*, *morum* alia, alia *ingeniorum*. Nulla earum bona et ſalubris eſt infinite; in hac et in illa ineſſe poſſunt bona ac mala varii generis, variae naturae. *Cultura vitae* diuerſa habet ſpatia, quae emetiri illa poteſt. Alia eſt populi feritatem exuentis, alia barbarie depulſa; alia ex agricultura, alia ex rerum populorumque commerciis, ex artium diuerſi generis expolitione ad vitae vſum traducta. Innumerae ſunt diuerſitates pro imperiorum, populorum, terrarum, caeli, naturis; neque vna eademque eſt omnium cultura, neque vllus populus eſt aut in populo ordo, in quo omnis generis cultura ſit cumulata. Etiam variis iudicii inflexionibus illa interdum vno eodemque in populo aeſtimari ſolet, pro ordinum, natalium, ſtirpium, ſtudiorum, partium diuerſitate, multo magis ex philoſophica definitione. Faciat aliquis recenſum populorum Europae, quos humanitatis cultu imbutos appellare ſolemus: quam diuerſi gradus culturam paſſim agnoſcet! et, ſi culturae notionem conſtituat ſeuerius, vt ſit vita iis rebus exculta, quibus vſus eius et fructus poteſt eſſe liberrimus, vberrimus et iucundiſſimus, cum ex corporis ſalubritate et habilitate, tum ex animi ingeniique facultate, habitu et vſu recto et libero, rationi et naturae conſentaneo; legibus et moribus publice priuatimque ita deſcriptis informatisque,

vt iis conſiliis cum maxime reſpondeant: ſingulorum quidem hominum felicitatem hanc paſſim reperiet; at dubitare licet, an eam vllius populi, aut magnae eius partis, commune bonum vsquam deprehenſurus ſit. Peſſima *cultura* eſt *per luxum*, aſſiduum et perpetuum vitae excultae comitem. Quo ipſo fit, vt res per ſe bona in omnium perniciem vertatur. Haec quidem eſt illa cultura vitae, quam tantis laudibus ſermonibusque euehunt multi inter nos, ac libellis celebrant. Sufficit attigiſſe haec; in promtu enim eſt cetera mente et cogitatione aſſequi.

Morum cultura ſi qua bona eſt, ea eſſe debet, quae a diſciplina publica priuataque proficiſcitur, nec tam legibus, quam bonis inſtitutis exemplisque continetur; commendat illa ſe ſimplicitate, concentu cum naturae lege et vi, et cum ſenſu communi. At in corruptelis ſaeculi, quod miro modo mores excoluiſſe putatur, primo loco occurrit hoc, quod taedioſa formularum decantatione, et ſubtili in eas commentatione, mores fingi putantur, ſatisque habetur praecepta de virtute auribus inſtillari aut libellos rhetorice aut philoſophice ſcriptos in manus tradi. Tum ſi mores laudantur, laudari fere audias eos, qui externo corporis habitu, victu, veſtituque culturam, hoc eſt elegantiam, quae placeat, prae ſe ferunt. Nec temere hoc fieri dixeris, quandoquidem dudum omne de hominum virtute et merito iudicium ad oculorum auriumque ſenſum migrauit. Verum cui non dictus Hylas! — Niſi itaque accurratius

res

res conſtituatur, etiam cultura morum modo in laude modo in vitio haberi poteſt.

Quod ſi tandem, quod plerumque factum videmus, ſaeculi felicitatem ex *ingeniorum cultura et litterarum artiumque expolitione* aeſtimamus: multo magis vagatur omnis praedicatio, ita vt plerumque nec vera omnino, nec prorſus falſa ea ſit; quo ipſo hominum iudicia in transuerſum aguntur. Primum enim, nec omnis, nec omnium artium cultura, felicitatis ſemina et cauſſas habet, nec omnibus populis nec eodem in populo omnibus ac ſingulis ingeniorum cultura eſſe poteſt optabilis. In quo quidem vel maxime ſibi illudi paſſi ſunt noſtrates; quod omnino ad felicitatem generis humani illud vim habere putarunt, ſi omnis generis litterae late per vulgus eſſent ſparſae: quae opinio non modo eſt vana et falſa, verum etiam pernicioſa. Vt enim nunc non vrgeamus, quam multa ſint, quae ignorari praeſtet; infinitarum rerum ſcientia accurata eſſe poteſt nulla, niſi infinitarum aliarum rerum cognitio mentem inſtruxerit. Atqui hanc paucis conſequi contigit; minus autem explorata et ſubtilis ſcientia non modo non expedit, verum etiam nocet. Nec etiam vllo in populo aut eueniſſe accepimus, aut euenire poſſe apparet, vt per omnes ordines multarum rerum ſubtilium ſeu ex philoſophico ſeu ex theologico acumine ſuſpenſarum notitiae diſſeminentur, multo minus vt cum fructu. Illo tempore, quo Graeci litteras ſuas cum ſuo ſermone tot tantisque Europae, Aſiae Africaeque tractibus impertierant, et

 mox

mox Romani easdem terras imperio occupauerant dubitare licet, an non litterarum ac philoſophiae luce haud paullo maior generis humani pars, ac nunc colluſtrata fuerit. Verum non eſt in natura humana ſitum, vt vlla litterarum luce diſpellantur errorum tenebrae, quas aut humana imbecillitas, aut maiorum auctoritas, aut religionum ſuperſtitio, aut imperiorum ac vitae inſtituta offuderunt. Nec vnquam expectandum eſſe videtur, ne infinitorum quidem ſaeculorum decurſu, vt vlla philoſophiae aut religioſae doctrinae ope illud efficiatur, vt ea, quam iactant, philoſophiae et litterarum diſciplina ad magnam vulgi partem deriuetur. Vana et inanis eſt omnis illa opera inſtillandis iis, quae vas fundo pertuſo recipere aut retinere nequit; nec operae pretium facimus, dum malo ita occurrimus, vt tanto plenioribus vrceis totos riuos infundamus. Quid? quod litterati quoque et docti ad recte beateque viuendum ex ſcientiae copiis perpauca plerumque mutuantur. Adeo nec ſapere licet nec recte viuere, niſi multarum rerum ſcientiam animo dimiſeris. Delectare poſſunt multa, aut animi vires acuere; prodeſſe ad vitam pauca.

Eſt itaque inter peſtes ſaeculi habendum, quod infinitarum rerum inutilium et a captu ingeniorum multitudinis alienarum notiones ſparſae ſunt, quarum nec ratio vera, nec verus vſus aut recte doceri aut animis percipi poteſt. Magnam adeo calamitatem Germaniae noſtrae intuliſſe videri debent ii, qui ſibi miro modo placuere in eo, quod ad popularem rationem omnes litteras reuocarunt, dum

nec

nec dilectum earum habuere aut ipſi aut alios, vt facerent, monuere; ſed ſatis habuere omnia vernaculo ſermone exponere, et ad palatum vulgi, aut etiam puerorum attemperare. Qua quidem re hydra malorum in noſtram patriam excreuit: effectum enim eſt primo, vt et ii qui litteras ac diſciplinas traderent, ab omni ſubtilitate deſciſcerent, vtque late ſpargeretur doctrina ieiuna, tolleretur accurata et ſolida; ex hac peſte manauit altera illa, vt ſcribendi morbus ac ſcabies tantum hominum numerum corriperet: qua quidem re per aliquot annorum decurſum res libraria et quaeſtus librariorum inſigniter fuit auctus, nunc tandem eo res adducta eſt, vt intra paucos annos monumentum hoc vanitatis Teutonicae ſua mole corruiturum ſit. Nouis quotidie libris, vermiculorum aut lumbricorum more pullulantibus, emtores vix leuibus libellis praeſenti aere parandis ſufficiunt, deficitque crumena bonis et grauibus libris, exhauſta et exinanita iis libellis coemendis quibus reliquorum recenſus et iudicia fiunt. Inter haec rerum innumerarum notitiae inutiles, aut crudae et parum iudicio ſubactae, auocarunt homines a vitae actu, opinionum vanitate eos inflarunt, ad ſtudia omnis generis inania et ſuperſtitioſa pellexerunt, fumum vendentibus obnoxios fecerunt. Haec eſſe putanda eſt praecipua ratio, cur noſtra aetate in tanta philoſophiae et religionum, quae iactatur, luce tanta tamen tot deliramentorum caligine occaecatae ſint multorum mentes Studio illo imprudenti ad popularem rationem reuocandi litterarum ſacrarum ac profanarum, diuinarum et humana-

 rum

rum, capita et argumenta, quae, niſi multis variisque litteris probe ſubactus fueris, nec aſſequi et ſatis percipere, nec de iis recte ſtatuere poſſis, effectum eſt, vt tam miris multi modis confunderent notiones; vt leuiſſima auctoritate adducti perſuaderent ſibi incredibilia, et delaberentur ad abſurdiſſima. Multa ſunt quae noſtro ſaeculo tanquam propria recte vindices: diſciplinarum ac ſcientiarum, inprimis mathematicarum ac phyſicarum, latius manarunt ſtudia; nec alia facile eſt doctrina cuius non magna facta ſint incrementa. Inprimis philoſophandi ſubtilitas a verbis ad res traduci, doctrina religioſa ab opinionibus formulariis liberari, ad interpretandi ſcientiam et artem adigi et ad certas leges conſtitui coepit. Verum haec intra exiguum hominum numerum ſubſtitere. Tum quam anguſtis cancellis circumſcripta ſunt multarum rerum ſtudia! ipſa philoſophandi de certis rebus, inprimis theologicis et politicis, libertas tantopere iactata quam precaria, maligna, parum tuta! Quotiescunque aliquid paullo liberius ac licentius dictum ſcriptumue in vulgus dimanauit: quanti concurſus, quanti clamores etiam inter eos, qui ipſi de libertate ſentiendi ac ſcribendi magnifice ſentiebant, quoties de ſuis opinionibus ſtatui videbant! Quae autem vulgus beaſſe iactantur litterarum bona, bone deus, quam ambiguae notae, quam parum fructuoſa pleraque et ſalubria ſunt! neque illud mireris, quandoquidem pleraque ab vſu vitae, a rerum veritate, a multitudinis conditione et fortuna, abhorrent.

Si quam igitur felicitatem ſaeculi e litterarum luce latius ſparſa ſperare volumus: id agendum eſt,

vt

vt non niſi eae diſciplinae ac litterae populo expeditiores reddantur, quarum verus aliquis ad vitam fructus aut iucunditas eſſe poteſt. Dimittendum eſt inane illud ſtudium, vt, quorum notionem iuſtam nec habere nec aſſequi vulgus poſſit, iis animi obruantur. Qui carent auxiliis, ſubſidiis, praecognitis, quibus ad perſpicienda illa, quae traduntur, opus eſt, non modo non erudiuntur ſed obtunduntur. Inanis eſt et infructuoſa omnis illa opera, quae metaphyſicis, phyſicisque ac theologicis ſubtilioribus placitis in plebis mentes inſtillandis impenditur. Non doctiorem reddamus populum, ſed aſſuefaciamus eum ad multarum rerum ignorationem; nec imbuamus animos niſi pauciſſimis vitae virtutisque praeceptis, rerum ad vitam vtilium notitiis fructuoſis; excluſis tandem aliquando iis, quae nec vnquam a vulgo bene percipi recte poſſunt, nec percepta vſum vitae habent. Quibus pauca bene tradi poſſunt, ex eorum animis effluunt bona et vtilia, ſi cumulantur et confunduntur cum aliis minus vtilibus. Ingenii et animi, non minus ac vitae, ſimplicitas vt retineatur aut reuocetur, eſt videndum; atqui ſine multarum rerum ignoratione aſſequi hoc bonum nequeas; bonis exemplis et diſciplinae grauitate familiae aut ciuitates regendae; inſtitutio vero abſoluenda paucis, iisque neceſſariis iuxta et vtilibus; praecepta doctrinae chriſtianae a ieiuna commentandi ſubtilitate liberanda. Ipſae ſuperſtitiones et falſae opiniones non diſputatione, quam vulgus non aſſequitur, animis eximendae; ſed tacite veriora iis inſtillanda, quibus ſemel admiſſis praua

ſponte excidunt. At ingeniorum expolitio et cultura elegantior relinquenda eſt certis inter ciues ordinibus; ſubtiliusque diſciplinarum et litterarum ſtudium mandandum paucis, at ſelectis, quos ingeniorum felicitas et reipublicae prouida cura eo loco conſtituerit, vt, quicquid ſcientiae eſt inter homines, creditum ſibi eſſe putent et aſſeruandum et nouis incrementis augendum, vt tamen ex iis ad vitam et vulgus ea deferant, quae vtilitatem et fructum habere poſſint. Quae igitur ad vitam pie, honeſte, feliciter agendam neceſſaria et vtilia eſſe poſſunt, ea nota et vulgata eſſe debent omnibus doctis pariter et indoctis; at quicquid cum ſubtilitate diſputandi ac declamandi coniunctum eſt, e generis humani diſciplina furcis expellendum; ſaltem intra librorum clauſtra virorumque doctorum ac ſubtilium conuentus eſt relegandum. Ita tandem veram ingeniorum vitaeque culturam, quae cuique ciuium ordini conuenire poteſt, et ex ea ſaeculi felicitatem enaſci dixeris, quae non inter paucos potentia, opibus, genere et loco eminentes, verum ad plurimos et omnes, etſi certa ratione ac lege et modo, ſparſa ſit: ita tenebuntur ea, quae vitam reddere poſſint aut iucundam aut tolerabilem, dum nec libertatis ius et vſus, nomine forte relicto, ſublatus, nec rerum, neceſſariarum ſaltem, copia easque parandi facultas, iisque fruendi arbitrium, vlli e populo defuerit. Excolentur ingenia, pro ſua cuiusque conditione, notitiis neceſſariis et ſalubribus; conſequetur vnusquisque id, ad quod a natura erat natus ac factus, nec fortunae et loci malignitate deiectus et excluſus

erit

erit ab humanitatis excellentia, nec detruſus infra animantium brutorum ſortem et conditionem. Ad hanc felicitatem vtinam genus humanum, ſaltem vnum magnum populum, vnquam peruenire contingat!

Quam felicitatem generi humano, magnis praecipue imperiis, tantopere exoptandam, dum in votis merito habemus: vota cum iis conſociamus alia, quae propius attingunt Academiae noſtrae felicitatem, Ciues; hanc vt bonis ſtudiis ac moribus non minus promoueatis, quam votis precibusque a bono numine nobiscum expetatis, videte. Academici magiſtratus vices cum peruenerint ad Virum Summe Reuerendum, de vobis bene meritum ac merentem,

GOTTFRIDVM LESS D.

initurus ille eum eſt inter fauſta omina et vota communia craſtino die. Erit autem ſemeſtris hic magiſtratus tanto illuſtrior, et temporum felicitate inſignior, quod intra paucos dies huic vrbi et Academiae nouum decus accedet ex trium Principum ſtirpis Regiae aduentu. Qui vt felix fauſtusque ſit, vtque magiſtratus ſuſcepti fauſta ſint auſpicia, ita preces facimus, vt haud dubitemus, Ciues, quin, verba praeeuntibus nobis, religioſe ac pie vota noua ſitis concepturi; nec, quin veſtra, Principes Sereniſſimi, Comites Illuſtriſſimi, auctoritate et exemplo nunc, vt alias, confirmaturi ſitis religionem noſtram. P. P. in Georgia Auguſta Jul. II. cIↄIↄcclxxxvi.

XX.

ACADEMIAE GEORGIAE AVGVSTAE
PRORECTOR
GOTTFR. LESS D.
CVM SENATV
SVCCESSOREM
IN
MAGISRATV ACADEMICO
JO. NICOLAVM MÖCKERT D.
CIVIBVS SVIS
COMMENDAT
INDICTIS SOLLENNIBVS
IN A. D. II. JANVARII CIↃIↃCCLXXXVII.

Res a Phocione in rep. Athenienſium geſtae in diſceptationem vocatae.

Inſtitutum eſt in noſtra hac rep. academica, Ciues, vt ab ipſis noui anni auſpiciis magiſtratus noui auſpicia procedant, vtque adeo coniungantur vota vtriusque generis, inflammenturque animi pietatis ſenſu ac laetitia publica a duplici cauſſa profecta. Nec vero haec congratulantium ſtudia omni ad publicam vtilitatem fructu carere putanda ſunt, modo

modo non, vt alia praeclara maiorum inſtituta, ad vanam ſimulationem et nugatoriam conſuetudinem rediiſſent! res enim eſt potentiſſima ad animos inter ſe coniungendos ſignificatio beneuolentiae mutuae, vt in aduerſis, ita etiam in laetis fortunae; et videtur vel externa ſpecies et ſenſus ſignificatio vim ad animum neſcio quam habere fidemque quodammodo facere ei, quod oſtenditur. At in noſtris ſollennibus ad neceſſitudinem adeo et officium pietatemque in almam Georgiam Auguſtam pertinere videtur, vt de fauſto et anni et magiſtratus per ſemeſtre geſti exitu laetemur ac congratulemur, vtque vota ſuſcepta, quorum nunc damnati ſumus, grato animorum ſenſu rite perſoluamus, nouaque vota in poſterum pro reip. incolumitate et perpetuitate ſuſcipiamus. Faciet hoc pro rep. is, cui hoc ipſo die magiſtratus academici mandati inſignia publice tradentur, Vir Illuſtris et Conſultiſſimus,

JO. NICOLAVS MOECKERT D.

idemque humanitate veſtra et modeſtia, Ciues, permotus ſpem ſuſcepit iucundiſſimam, quantum quidem per veſtrum ſeu reip. ſeu ſui amorem ac beneuolentiam fieri poteſt, magiſtratus ſui decurſum fore fauſtum ac proſperum, et, quae in publica commoda ipſe meditata affert, ſucceſſu ſuo non eſſe caritura.

At nobis, Ciues, cum aliquid his ipſis ſollennibus praefandum ſit, quid tandem in anni his auſpiciis auſpicatius eſſe poteſt, quam ſermo a viri memoria ductus, qui virtute ſua et inſigni probitate

tate cognomen quoque Probi apud populares ſuos conſecutus eſt; *Phocionem* dicimus, cuius etiam noviſſimis temporibus recordatio ac memoria revixit. Alienum eſſet ab hoc conſilio ac tempore, quo haec ſcribuntur, laudes eius aut verbis perſequi aut ad iudicii trutinam expendere: contra conſentaneum ſaltem hoc, vt viri antiqua memoria celebrati virtutem recolamus, inprimisque res eius in rep. geſtas ſtudiaque et conſilia accuratius cognoſcamus, quibus ille in tanta aduerſae factionis odia ac furores incidit, vt capitis periculum adiret.

De moribus quidem eius, ingenio ac vita, etſi haec cognitu ſunt digniora ceteris et vtiliora, non tamen afferri poſſent niſi iam a Plutarcho tradita et a multis repetita, iterumque apponenda; id quod in hiſtoriis certo cum conſilio perſcriptis ſine reprehenſione facias; non itidem in ſcripto iis ad legendum propoſito, quos credere licet Phocionem haud ignorare qualis fuerit: cuius nomine etiam vulgo vti ſolemus ad virum bonum ac probum, integritate et vitae innocentia conſpicuum, declarandum *a*). Nominis claritatem nihil magis arguit

a) Χρηστός. Nec tamen ſatis conſtantes ſunt viri docti in vocis vi conſtituenda, quo ſenſu Phocioni cognomen inditum ſit: eſt enim et *probus vir*, et *bonus* et *mitis ac lenis*. Ad integritatem vitae refert Nepos; cui tamen *bonus* eſt. At Plutarchus ad morum facilitatem referre videtur p. 746. C. Conſentit Valer. Max. III. 8. ext. 3. Quod vero ap. Suidam legitur p. 638. T. III. vix ſanum videtur eſſe aut recte narratum, multis eum pecunias dediſſe aliorumque filias dote inſtruxiſſe et inde Χρηστὸν dictum; vnde enim Phocioni iſtae opes? Videtur

arguit quam quod in obſcuritate fortunae Graecorum poſt Philippi et Alexandri tempora nomen eius ſolum eminet, hominis tamen qui nulla in re

Videtur tamen ex Athenienſium iudicio *ad probitatem et integritatem* eſſe referendum. Etiam apud Aeſchinem *περὶ τῆς παραπρεσβ.* in f. *Φωκίωνα — ἅμα δὲ δικαιοσύνῃ διενηνοχότα πάντων —*. *Phocionis herma* ſupereſt apud Vrſinum, ſed ſine capite, nomine cippo inſcripto. Circumfertur quoque *Phocionis caput e gemma;* eſt Sardonyx anaglypho opere, (*Cameo* dici ſolet) cuius exemplaria paſſim occurrunt in Muſeis; Phocionis illud eſſe colligitur ex nomine Φωκιωνος artificis manu adiecto: atqui perpetuus ſculptorum mos eſt, vt hoc modo ſuum ipſi nomen apponant. Inſculpſit mox falſarius aliquis nomen Pyrgotelis litteris tam indocte effictis, vt ipſa res fraudem arguat. Conſtant haec iam a Winckelm. Hiſt. Art. p. 351. tradita. Eſt et Meadianum ſimile opus, e domo Lancelloti allatum, quod ad Thomam Hollis et hinc in Muſeum Britannicum peruenit. Verum antiquum opus in Collectione Gemmarum Bedfordiana aſſeruari aiunt: cum antea in gentis Caſtilionenſis cimeliis haberetur, mox dono datum Cardinali Albani, a quo ad Britannos migrauit. Effictum quoque eſt exemplum gemmae ab Alexandro *Ceſari* nobili artifice, quod Zanettius ſeruabat: expreſſum in eius Dactyliotheca tab. III. Nuper quoque ſignum Phocionis nomine prodiit in Muſeo Pio-Clementino To. II. t. 43. figura ad herois ſpeciem et dignitatem effičta, capite caſſide tecto, et barba accifa, Athenienſium more, pallio vero tenui et curto induta, quae paupertatem Phocionis arguere poteſt. Refert quoque opus manum et artem alterius ſigni ex eadem aetate, quod Demoſthenem referre creditur, et nunc ad Britannos abiit. (Exemplum expreſſum dedit Fea ad calcem Winckelmanni italice conuerſi To. II. tab. VI. Fertur quoque aliud ſignum in Villa Aldobrandina extare). Sagaciter his argumentis alterum illud marmor Phocionem referre coniectauit Viſcontius. Caput ſimile et parua effigies eiusdem viri in eodem Muſeo viſuntur. Viſebantur autem ſtatuae Phocionis Athenis, vt ex Pauſania et Plutarcho conſtat.

re aut ſplendorem conſiliorum affectauit aut famam et oſtentationem eorum quae geſſerat eſt aucupatus; quique ciuitatem ſuam maluerat intra fortunae anguſtias continere, ad quas detruſerat illam fatalis rerum ordo, et intra quas illa tuta ac quieta latere potuiſſet, et ſtatu rerum vti tolerabili.

Animi conſtantia, grauitate, auſteritate, vt humanitate tamen illa et facilitate temperata eſſet, inprimis ille ſpectatus fuit; iuſtum ac propoſiti tenacem virum facile agnoſceres, quem nec *ciuium ardor praua iubentium* nec *minax tyranni vultus terreret;* cumque a natura inditi mores ad firmitatem ac perſeuerantiam conſiliorum eum compoſuiſſent, multo plura ex philoſophiae ſtudiis in eo profecta erant. Platonem ille audierat et Xenocratem, cuius ſanctitatem vitae morumque ſeueritatem exemplum ſibi propoſuiſſe videtur; ita vt Phocion inprimis inter eos habendus ſit, qui ex philoſophorum diſciplina ad remp. acceſſere *b*); tantam vtique animi moderationem

b) Plut. de Muſica p. 1126. C. Ἀθηναίων δὲ Χαβρίαι τε στρατηγοὶ καὶ Φωκίωνες ἐξ Ἀκαδημίας. Platonem quidem admodum adoleſcens (ἔτι μειράκιον ὢν Plut. p. 743. D) audiuiſſe narratur. Debuit autem Phocion natus eſſe Ol. XCIV. 3. ante C. 402. anno altero ante Socratis necem, ſiquidem Ol. CXIV, 3. quo anno pugna ad Cranonem facta eſt, iam octogenarius erat. Plut. pag. 752 E. et Tom. II. p. 819. A. Alio loco p. 791. F. *an ſeni ſit reſp. ger.* ὑπὲρ ὀγδοήκοντα ἔτη γεγονώς, Exceſſit autem vita anno inde quarto, aet. LXXXIV. Ol. CXV, 3. ante C. 318. Aelianus III, 47. parum accurate τὰ πέντε καὶ ἑβδομήκοντα ἔτη, ἅπερ οὖν διεβίωσεν. — Xenocratis amicus fuit, auditor vix eſſe potuit, ſiquidem ille Speuſippo ſucceſſit Ol. CX, a quo Phocion iam ſexagenario maior erat.

rationem et in vtraque fortuna aequabilitatem, tantam integritatem, ſimplicitatem, frugalitatem et honeſtae paupertatis amorem, tam placidum et ne inimicis quidem aſperum ingenium, non niſi philoſophiae ſtudium praeſtare poteſt. Prudentia itaque mentis cum in deliberando tum in exſequendo fuit ea, quae non niſi mature ac diligenter penſitata admitteret, nec alia praeterquam tuta et extra fortunae aleam poſita probaret; nihil caſui dare, nihil ad gloriae vanitatem externamque rerum ſpeciem referre; nec niſi id agere, quod res poſtulabat quodque vtilitatem habere poterat. Celebratur poſteritatis fama et commendatione cum maxime animi in eo virtus et prudentia: at vero, dum viueret, militari inprimis virtute clarus fuit habitus, cum ad Chabriae diſciplinam et familiaritatem ſe adiunxiſſet. Archontis magiſtratum an vnquam geſſerit, non apparet; at copiarum praefecturas (στρατηγίας) quinque et quadraginta geſſit; creabantur enim Athenis duces belli ad ſingulas belli neceſſitates.

Hic vir, tali animi virtute, hoc mentis habitu, ſi aliis reip. temporibus vixiſſet, ſi Themiſtocli obiectus fuiſſet, Ariſtidis locum tenuiſſet; ſi Pericli, ſi Alcibiadi, aduerſarius contigiſſet, gloriae ſtudium in eorum animis moderando, quam multa reip. vulnera vel auertere vel ſanare potuiſſet! Verum ſeruata erat eius vita in ea tempora, in quibus ille ciuitatis ſuae naufragium, ſuſpenſum procellis ac fluctibus, per aliquod tempus forte, ne diſſolutum peſſum iret, gubernare, ne vero fluctibus aliquando

quando illud mergeretur, nulla humana ope occurrere poterat. Scilicet, quod non ſemper facere ſolent ii, qui de magnorum virorum factis et conſiliis cognitionem ſibi ſumunt, non tam quid quisque fecerit, quam quibus temporibus, quo rerum ſtatu et conditione, inter quos homines, tentata effecerit, aut non perfecerit, videndum eſt: idque multo magis in libera ciuitate, cum multorum iudicia et voluntates, nec vi ſed perſuaſione et auctoritate, moderandae ſunt.

Vti magna imperia ſua vi ac mole ab externa vi facile ſe tuentur, ſuis vero ipſa opibus, ſua luxuria et ignauia fere vel imperitia eorum, qui remp. adminiſtrant, corruunt; ita regna exiguis finibus incluſa, et, quo minus in remp. imperantis lubidini licet, eo melius adminiſtrata, externa plerumque vi aut fraude concidunt, quoties in vicinia accubans potentius imperium finibus imminet. Quae quidem multo magis liberarum ciuitatum fortuna eſt. Ciuitates Graeciae ſuis ipſae diſſidiis ac bellis afflictae et attritae fuere ſaepenumero: verum pace facta facile priſtinas opes et fortunas recuperabant; ad ſeruitutem et miſeriam non fuere redactae niſi regum cupiditate et malis artibus, primum Perſarum tum Macedonum. Nec minus Graecorum virtus enituit in eo, quod tam praegrandem ac praegrauantem potentiam et fraudem tamdiu illa ſuſtinuit et ſeruitutem ſuam per tantum annorum decurſum retardauit: cum magna illa et vaſtae molis imperia primo ictu ac vulnere conciderint. Si qui ſunt qui, non tam reprehenſione, quam deteſtatione

ſtatione et execratione omnis generis humani digni ſunt, reges illi et eorum amici conſiliorumque miniſtri habentor, qui homines in rep. bene conſtituta degentes malis fraudibus aggreſſi, partim dolo malo circumuentos, partim muneribus corruptos, partim in diſcordias ciuiles actos, vt ſeruitutis tandem infamia digni haberentur, effecerunt. At mortales miſeri tales peſtes generis humani modo heroum immortalium modo prudentium et ſagacium nomine impertire ſolent; inurunt infamiam iis qui perfidia eorum et malis artibus in calamitatem praecipites dati ſunt. Eſſe in liberis ciuitatibus diuerſa hominum de rep. et eius vtilitatibus iudicia nemo mirabitur, qui meminerit, inter regum amicos et conſiliarios deliberatione de rep. facta haud raro prudentiſſimos viros in diuerſas ſententias ire. Quod in ciuitate interdum ex his diſſenſibus contentiones, odia, inimicitiae eorum, qui contraria in rep. adminiſtranda conſilia ſequuntur, *) exiſtunt; non tam inter mala talis reip. quam inter bona referemus, quibus reip. ſalus et incolumitas continetur, ingeniorumque vigor et conſiliorum prudentia acuitur; exitioſa reip. ea non fiunt, niſi malorum hominum fraude republica iam ad deteriora praecipitata.

In ea iam tempora adducta erat reſp. Athenienſium, vt nullis humanis conſiliis opibusque illa ſeruari poſſet, aut intercedi, quo minus praepotentibus Macedonum opibus illa ſuccumberet. Quod ſi Macedonici regni ſtabilis ac perpetua fuiſſet conditio

*) τῶν ἀντιπολιτευομένων.

ditio et ſtatus: aequis forte conditionibus parta fuiſſet Athenienſibus parendi gloria, diuque illa Macedonum imperiis obnoxia artibus litterisque mercatu et nauigatione floruiſſet. Enimuero cum inter reges, armis ciuilibus ſe mutuo aggreſſos, Macedonia victori praeda eſſet parata, in quam ille involaret, regnique praeſidia et excubiae quaerendae fere eſſent in Graecia: illius ſeu vi ſeu fraude occupandae conſilia agitabantur ab omnibus, qui Macedonum regno inhiabant, ex Aſia plerumque profecti. Graeciam autem nemo tenere poterat, niſi qui Piraeeum et Athenas in poteſtate habebat.

Praeceps erat conſilium poſt mortem Alexandri, quod Graeci non tam foedere facto res ſuas firmare, id quod prudentis conſilii erat, quam in Theſſaliam aduerſus Antipatrum excurrere maluerant. Phocion, ſi quid aliud, bene perſpexit hoc, ad vnum quidem impetum faciendum opes Graecorum ſatis magnas eſſe, ad bellum vero diutius ſuſtentandum vires haud ſufficere. Copias enim a Leoſthene conſcriptas multis mirantibus et Phocionem, annon bene inſtructas putaret, rogantibus *Recte*, inquit, *ad ſtadium; at dolichum belli exhorreſco, quod neque ſtipendium ciuitati aliud, nec naues, nec milites ſunt c)*, Interea animoſe ſatis Graecos eſſe expertos, quid pro libertate recuperanda ſeu virtus ſeu conſilii ſagacitas aſſequi poſſet, negari nequit. Victo ad Lamiam Antipatro ipſi mox coniunctis Crateri et Leonnati armis ſuperati ſuccubuere *d*).

Fac

c) Plut. p. 742. A. B.

d) Ol. CXIV, 3. ante C. N. 322. anno ante Phocionis deceſſum quarto.

Fac tamen et hinc eos ſuperiores diſceſſiſſe, annon alii exercitus in Aſia ſupererant, qui aduenirent?

Victis Athenienſibus leges ſcripſit Antipater, vt remp. more veteri *e cenſu* tractarent, praeſidium in Munychia acciperent, praeterea impenſas belli et multam penderent; adiectum vt Demoſthenes et Hyperides dederentur. Nihil in his conditionibus eſt, quod prudentia non Antipatro ſuadere debuerit. Athenas, niſi praeſidio impoſito et republica in alium ſtatum mutata, in obſequio retinere non poterat. Cum inde a Cliſthenis lege etiam ii, qui cenſum non habebant, θῆτες, in comitiis ſuffragia ferre, iudiciis adſcribi, in ſenatum legi, magiſtratus capeſſere poſſent, plebis egenae ſuffragiis ſumma reip. continebatur. Conſtituta nunc *reſp. e cenſu, vt qui plus* cIↄ cIↄ *drachmarum poſſiderent, penes hos magiſtratus et ſuffragiorum ius et poteſtas eſſet e)* Qui vero

minorem

e) Plut. p. 743. F. inprimis Diod. XVIII, 18. *καὶ προσέταξεν ἀπὸ τιμήσεως εἶναι τὸ πολίτευμα. καὶ τοὺς μὲν κεκτημένους πλείω δραχμῶν δισχιλίων κυρίους εἶναι τοῦ πολιτεύματος καὶ τῆς χειροτονίας.* Cenſus *bis mille drachmarum* hoc eſt $\frac{1}{3}$ talenti, quae ſumma ad 387. thaleros noſtros accederet. Diiucanda res ex Solonis inſtitutis eſſe videtur. Tres claſſes ille conſtituerat ciuium; primam eorum, qui talentum h. e. 6000 drachmarum, alteram eorum, qui 3000., tertiam eorum, qui X minas, ſeu 1000 drachmas ſeu $\frac{1}{6}$ tal. poſſiderent. Scilicet omnis ager Atticus omniaque ciuium bona deſcripta erant Solonis aetate, in ſumma rerum egeſtate et argenti penuria, conſtitutumque iis certum pretium, in commentariis cenſualibus perſcriptum, ad quod tributa ciuium inferrentur: deſcriptione et diſpertitione eius, quod quisque conferret, ad iſtum fortunarum modum facta,

minorem cenſum haberent, omnes *vt turbulentos et bellorum cupidos, a publicorum negotiorum tractatione remouit, agrumque in Thracia, ſi qui vellent, ad nouas ſedes conceſſit.* Plures ergo XII. millibus id genus ciues a rep. ſunt remoti: caeteris, qui cenſum definitum habebant, IX. millibus circiter, ius vrbis et regionis obtinendae traditum eſt. *Et hi Solonis deinceps legibus remp. adminiſtrarunt*, cunctisque poſſeſſiones ſuae integrae et intactae permanſerunt. Quod niſi perditis veterator Polyſperchon conſiliis mox Athenienſes aggreſſus eſſet, per multas aetates illi proſpero rerum ſuarum curſu vti potuiſſent.

Duriſſimae conditiones probatae tamen, recte quidem ac prudenter, Phocioni: cuius omnino per haec tempora magna erat auctoritas, cum apud Antipatrum gratia valeret, Menyllum autem Munychiae praefectum neceſſarium ſuum haberet. Ignoſcendum tamen nec minus altera ex parte miſeris ciuibus, qui iure ciuitatis deiecti deos hominesque obteſtabantur et iniuriae cauſſam in eum conferebant, cuius opera pax facta erat. Nata hinc odia grauiſſima quae in eius exitium euaſura eſſe iam tum praeuideri poterat. Aliud in eum coniectum eſt

facta, etiam pretiis rerum omnino mutatis, cum tantas opes Athenis nauigatio, mercatus, commeatus, aerarium auctum, ſociorum tributa, metalla aliaeque res intuliſſent. Nunc igitur Antipater oligarchiam in rep. hactenus inſtituit, quod non niſi eos ad remp. tractandam admiſit, qui tantum fortunarum poſſiderent, quantum in tabulis cenſualibus perſcriptum ad tertiam talenti partem, ſeu XX minas, accederet.

eſt crimen, quod, ne Demoſthenes et Hyperides dederentur, nullam ſuam interpoſuerat operam.

Atque hic ad ea tempora peruentum eſt, in quibus Phocionem a nimio partium ſuarum ſtudio, a pertinaciae et imprudentiae culpa, liberare haud facile eſt. Saltem deſtitutos nos dicemus diſerta ſatis rerum et euentuum expoſitione, quo in meliorem de eo partem iudicare poſſimus. Plutarchus quidem copioſus eſt in congerendis iis, quibus virtutem eius declaret; vbi peruentum eſt ad ipſum rerum articulum, obſcurat ille potius et implicat narrata, quam vt expediat. Omnino ſcriptor ille, in fide eorum, quae tradit, exigenda non vbique ſatis ſubtilis aut diligens, ad eum, quem ſemel animo informauerat, characterem et exemplar narranda refert, interdum adeo ad ſententiolam, vt ei conſentanea ſatis ſint, accommodat; operoſus duntaxat in acute vel ſententioſe dictis conquirendis. Quod vero haud raro bilem mouet, eſt, quod auctores, vnde ſua hauſit, non appoſuit. Ita de Phocione nihil vsquam monitum eſt, quo auctore vſus ſit *f*). Diuerſa tamen de Phocione tradita eſſe a diuerſis ſcriptoribus, in quibus Timaeum fuiſſe probabile ſit, ſatis manifeſtum eſt, ſi Diodorum, et multo magis ſi Nepotem inſpiciamus. Non minus ſane his quoque iraſcendum, quod nec magis ab iis monitum eſt, aequales ne Phocioni, et quarum partium ſtudioſos, an ſerio-

f) Charetem aliquo loco, alio Durim Samium excitat pag. 749. E. in re parum memorabili. A Duri tamen in Ἑλληνικοῖς et Μακεδονικοῖς de Phocione narratum eſſe debuit.

res ſcriptores exſcripſerint. Iam vero illi, quos Nepos ante oculos habuit, ita tradiderant, vt *non modo patriae male eum conſuluiſſe, ſed etiam amicitiae fidem non praeſtitiſſe* dicerent; *Namque*, inquit, *auctus adiutusque a Demoſthene, eum quem tenebat, adſcenderat gradum, quum aduerſus Charetem eum ſubornaret:* (adeo partium ſtudium etiam in hac Demoſthenis amicitia agnoſcere licet) *ab eodem in iudiciis, cum capitis cauſſam diceret, defenſus, aliquoties liberatus diſceſſerat: hunc non ſolum in periculis non defendit, ſed etiam prodidit.* Potuit aliqua in his culpa Phocionis eſſe; potuit tamen nec minus nulla admitti ab Antipatro pro Demoſthene interceſſio. Quid ſi ciuitatis incolumitatem ſtare nullo alio modo intelligebat Phocion quam facibus iſtis incendii, Demoſthene et Hyperide, arma nimis imbecilla nunquam non in Macedones concitantibus, extinctis! Simili ſeueritate iam antea, cum Thebis excifis Alexander poſtularet, vt X. Oratores, in quibus Demoſthenes erat, ſibi dederentur, Phocion aequum erat ratus, vt pro rep. ſeruanda mortem vltro ſubirent: (Diod. XVII, 15.) id quod Demoſtheni aliter ſe habere viſum eſt. Saltem vbi certiora argumenta deſunt, ex indole et moribus hominis de eius factis iudicium facere licet; vti a Demade et aliis ſuae vanitati et vtilitati conſultum eſſe dicemus, etiam in rebus ſatis vtilibus ad remp., niſi de eorum conſilio meliora aliunde innotuerint.

Interea illud inficiari vix auſis, ſenem iam grandaeuum aut partibus Antipatri nimis ſtudioſum,

ſum, aut ſententiae pertinacem, conſilia meliora in iis quae ſequuta ſunt non admiſiſſe: quae vt excuſanda ſunt, ſi reputes, quam ardua res ſit, ſectam, quam per LXXX annos in rep. ſequutus ſis, eierare; non tamen in prudentiae et moderationis laude haberi poſſunt. Antipater moriens (Ol. CXV, 2. ante C 319) generoſo, vt probabile ſit, conſilio, Caſſandro praeterito, tutelam regum, Aridaei ſeu Philippi et Alexandri, cum adminiſtratione regni ad Polyſperchontem detulerat, virum rerum vſu et annis prudentem, ſed generoſi ſenſus expertem, ad miſeras artes et fraudes abjectum, nec regni ſed ſuae ſaluti intentum. Caſſander aegre ferens ſe a primo gradu deiectum de recuperanda dignitate conſilia iniit; cumque Graeciae ciuitates partim praeſidiis paternis teneri, partim hoſpitiis et amicitiis patris voluntates Graecorum ſibi fore deuinctas ſperaret: Graeciae ille primo loco imminuit, miſitque Nicanorem, qui Menyllo in Munychiae praefectura ſuccederet. Nuntiata mox Athenas Antipatri morte, exarſit populus in Phocionem, deditque crimini, *quod, cum factus eſſet ea de re certior, Nicanoris gratia reticuiſſet.* Haec ipſe Plutarchus (p. 755 extr. 756), hoc adiiciens, agendo et colloquendo cum Nicanore Phocionem eum facilem et benignum Athenienſibus praebuiſſe. Haec quidem geſta Olymp. CXV, 2. ante C. N. 319.

Polyſperchon, Caſſandri conſilia vt diſcuteret, Graeciae ciuitatibus libertatem popularem oſtendere, hocque pacto paucorum ab Antipatro conſti-

 tutum

tutum regimen antiquare animosque Graecorum a Caſſandro abalienare conſtituit; itaque vt ceteris Graecis (v. Diod. XVIII, 56), ſic Athenienſibus, pronuntiari iubet, remp. popularem iis reſtitui; omnes Athenienſes priſtinis legibus agere. Redeundi itaque poteſtas dabatur iis, qui quod minorem cenſum habebant, vrbe aut diſceſſerant aut vi in Thraciam traducti fuerant, omnesque omnino qui exulatum ierant: quo facto diſcordiis omnia miſceri neceſſe erat. In Phocionem inſidias has machinatum eſſe cenſet Plutarchus (p. 756. A. B.), ſed grauius erat conſilium regum tutori, vt Athenas et Graeciam a Caſſandri ſtudiis auocatam ſibi adjungeret. Facile tamen praeuideri poterat, turbam illam, pace cum Antipatro facta ſuffragiorum iure priuatam, nunc, vbi priſtinum ius ſuum recuperaſſet, primo ſtatim impetu in Phocionem eo eſſe vſuram. *g*) Acceſſit aliud, quod animos exaſperaret; cum enim audito regum edicto motus inter Athenienſes exiſterent, atque eſſent adeo qui poſtularent, vt Munychia deduceretur praeſidium (v. Diod. XVIII, 64): prudenti conſilio Nicanor, vt Caſſandro Athenas obnoxias retineret, non modo non ceſſit Munychia, verum etiam Piraeeum occupare ſtuduit. Hic vero manifeſta eſt apud ipſum Plutarchum (p. ead. C. D.) accuſatio Phocionis,

g) Hoc eſt illud quod Nepos hunc in modum parum commode enuntiauit: *Erant eo tempore Athenis duae factiones, quarum vna populi cauſſam agebat, altera optimatum. — Harum vtraque Macedonum patrimoniis nitebatur. Nam populares Polyſperchonti fauebant, optimates cum Caſſandro ſentiebant.* Etiam ſequentia parum accurate expoſita ſunt a Nepote.

cionis, qui neque admiſit amicorum monita et clamores populi, nec arma capere iuſſos Athenienſes aduerſus Nicanorem ducere voluit *h*). Fidem eum nimis validam habuiſſe Nicanori cenſet Plutarchus; nec minus tamen, ſi Phocionis bene cognitum habemus ingenium, ſuo ille iudicio ſuoque propoſito immanſiſſe videri debet, vt ciuitatem vel inuitis ciuibus ſeruatam mallet, quam reductis exulibus turbari praeuidebat, Polyſperchontis fraude bene perſpecta, qui et ipſe hoc ſpectabat, vt Athenienſes circumuentos regiae poteſtati ſubiiceret. Si tamen non ad conſilii prudentiam et vtilitatem, ſed ad legum praeſcripta haec exigeres: proditionis crimini implicuiſſe ſe videri debebat Phocion; quippe qui imperator creatus copias non ex decreto populi duxerat, ne Piraeeus caperetur.

Quod ſi Caſſander iam tum cum claſſe, quam mox ex Aſia adduxit, adfuiſſet: Athenae cum Phocione ſaluae fuiſſent. At enim cum regibus

h) Multo grauior accuſatio fuit apud eos auctores, quos Nepos ſequutus eſt: *Concidit autem maxime vno crimine, quod, quum apud eum eſſet ſummum imperium populi,* (στρατηγία) *et Nicanorem Caſſandri praefectum inſidiari Piraeeo a Dercyllo moneretur* (v. Plut. p. 756. C.) *idemque poſtularet, vt prouideret, ne commeatibus ciuitas priuaretur: huic, audiente populo, Phocion negauit eſſe periculum; ſeque eius rei obſidem fore pollicitus eſt. Neque ita multo poſt Nicanor Piraeeo eſt potitus. Ad quem recuperandum* (Plut. ad praeuertendum Nicanorem) *quum populus armatus concurriſſet, ille non modo neminem ad arma vocauit, ſed ne armatis quidem praeeſſe voluit.* Eumne, qui in ſummo reip. diſcrimine, cum in magiſtratu ſit, patriae non ſuccurrit, aliorumque conſilia ad remp. tuendam fruſtratur, a ciuibus ſuis proditionis argui mirabimur?

Polyſperchon in Phocidem progreſſus filium Alexandrum cum copiis praemiſit verſus Athenas, verbo contra Nicanorem populo Athenienſium ſuppetias venturus, et nouam democratiam obfirmaturus; re vero, vt vrbem, ſi facultas daretur, occuparet. Irrupere in vrbem exules et faex ciuitatis iterum remp. occupauit. Concio habita incondita et confuſa, in qua Phocioni imperio abrogato alii creati duces; et capi potuiſſet ab Alexandro ciuitas, niſi is, parum callide, cum Nicanore colloquio habito, ſuſpiciones de ſe feciſſet.

Agnonides rhetor confeſtim adortus Phocionem, proditionis eum eiusque factionem inſimulavit: e qua Callimedon et Pericles trepidantes ceſſerunt vrbe; Phocion cum aliis amicis ad Polyſperchontem conceſſit. Quid in hoc ſequutus ſit, aut quo conſilio homini ſe in manus tradiderit, quem ſibi infeſtum et eſſe debere et eſſe norat, haud facile aſſequare. Quod ſi enim ad Nicanorem confugere noluit, ne ciuibus ſuis tanto maiorem criminandi ſe facultatem daret: quocunque tamen alio praeſtabat exulatum ire *i*). Imprudentia itaque et conſilii inopia factum id ne arguas, alia aliunde argumenta petenda ſunt, quae tamen temporis

i) Ex amicis alii cum ipſo in eosdem laqueos ſe induerant; alii, in quibus Demetrius Phalereus, fuga ſibi conſuluerunt: Plut. p. 757 A. 758 C. Nepos l. c. Apud hunc, Phocion iam capitis damnatus a populo et vrbe eiectus ad Polyſperchontem proficiſcitur: *quo vt venit — cauſſam iuſſus eſt dicere — et iterum Athenas deductus eſt, vt ibi legibus de eo fieret iudicium.* Quam perturbatus hic eſt narrandi ordo!

poris iniuria inuidit. Nunc, quantum iudicare licet, lupo ſe credidit ouicula.

Alia narratio, eaque probabilior, etſi Phocionis probitati multo minus conſulens, eſt apud Diodorum (lib. XVIII, 65). Cum Athenienſes a Nicanore verba ſibi dari nec Munychiam cum Piraeeo ſibi reſtitui viderent: Alexandrum, Polyſperchontis filium, in Atticam copias ducentem eo cum conſilio aduenire putarunt, vt, quod ipſi vellent, efficeret. At ille non populo, ſed ſibi in belli vſus, Munychiam et Piraeeum occupare voluit. Phocion cum aliis, qui conſtitutam ab Antipatro ciuitatem tuebantur, legum poenas in noua democratia veritus, Alexandro occurrit, *et quid in rem ſit docendo auctor illi eſt, vt praeſidia ſibi retineat nec reddat Athenienſibus, donec Caſſander ſit debellatus.* Quibus obſequutus Alexander cum Nicanore ſermones facit. Quo animaduerſo populus comitiis tumultuoſe habitis magiſtratus praeſentes abrogat eosque partim capite partim exilio et facultatum publicatione plectit; inque his Phocionem. Hi ad Alexandrum confugiunt, eius ope incolumes ſe fore arbitrati: at ille eos ad patrem Polyſperchontem remittit.

Interea populus, ſeu turba Athenienſium, Agnonide rhetore, qui Phocioni infeſtus erat, ſuadente, Archeſtrato autem rogante, legationem miſit ad Polyſperchontem cum rege Aridaeo in Phocide ſtatiua habentem, ad accuſandum Phocionem. Cupiditate occaecatos homines agnoſcas et

in

in hoc, quod ciuem ſuum a rege damnari haud recuſarunt; niſi forte accuſatio eo facta, vt ad ſupplicium ille ſibi dederetur. Hic, cum tumultu et clamore conſilio habito, (de quo videndus Plutarchus p. 757. Diod. XVIII. 66. 67.) reiecta eſt cauſſa ad populum Athenienſium. Adductis in vrbem reis cuſtodia ſeptis a Clito Macedone, cum litteris a rege miſſis, quibus proditionis illi crimine conuicti arguebantur, comitia habita, ex nouae quidem ciuitatis lege et ratione admiſſis promiſcue omnibus qui pro ciuibus ſe gererent. Erat autem proditionis crimen inter ea, de quibus populi cognitio erat Athenis; itaque non apud iudices, ſed coram populo res eſt diſceptata: in quo cum maior nunc numerus eſſet eorum, qui Phocionis conſilio ſe ciuitate eiectos eſſe clamabant, dubitari iam tum non poterat, vtrius partis ſuffragia eſſent numero victura. Et iudicium quidem aut ſupplicium ipſum e Plutarcho adſcribere nolumus: apud quem nonnulla legi poſſunt, quae plebis exaſperatae furores ſatis arguunt *k*). Ceterum ex his manifeſtum fit, temporum iniuria multo magis quam hominum Phocionem in capitis periculum fuiſſe adductum. Multi fuere regum amici et adminiſtri in rep. gerenda, qui multo leuioribus criminibus ſupplicio et tormentis ſunt addicti. Communis ea generis humani calamitas eſt, vt, quoties ſeu diſſidia

k) Adde Nepot. 4. Alia apud Diodor. XVIII, 66. 67. Accuſationis libellus hic erat: quod poſt bellum Lamiacum ab his reis effectum eſſet, vt et patria ſeruitute eſſet oppreſſa et popularis adminiſtratio legesque ſolutae.

diſſidia ciuium in rep. ſeu populorum inter ſe diſcordiae exiſtunt, vtraque pars habeat, quo de alterius iniuria conqueratur, et vnde ſuae cauſſae praeſidia, nec conmentitia aut vana, petat. Vtra pars vicerit, eius cauſſa ſuperior facta eſt, non melior vel honeſtior ac iuſtior; at integritas et conſiliorum prudentia multis in vtraque factione communis eſſe poteſt. Phocion aduerſus leges commiſerat, cum ſaluti reip. ex ſua opinione, non ex reip. lege ac decreto, conſuleret, et damnationi ſuae eo ipſo cauſſam idoneam et iuſtam praeſtruxerat.

Atque haec quidem diſputata ſunto de cauſſa a Plutarcho obſcurata potius quam in luce collocata; digna tamen quae, quod poſteritas iure ſuo facit, in vtramque partem diſpecta et agitata eſſet. *) Vos autem, Ciues, cauſſa cognita animis illud ſaltem tenete ac reputate, quanto prouidentiae diuinae beneficio noſtra vita in ea tempora inciderit, in

*) Nec accuſare Phocionem nec defendere conſtitueram, cum iſta ſcriberem; tantum id agebam, vt viderem, quaenam rerum momenta in eius cauſſa ineſſent, et quomodo illa e legibus Atticis eſſet acta ac iudicata. Nullum animi iudicium praeconceptum aut ſtudio vel ira inflexum attuleram; appoſueram tantum ea, quae ſecundum ſcriptorum fidem et auctoritatem, et rerum, hominum temporumque rationes, probabiliter diſputari poſſe mihi viſa erant: ita enim critices in rebus hiſtoricis diſpiciendis praecepta ferre audieram. Itaque absque omni cupiditate ac ſtudio, niſi veri videndi, ad haec acceſſeram. Cum tamen facile feram, vt alia aliis probabiliora videantur: liberum per me eſto vnicuique de his ſtatuendi arbitrium, ſi quidem cauſſas ac rationes probabilitatis potiores ſe habere putauerit: quibus et ipſe concedendum eſſe exiſtimabo, ſi potiores eas eſſe intellexero.

in quibus vt nec magnae virtuti, ita nec magnae calamitati locus ſit; ad priuatae fere vitae vt virtutem ita felicitatem noſtra ingenia, mores, diſciplinam publicam priuatamque, iura publica priuataque, res diuinas et humanas, eſſe attemperatas videtis. Ad hanc itaque virtutem, ad hanc felicitatem enitimini; via quidem haud ardua per litterarum ſtudia praeſcripta iis, qui ſeu loco, quo nati ſunt, ſeu ingenio, ſeu honeſtate et induſtria, tanquam viaticis inſtructi, eam ingrediuntur.

P. P. Kal. Januariis cIↃIↃccLXXXVII.

XXI.

XXI.

ACADEMIAE GEORGIAE AVGVSTAE
PRORECTOR

IO. NIC. MÖCRERT D.

CVM SENATV
CIVIVM SVORVM
QVI
IN CERTAMINE LITTERARIO
IN A. D. IV JVNII
REGIS NOSTRI AVGVSTISSIMI
NATALEM
CONSTITVTA EIVS MVNIFICENTIA
PRAEMIA
ORDINVM ACADEMICORVM IVDICIO ABSTVLERVNT
NOMINA
SIMVLQVE
COMMENTATIONVM
QVAE
AD CERTAMEN IN A. D. JVNII IV. ANNI FVTVRI LXXXVIII. HABENDVM
ADMITTI VOLENT

ARGVMENTA

AB ACADEMIAE NOSTRAE ORDINIBVS
PROPOSITA
PROMVLGAT
M. JVNIO CIƆ IƆ CCLXXXVII.

Si inter perfectos homines viueremus, locum forte haberet illud a Stoicis petitum, quo virtus ſibi ipſa ſola et vnica merces eſſe dicitur: quicquid

quicquid enim recte, quicquid praeclare ſeu conſultum ſeu ſuſceptum ac geſtum eſt, ex conſcientia recte facti voluptate animum perfundit. Cum tamen ſenſus ille veri, recti et pulchri, non niſi ab animi habitu, ad quem te compoſueris, proficiſcatur: ad intelligendum in promtu eſt, antequam ille habitus indutus animo fuerit, voluptatem illam eiusque ſenſum haud magnum eſſe poſſe; vel ſic tamen ad virtutem multo cum labore enitendum eſſe, ac deuorandas tolerandasque moleſtias omnis generis, ab omnium ſaeculorum ſapientibus viris eſt decantatum, cum arduam eſſe viam ad virtutis arcem dicerent; multa eſſe ferenda ac facienda; eſſe ſudandum et algendum; eſſe ſuſtinendum et abſtinendum. In hac rerum conditione pauca erunt ingenia, aut naturae beneficio tam felicia, aut praeclara inſtitutione tam bene nutrita, vt curſu concitato nec intermiſſo ad arduam illam Sapientiae, hoc eſt, Veri ac Recti arcem contendant et enitantur. Vt ideo naturae humanae imbecillitati ſuccurratur, quae non excogitata ac tentata ſunt! Hortatu ac monitu ingenia iuuenilia excitanda eſſe, recte iudicatum eſt. Alii verberibus ac flagellis, poenis ac poenarum minis, vt arduam viam emetirentur, iuuenes impellendos eſſe cenſuerunt; non aliter ac ſi ſeruos aut iumenta ad opus faciendum inſtigarent, at non ingenia et animos fingerent et voluntates flecterent. Alii ſatis feciſſe ſuis partibus putarunt, ſi praeceptis viae ineundae tradendis pulmones et latera ruperant; alii deuerticula et amoena loca prouidere, quibus ex proſpectu oſtenſis inuitati animi aſpera et confragoſa

loca

loca perrumperent. Inter haec medium tenere videri debent ii, qui potentiſſimum ad ſubeundas exantlandasque doctrinae virtutisque parandae aerumnas incitamentum eſſe putarunt praemia honoris et laudis propoſita. Cum enim ſine labore ac moleſtia nulla nec corporis nec animi perficiendi ratio excogitari poſſit, adeoque ad vires amplificandas ſeu intendendas, quicquid auxilii polliceri poſſumus, referendum ſit: cum ipſa rerum et animorum natura nihil magis conſentaneum eſſe videtur, quam vt boni alicuius fructu ex proximo, antequam ipſam arcem expugnaueris, propoſito incendatur ſtudium, quo altius enitaris. Multo autem magis hoc incitamento indigere videri debemus hac vita, hoc ſaeculo, hac aetatis parte, qua luxurie tanquam peſte omnia afflante emollita ingenia laborem ac moleſtiam refugiunt. Quo magis celebranda eſt munificentia Regis noſtri Auguſtiſſimi, qui antequam iſta mollitie et luxuria contagio noſtrorum Ciuium ingenia corrumperet, intactos adhuc animos praemiis propoſitis firmare, ad feliciorem et intentiorem curſum incendere et ad tanto maiora audenda inflammare voluit; Etſi conſilium ea in re propoſitum eſſe debuit haud vnum: nam et reip. multum intereſt, vt eorum, qui in ſtudiis litterarum excellant, vbi tempora poſtulent, notitia habeatur facilis et expedita; ita enim qui ad genus quodque rerum ac curarum maxime idonei ſint, non diu quaerendi ſunt, nec iudicium de iis eſt praecipitandum. Ad vos autem, Commilitones, quid tandem veſtris ipſorum votis expetendum videri potuit maius, quam quod, cum

iam in forum ac vitam producenda ſint ſtudia veſtra, data vobis eſt facultas cum experiendarum virium, tum acquirendae laudis et faciendi de veſtris ingeniis ſtudiisque iudicii. Ominamur itaque et auguramur, cum noſtrae almae Georgiae Auguſtae celebritas inprimis ex induſtriae vigentisque inter docentes et audientes pari laude ſtudii profecta ſit, etiam haec inter vos ingenii et induſtriae certamina ad laudem illam et profectam inde celebritatem tuendam magnam vim eſſe habitura. Spesque illa erit tanto certior atque firmior, quanto propius accedent conatus veſtri ad bonam laudem eorum, qui praeſenti hoc certamine ſuorum profectuum ſpecimina ad nos attulerunt. Quod enim praefiſcine dictum ſit, nullus inter eos, qui ad certamen deſcenderunt, fuit, qui non laudem virtutis et doctrinae meruerit. Verum haec ſigillatim vt cognoſcatis, nunc, ordine erunt exponenda, quae de ſingulis quaeſtionibus ad certamen propoſitis, de ſcriptis ad concertandum miſſis, tandemque de iudicio ſuper iis, conſtituendisque praemiis, commemoranda habemus.

In hunc itaque annum inque Regis noſtri Auguſtiſſimi diem natalem, quem votis ſacrisque ſollennibus celebramus, ſuperiore anno conſtitutae ac promulgatae quaeſtiones erant hae:

Ab *Ordine* quidem *Theologorum:*

„Quaenam fuit vera et certa eorum, qui medio ſecundo atque ineunte tertio ſeculo praecipue floruerunt, Patrum, maxime vero Juſtini Martyris, Athenagorae, Tatiani, Theophili Antiocheni,

cheni, Clementis Alexandrini, Tertulliani denique, de ratione ſiue relatione Filii cum Patre ſententia? Id vero ita oſtendi debebat, vt,

1) Quid ſenſerint iſti Patres, ex ipſis eorum ſcriptis proferretur, atque iſtos etiam vere ita ſenſiſſe, iuſtis quidem argumentis ex vſu linguae, ex nexu locorum, ex reliqua opinionum, quas alebant, hiſtoria euincatur; nec tamen ideo lis vlli eruditorum moueatur, quibus aliter forte ſenſiſſe illi viſi ſunt. Tum vero,

2) Sententiis iſtorum inter ſe collatis, quid commune omnibus quidque proprium cuique ſit, vel videatur proprium, accurate examinari, cauſasque diſſenſus, ſi quis intereſſe, et ſi quae afferri poſſe videbantur, oportebat afferri, tentarique tamen, num origo omnium ex vno fonte deducta nihilo minus poſſet demonſtrari. Denique

3) Illae etiam cauſae, quantum fieri poterat, perſpicuae explicandae erant, quibus inducti Patres huius aeui ſententiam iſtam non quidem fidei ac doctrinae eccleſiaſticae, at ſuae tamen Theologiae inferebant, adeoque inprimis explicandum, quid praeſtare vſus in informanda doctrina de Trinitate et poterat et poſſe ex illorum iudicio videbatur.„

„Ordini Theologorum praeter exſpectationem quidem accidit, vt, vnico excepto, omnes, quibus quaeſtio iſta ſuperioris anni propoſita fuerat, vel defugiſſe concertationis laborem vel deſperaſſe praemium viderentur; non enim niſi vnus inuentus

 eſt,

eſt, qui oblato ſpecimine rem, cui experiundae multorum vires haud impares fore videbantur, tentauerit. Verum, vt vix concurſus plurium deſideraretur, vnus ille effecit, tali exhibito ſpecimine, quale exſpectari a paucis poterat. Quod igitur auctor libelli inſcripti verbis Hilarii:

> *Optimum eſſe lectorem, qui dictorum intelligentiam exſpectet ex dictis potius, quam imponat, et retulerit magis quam attulerit, neque cogat id videri dictis contineri, quod ante lectionem praeſumſerit intelligendum —*

omnibus iis ſatisfecit, quae non poſtulari tantum ſed ſperari etiam in iſto iuuenilium virium conflictu poterant; quod que idem in tractanda quaeſtione propoſita tantum eruditionis quantum in inſtruenda acuminis; quod in colligendis, quae ad illuſtrandam quaeſtionem pertinebant, tantum ingenii, quantum in omittendis, quae omitti ſine damno poterant, maturi iudicii; quodque in re hiſtorica tantum dilectus ſeueri in lectione, quantum virilis abſtinentiae in fugienda oſtentatione multae lectionis adhibuit oſtenditque: eas omnes ob cauſas Ordo Theologorum optime merenti praemium extra pugnam lubens decreuit atque adiudicauit.„ Schedula aperta nomen lectum eſt:

Joannes Georgivs Arnoldvs Oelrichs,
Hannoveranus.

Ab *Ordine Iureconſultorum* propoſita erat quaeſtio:
„Emigrationem ciuium prohibere vel circumſcribere, an, et quatenus, fas ſit?„

„Sex redditae erant commentationes, his praeſcriptis dictis inſignitae:

I. Haec

I. *Haec ſunt fundamenta firmiſſima noſtrae libertatis, ſui quemque iuris et retinendi et dimittendi eſſe dominum.* Cic.
II. *Fas mihi non habiles, et fas tibi, linquere Colchos.*
III. *Salus populi ſuprema lex eſto.*
IV. *Non fumum ex fulgore, ſed ex fumo dare lucem.*
V. *Nec timide nec temere.*
VI. *Fas mihi non habiles, fas et tibi, linquere Colchos.*

„Egerunt omnes id, vt quaeſtionem maxime ex principiis iuris publici vniuerſalis enuclearent: et pleraeque omnes libertati ciuium iuſtum ſtatuerunt pretium, quarta reſtrictam ex regula facultatem emigrandi exponit. Agnouit Ordo vim ingenii et induſtriae, quam ſingulae commentationes prodiderant. Inter eas tamen argumentorum apparatu, quo haec quaeſtio, habito ciuium et incolarum diſcrimine, tractata eſt, et ipſo ordine ſcribendi, et oratione, primum locum mereri viſa eſt illa, cui inſcripta ſunt verba:

Haec ſunt fundamenta firmiſſima noſtrae libertatis, ſui quemque iuris et retinendi et dimittendi eſſe dominum.

cui Ordo et praemium regium decreuit.

Locum *alterum* a priore aſſignandum eſſe cenſuit *vtrique commentationi*, quae eodem ſymbolo Nr. II. et VI. inſignita eſt,

Fas mihi non habiles, et fas tibi linquere Colchos.

quarum prior ipſa rerum expoſitione, poſterior orationis cultu ſe commendat.„ Victricis Commentationis auctor pronuntiatus eſt

Fridericvs Hirsch, Goslarienſis.

Qui autem ſecundo ac tertio loco laudem reportarunt, ſunt

Jo. Detlef de Hammerstein, Hannoveranus; et Jo. Frid. Gvill. Schlegel, Havnienſis.

Ab *Ordine Medicorum:*

„An, vti oſſium in caſu fracturae complicatae, cariei etc. ita etiam partium mollium in caſu vulneris, perditam ſubſtantiam natura humana reſtituit? An itaque vulnera noua carne replet? Si affirmatur, quaerimus: an caro illa alia ex membranis, alia ex oſſibus, alia ex muſculis, alia ex tendinibus naſcatur? An itaque naturam partis habeat ex qua naſcitur? An vero eadem ſit, ex quacunque parte demum nata? An omnes vel quasdam tantum partes reſtituat natura? An in omnibus vel quibusdam tantum caſibus? Qua ratione ars regenerationem hanc coercere, iuuare, moderari poſſit? — Si negatur, vulnera noua carne repleri, quaeritur, quonam modo claudantur vulnera variarum partium, e. c. oſſium, cerebri etc.„

„Commiſſa ſunt certamine hoc *medicae ſcientiae* alumnorum ſcripta tria: *primum* ſignatum verbis:

Naturam ſequi, artique impendere vires.

alterum: Non velle videri verus, ſed eſſe.

tertium: ἡ δε πειρα σφαλερη.

Quorum *primum* illud ordine luculentò et perſpicuitate ſe commendat, tum lectione eorum, quae ab aliis in hoc genere ſcripta ſunt, cum iudicio mentis ſubacto inſtituta; quo factum eſt, vt multa ab aliis obſeruata bene perſpexerit auctor et in ſuam rem conuerterit; interea et ipſe experimenta

menta multa inſtituit accurate eaqùe explorate ac diligenter perſcripſit. *Alterum* tamen inſcriptum: *non velle videri* — plura experimenta idonea, magna cum varietate, diligentia ac cautione facta, affert, quae ſagacitatem ingenii et acumen iudiciumque ac ſubtilitatem in obſeruando et experiundo, ac videndo, quid inde colligi et elici poſſit, produnt eximiam; vt tamen nec lectione vacet ſcriptum quam res et conſilium poſtulabat. *Tertium* ab ingenio profectum eſt haud mediocri, quod, aliorum ductus impatiens, ſibi ipſum viam munire mallet; ſunt in eo nonnulla recte obſeruata, et, quae ex obſeruatis ſequantur, acute animaduerſa; etiam ea, quae auctor lectione cognita habuit, acri cum iudicio ſunt explorata et ad res ſubtiliter translata: deſideratur tamen omnino cura et circumſpectio in experiundo, tum diligentia ſeuerior ſiue in deſcriptione, dilectu, copia ac varietate experimentorum quae ipſe inſtituit; ſiue in colligendis ac diſpiciendis rebus ac factis, quae in aliorum ſcriptis occurrunt, ad rem, de qua quaerebatur, idoneis et cognitu neceſſariis, ſi id agebatur, vt quod verum eſſet, perſpiceretur.

Quae cum ita ſint, Ordo medicus principem locum cum praemio aſſignauit Commentationi Nro. II. inſcriptae verbis: *non velle videri verus, ſed eſſe*; *acceſſiſſe* autem proximo loco ad illam iudicat ſcriptum Nro. I. *naturam ſequi artique impendere vires.*„

Victoris nomen publice renunciatum eſt:

OTTO HVHN Curonus.

 Eius

Eius autem, qui ſecundo loco palmam eſt adeptus, nomen eſt: Andreas Jo. Georg. Murray, Gottingenſis.

Ad quaeſtionem a *Philoſophorum Ordine* propoſitam nunc accedimus:

„Orbis terrarum faciem, qualis depingitur ab *Homero*, declarare: hoc eſt, ex vtroque poetae principis opere, tam Iliade, quam Odyſſea, quicquid iis geographici argumenti continetur, diligenter ac plene colligere, ita, vt, Homero duce, per tres orbis partes eatur, et, quae de ſingulis regionibus, earumque populis, montibus, fluuiis, maribus lacubusque, vrbibus, oppidis cet. ab Homero commemorata ſunt, Geographorum more in vnum congerantur. Obſcurioribus poetae locis quum ſaepe lucem affundere poſſit *Strabo*, perpetuus Geographiae Homericae interpres; bene recteque agent de praemio certaturi, ſi Strabone, quotiescunque ipſa res poſtulatura ſit, ad Homerum explicandum vtantur. Ita exiſtet, vt ſperamus, aliqua *Homeri Geographia*, qua hucusque aegre caruerunt tam Hiſtorici quam alii litterarum antiquiorum interpretes.„

Erat quidem quaeſtio ita comparata, vt profectus ſtudiorum nonnullos, doctrinaeque apparatum, cum aſſiduitate inueſtigandi ea, quae ad conſilium facerent, haud vulgari, poſtularet. Contigit tamen, quod vix ſperare auſi eramus, vt prodirent in arenam quinque athletae animis viribusque omnes inſignes, ita vt nullus ex iis eſſet, qui non praemio

praemio dignus videri poſſet, ſi ſolus certaſſet; adeoque laus quidem et commendatio ingenii, doctrinae et induſtriae, omnibus ac ſingulis communi iudicio deberi viſa eſt; erat tamen certamen comparatione inter eos facta diiudicandum, et videndum, qui et qua in re alii aliis excellerent.

Scripta ab iis exhibita his lemmatibus inſignita erant:

I. *Nec tam turpe fuit vinci, quam contendiſſe decorum.*
II. *Olim meminiſſe iuuabit.*
III. *In rebus tam antiquis ſi, quae ſimilia veri ſint, pro veris accipiantur, ſatis habeam.* Liv.
IV. ἡμεις δε κλεος οιον ακουομεν ουδε τι ιδμεν.
V. Ενθα και εμος Φιλος ὑιος κρατερος και αμυμων.

„Quae ad *geographiam Homericam* conſtituendam poſtulabantur, ſpectabant primo ad *enumerationem iuſtam cui nihil deeſſet*, tum vero ad *diſpoſitionem ac deſcriptionem more geographorum factam*. Enumeratione cumulate et accurate facta probandi fuere omnes; etſi in Nro. V. plura ſe offerrent partim ex Homero partim ex aliis ſcriptoribus bene animaduerſa et ad illuſtrationem idonea. Maius occurrebat diſcrimen in altero illo, quo iudicii inclinari debuit trutina: *Geographico more* recenſum et deſcriptionem inſtituerunt tantum duo, Nro. I. et V. vt ab Occidente initio facto terrarum orbem permearent; reliqui tres ordinem Homericum ſequuti ſunt, a Catalogo enim nauium facto principio, reliquas terras ita ſubiiciunt, vt, ſi ex geographica ſubtilitate rem aeſtimare velis, certum et ad iuſtas rationes inſtitutum ordinem, quem ſequantur, non habeant; etſi per ſe opera illa haud improbanda ſit, qua a notioribus proceditur ad terras minus

 notas,

notas, et in Homero illuſtrando reprehenſionem habere nequit, ſi Homerum auctorem cum maxime ſequaris. Habet tamen etiam ex his vnusquisque praecipui aliquid: No. II. anemologiam praemittit; idem, quo ſenſu πόλις et νῆσος in Homero accipienda ſint, monere haud oblitus eſt, adiecitque indicem geographicum; promiſit quoque mappas tres geographicas, quae maris mediterranei inſulas et littorales plagas, Aſiam minorem ac Graeciam, ad Homeri ductum oculis ſubiicerent: quas vt ille perficiat et euulget, auctores ipſi ſumus ac ſuaſores. De Oceano egere No. III. et IV. quorum prior ille etiam conſpectum orbis terrarum ex Homero praefixit, a Catalogo nauium per errores Vlyſſis et Menelai enumerationem locorum commode deduxit; an extra Columnas Herculis Oceanus Homero innotuerit, idem bene quaeſiuit, item de Boſporo Cimmerio. No. I. ordinem geographicum amplexus, Peloponneſum diſerte ſatis deſcripſit, mappa quoque geographica adiecta; omnino diligentiae laudem abſtulit, pleraque tamen iudicio aliorum magis quam ſuo conſtituit. No. IV. etſi ordinem geographicum ſeueriorem haud eſt ſequutus, cum iudicio tamen et dilectu ea, quae collegerat, diſpoſuit; Catalogi nauium partes eſſe quinas vnus perſpexit; mappam geographicam ex d'Anvilliana adornatam adiecit. No. V. ordine geographico ſeruato, et enumeratione ſatis locupleti adiecta, litterarum quoque graecarum copias, comparatione cum ceteris facta, maiores et accuratiores iudicibus approbauit; praeſtare quoque viſus eſt ſermonis latini puritate et proprie-

proprietate ſcribendique cura. Mythica tamen appoſuit, de quibus nunc non quaerebatur; locorum etiam graecorum et verſuum laudatorum copiam nimis cumulatam: plerumque ſatis erat ſententiam ac ſummam rerum exponere, ſi in verbis nihil eſſet, quod probandi vim haberet.

Quibus ita conſtitutis, Ordinis philoſophici iudicio *primas* tenere viſa eſt commentatio *quinto* loco commemorata:

ενθα και εμος φιλος υἱος κρατερος και αμυμων.

et ei aſſignatum praemium regium: pronuntiatumque eſt auctoris nomen

CAR. TRAUGOTT GOTTLOB SCHOENEMANN
Islebienſis, Seminarii philologici Sodalis.

Acceſſiſſe autem *proximo* loco ad praemium, laude autem par eſſe, viſa eſt ſcriptio quarta:

ἡμεις δε κλεος οιον ακουομεν ουδε τι ισμεν:

cuius auctor profeſſus eſt nomen AVGVSTVS WILHELMVS SCHLEGEL, Hannoueranus, Seminarii philologici Sodalis.

Tertia palma aſſignata Commentationi *primae* verbis inſcriptae: *Nec tam turpe fuit vinci quam contendiſſe decorum,* auctore HERMANNO SCHLICHTHORST Bremenſi. Cum *elogio* et commendatione diligentiae et litterarum commemoratae fuere reliquae duae II. et III. Ita Virgilianis verſibus vti licebit: *Accipite haec animis laetasque aduertite mentes: Nemo ex hoc numero mihi non donatus abibit!,,*

Praeconio noſtro pronuntiata audiſtis, Commilitones, nomina eorum, qui ingenio, doctrina et ſtudio ſuo meruere, vt praemio regio tam honorifico

norifico ornarentur publice; aliud tamen praemium nec minus inſigne et inuidendum reportarunt, laudem publice in illuſtri conſeſſu Sereniſſimorum Principum Regiorum M. Britanniae, Celſiſſimorum Principum et Comitum, inter tot ac tantos arbitros ac teſtes virtutis. Macti vero virtute, Iuuenes praeſtantiſſimi, macti, inquam, virtute eſtote, et, huius illuſtris et ad totam veſtram vitam memorabilis diei memores, ingenii animique vires intendite, ne parto hodierno decore vnquam excidatis, ne vos hoc praemio indignos vlla vnquam dies arguat; contra annitendum vobis eſſe putate omni ſtudio et opera, vt, cum ſemel ceteris eminere viſi et publice iudicati ſitis, ita per reliqua ſtudiorum academicorum ſpatia, per totum vitae, munerum et officiorum, decurſum, qui vos aliquando excepturus eſt, eminere inter alios et virtute, ſcientia, peritia, induſtria, ingenioque ad omnia habili excellere videamini; vt animis veſtris infixum ſemper habeatur notum illud: *Αιεν αριστευειν και ὑπειροχον εμμεναι αλλων.* Verbo, operam date, vt ne vnquam arbitros ac iudices veſtros, eosdem praeceptores et amicos, iudicii de vobis ſui poeniteat.

Supereſt, vt quaeſtiones in annum futurum LXXXVIII. proponendae nunc publice recitentur.

Conſtituta eſt ab ORDINE THEOLOGORVM quaeſtio haec:

„*Quae voce luxus vulgari loquendi modo comprehendi ſolent*, (antiquam enim vocabuli huius, aeque ac *luxuriae*, vim morum diſſolutionem et intemperantiam

perantiam

perantiam cupiditatum, luxatarum quaſi ac ſolutarum, denotare conſtat) *num licita ſint e legibus diuinis, praeſertim in libris ſacris promulgatis an illicita?*

„In tractando hoc argumento ſumma praeſertim follertia definiendum eſt, *quid ſit luxus?* ne in vanam ſuper verbis altercationem exeat diſputatio. His itaque limitibus circumſcribi debet tractatio, vt inquiratur in haec: num lautitia, deliciarum ac magnificentiae vſus omnisque ſumtuum profuſio, curioſitas et elegantia, omnino ſit reprehendenda ac deuitanda, an certo reſpectu? et quonam?

Deinde luxuriae hiſtoriam ſedulo diſpicere oportebit iudicem, vt habeat, quonam eius honeſtas vel turpitudo determinari poſſit. Indagandi igitur ſunt luxus effectus ſpontanei ac fortuiti; quaenam inde neceſſario exiſtant commoda vel damna? referatne celebris illa genealogia a Platone ingenioſe excogitata, pulchreque prolata, luxus comites perpetuos et indiſſolubiles: ita vt ἡ πολυτελεια ſemper gignat ac neceſſario τον τυφον και την τρυφην; atque ab his nunquam non procreentur ὑβρις και παρανομια και αναισχυντια?

Sedulo praeterea diſtinguenda eſt profuſa ſplendidaque ſumtuoſitas, reſpectu ad ſingulos homines atque ad integras respublicas habito.

Quibus rite peractis, tandem argumenta ſententiae ferendae a tribus hisce fontibus, nempe naturae conformatione a ſummo numine facta, luxus effectibus, atque ex legibus dei ſcriptis hauriri debent.„

Ab

Ab ORDINE IVRECONSVLTORVM:

„*Ex moribus Germanorum, Iure Communi, Legibusque Imperii exponere, Vtrum ciui S. R. I. in exteras oras, vel ciui certe territorii Germaniae in aliud territorium, emigrare fas ſit, et an et quatenus facultas emigrandi ratione perſonarum aut bonorum circumſcripta ſit?*

Quaeſtio ORDINIS MEDICI:

„*Quum tantopere interſit medicorum, noſſe calculi principia, eaque ſine dubio non raro a deprauata vrinae mixtione pendeant, optat Ordo medicus, vt ex iuſta vrinae ſanae, propriis experimentis ſuffulta analyſi, quantum licet, determinetur, quaenam vrinae vitia, hanc eius partium mixtionem ſpectantia, ſabulo renum calculoque originem praebeant, et quaenam exinde conſectaria, tum in praecauendo, tum in ſanando hoc malo proficua, fluant.*

Ordini philoſophico ſingulari aliquo munificentiae Regiae exemplo contigit, vt in annum futurum bina praemia diſtribuenda adeoque binas quaeſtiones proponere poſſit. Grati itaque et nos beneficium hoc Regium agnoſcimus et vos agnoſcetis, Commilitones, quandoquidem nunc laudi reportandae et praemio conſequendo duplex facultas et opportunitas vobis, qui in litteras exquiſitiores, hiſtorici inprimis, geographici et antiquarii generis, incumbitis, eſt propoſita: nec erit conquerendum, quae noſtram aetatem incuſandi alias cauſſa ſatis iuſta habetur, litteris eruditioribus, et plus ingenii acuminis et ſtudii ſibi poſtulantibus, nulla conſtituta eſſe praemia ſatis digna.

Propo-

Propoſita igitur eſt ſtudiis veſtris, Commilitones, *quaeſtio alia ordinaria, alia extraordinaria.*

ORDINIS PHILOSOPHICI
quaeſtiones in Iun. IV. cIↄIↄccLXXXVIII. propoſitae.

Ordinaria quaeſtio eſt:

Geographia Africae Herodotea, h. e. *notitia Africae geographica ex Herodoto conſtituta; ita vt populi ac regiones ab eo commemoratae probabiliter geographico more finiantur ac deſcribantur; adiunctis ex aliis ſcriptoribus non niſi iis, quae ad illuſtrationem facere poſſunt; Aegypti ſummatim tantum ratione habita.*

Ad lectionem et interpretationem Herodoti ſummam operae redire videtis, exactis ad geographicas rationes et geographico more conſtitutis iis, quae libris IV. et II. et nonnullis aliis in locis tradita ſunt. Comparatio inſtitui poterit cum Diodoro Siculo et Salluſtio. Ex recentioribus peti forte nonnulla ad illuſtrationem poterunt, vt ex Bocharto et d' Herbelotio; ex Leone Africano et qui eum ſequitur Marmol, Dapper etc. Ludolf; tum ex Shaw, Höſt, de Chenier etc.

Quaeſtio extraordinaria
in Iun. IV. cIↄIↄccLXXXVIII

Fabuloſam Argonautarum Geographiam ex veterum, tam integris, quae ſuperſunt, monimentis, quam deperditorum fragminibus, eruere: diverſas, ex diverſorum mente, itineris vias proſequi: regiones denique et vrbes, quas in expeditione acceſſiſſe dicuntur Argonautae, accurate determinare, et ad hodiernam iſtius tractus faciem reuocare.

In

In promtu ſunt copiae, quibus ad pertractandum argumentum per ſe non admodum copioſum vti licebit. Praeter Apollonium Rhodium, Orphica et Valerium Flaccum, petetis reliquarum rerum notitias ex Apollonii Scholiis, Apollodoro et Notis in eum ſcriptis, et ex iis, quae cum in his tum in Groddeckii Commentatione ſuper Argonauticis Apollonii laudantur.

Indictum eſt certamen in diem IV. Junii anni proximi LXXXVIII. praemia ſunt quina, ſingula XXV aureorum ducatorum pondo, eo, quem audiuiſtis, modo adiudicanda; ſcriptiones quae ad commiſſionem admitti volent, *ante Kalendas Apriles* eius anni vt redditae ſint, curabitis. Leges certaminis etſi neminem veſtrum latere poſſunt, ex edicto tamen anni LXXXV repetemus has: „Licebit in certamen prodire omnibus in litterarum ſtudio prouectioribus, ſeu indigenae illi ſint ſeu exteri, nec fraudi erit, ſi qui ante illum diem, quo praemia victoribus aſſignabuntur, ſtudiorum curriculo abſoluto, Gottinga diſceſſerint; modo ipſi ante diſceſſum ſcripta ſua reddiderint, et in ſcheda obſignata ſeu locum, in quem ſe contulerunt, adſcripſerint, ſeu amicum negotii ſui geſtorem, e quo illud comperiri poſſit, reliquerint. Oratione vtentur Latina, eaque vt ſit pura, terſa, perſpicua, curabunt. Ne auctores commentationum, quae Prorectori, Decano, aliiue Profeſſori reddentur, vllo indicio ſe prodant, diligenter cauebitur.„

His

His peractis ad diei ſollennia reditum eſt, inque Regis Indulgentiſſimi natali ſollennia vota ac preces ad Deum O. M. factae, vt huius ipſius beneficii munificentiſſimum auctorem omnibus iis bonis beet, quorum fructus vitam reddere poteſt iucundiſſimam. Eiusdem curae ac tutelae mandata ſunt Regiae indulgentiae ac beneuolentiae in hanc Academiam pignora, florentiſſimi tres Iuuentutis Principes, Auguſtiſſimi Parentis Proles fauſtiſſima.

Quae omnia vt ex voto Regis Indulgentiſſimi, et ad Academiae noſtrae felicitatem et proſperitatem eueniant, precabimini nobiſcum omnes ac ſinguli. P. P. in Georgia Auguſta m. Junio cIↃIↃccLXXXVII.

XXII.

ACADEMIAE GEORGIAE AVGVSTAE

PRORECTOR

IO. NIC. MOECKERT D.

CVM SENATV

SVCCESSOREM

IN

MAGISRATV ACADEMICO

AVG. GOTTL. RICHTER D.

CIVIBVS SVIS

COMMENDAT

INDICTIS SOLLENNIBVS

IN A. D. II. JVL. CIↃIↃCCLXXXVII.

Rerum Cherſoneſi Tauricae memoria breuiter expoſita.

Magiſtratus academici vice ſemeſtri ab Ordine ICtorum nunc ad Ordinem medicum properante, deſignatus eſt nouus Prorector Vir Experientiſſimus, Collega coniunctiſſimus,

AVG. GOTTL. RICHTER D.

Sollennia itaque in craſtinum diem indicimus, Ciues, quibus ille magiſtratus inſignibus ornatus prodibit

prodibit nouique muneris auſpicia faciet, quae vt fauſta et ſecunda ſint, et ipſi ex animo precamur, et Vos, Principes Sereniſſimi, Comites Illuſtriſſimi, omnesque quotquot ſacris Muſarum litatis et Georgiae Auguſtae tanquam commune templum frequentatis, vt noſtris votis faueatis, ita rogamus, vt inter pietatis non minus in almam noſtram matrem, Georgiam Auguſtam, quam inter beneuolentiae et amoris pignora habituri ſimus hoc, quod vel humanitas veſtra et facilitas noſtris precibus eſſet impertitura.

Hoc erat primum, Ciues, quod, cum hanc tabulam publice proponendam meditaremur, nobis agendum eſſe intelligebamus; alterum, vt aliqua de re ad communes litteras ac ſtudia ſpectante praefaremur, eoque ipſo teſtatum faceremus, agi haec, in quibus verſamur, munia academica inter homines litteratos, liberaliter inſtitutos, qui variarum litterarum notitiis ingenia ornata, nec vni arti ac ſcientiae, opificum more, ita intentos animos habeant, vt faſtidio ſibi placeant reliquarum litterarum, quae humanitatem mentibus inſtillant, ſenſum recti ac pulchri ex rerum veritate, non ex opinione vulgi, iis induunt. Non igitur rem aut vanam et inanem, aut a communibus ſtudiis alienam, acturi putabimur, Ciues, ſi apud vos, etſi in tanta litterarum, quibus vacatis, diuerſitate ac varietate, re ex hiſtoriarum penetralibus prolata, *de Cherſoneſi Tauricae antiquitate fortunaeque viciſſitudinibus* nonnulla exponamus; cum aures noſtras ſuperioribus annis ſaepius pepulerit Cherſoneſi Tauri-

 cae

cae commemoratio, hoc ipſo vero anno variis ſermonibus iactata profectio Auguſtae Ruſſiarum, deductioque Imperatoris Ioſephi in eandem peninſulam; et haud dubie inter mirandas rerum viciſſitudines referendum ſit hoc, quod ante paucos annos vix animo fingere licuiſſet, fore vt Auguſtus et Auguſta e diuerſis ſedibus, amicitiae ſanciendae cauſſa, confluente ex omni Europa cum legatorum tum aliorum hominum turba, eo cum ſplendore ac faſtu, quem vix olim Aſia vidit, congrediantur in littore Ponti Euxini, inter barbaros, quorum maiores a multis inde ſaeculis vtriusque imperii prouincias ac terras aut graui dominationis iugo oppreſſerant aut incurſationibus infeſtauerant, Ruſſiam vero continuis rapinis quo minus vexarent a non multis inde annis coerciti fuerant. Quid vero? ſi mentis cogitatione ad antiquiora redimus! ſi congreſſum hunc factum reputemus iis in locis, in quibus aliquando magnus ille Mithridates, a Romanis victus, noua in eos arma parabat hoc conſilio, vt circumducto per easdem terras, quae nunc Ruſſiae et Auſtriae parent, exercitu Romanos in Italia aggrederetur! ſi meminerimus, haec eſſe loca, in quibus ante bis mille annos Cimmerii et Scythae armis infeſtis pugnabant, Tauri aduenas mactabant! quae porro, cum aliquot ſaeculis poſt Graecorum colonorum ſtudiis et artibus egregio vitae cultu effloruiſſent, ita vt inter feliciores terras Cherſoneſus Taurica referretur, primo bella continua, tum barbarorum ex Aſiae ſolitudine in Europam effundentia ſe agmina, iterum adeo efferarunt, vt omni priſtino cultu exciderent! Nunc autem quantum illud omni

Europae et Aſiae ſpectaculum propoſitum eſſe putabimus, in ipſa illa Cherſoneſo, congreſſos eſſe Imperatorem et Imperatricem, par mortalium potentia non modo omnes anteeuntium, verum etiam, id quod multo maius eſt in ea fortuna, prudentia, ſagacitate magnoque animo, inter omnes alios mortales eminentium. Quae et quanta haec rerum fortunaeque viciſſitudo, digna vtique cui contemplandae immorentur animi non omnino ad humiles curas depreſſi!

His igitur cogitationibus vt, comparatione diuerſarum aetatum facta, tanto melius vacare poſſimus, agite, ſummatim expoſitas videamus *res Cherſoneſi Tauricae rerumque viciſſitudines* a prima inde hominum memoria. Nec vero veremini, ne ad Gomeritas et Cimbros vos deducamus; parum placet nunc morari in his, quae ad nominum ſimilitudines ac probabilitates redeunt; etſi eae in hoc rerum genere non nimis ſeuere proſcribendae ſunt, niſi omnem vltimae antiquitatis memoriam interceptam et abolitam eſſe volumus; enimuero perſequemur tantum ea, de quibus hiſtoriarum fide explorata tradere licet. Geographiam inſulae accuratiorem a nouis colonis Ruſſis expectamus, ſecundum illa, quae poſt alios, inprimis *Thunmanum*, nouiſſime *Kleemano, Tott, de Peyſſonel* a), debemus; ex eadem Strabonis (lib. VII. p. 473 ſqq.) praeclaras notitias illuſtratas habebimus. Nec defuere qui Cherſoneſi huius res ac fortunas colligerent ac concinnarent: antiquiora quidem in loco hiſtoriae

 catho-

a) *Traité ſur le Commerce de la Mer noire 1787.*

catholicae de Cimmeriis, de Boſporano regno, de bello Mithridatico, ſeriora inprimis a *Deſguignes*, expoſita ſunt; tum a doctiſſ. viro *de Peyſſonel b)*. Nuper quoque a *Ge. Aug. de Breitenbauch* induſtrie conquiſita ſunt ex omni aeuo ea quae ad *Tauriam* et *Caucaſiam* ſpectarent: ad haec enim nomina ab Auguſta Ruſſiarum reuocatae nunc ſunt terrae, antea *Crim* et *Cuban* appellatae.

Antiquiorem omnem cum ſeptentrionis omnino, tum Cherſoneſi Tauricae, memoriam eſſe fabuloſam, non mirabimur, ſi Graecis, a quibus illa expectanda erat, Pontum Euxinum penitus ignotum fuiſſe teneamus, donec Iones illud mare nauibus frequentarunt (Strab. VII, p. 458. A.) Itaque Homerus non niſi obſcuram aliquam ſeptentrionis notitiam prodidit, primo, dum Ἱππημολγους, Ἀβίους, Γαλακτοφάγους, commemorat, (vt adeo ipſum Scytharum nomen illa aetate inauditum fuiſſe credas) tum, quando Cimmerios memorauit, mythice tamen; nam ea, quae de populis ſeptentrionales plagas, aere plerumque pluuio aut niue obſcuratas, incolentibus, vulgo narrata acceperat, ad ea Italiae loca tranſtulit, in quibus aditum ad loca infera conſtituerat. Fabuloſe narrata alia ſunt in iis, quae de tentata primum in Pontum Euxinum nauigatione et de Argonautarum in Colchos profectione, primum fama, mox carmine, vulgata fuere. Inter hos, qui Argonautica

b) In *Obſſ. hiſtoriques et geographiques ſur les peuples barbares qui ont habité les bords du Danube et du Pont Euxin 1765.*

tica expoſuere, fuiſſe etiam qui ad Tauricam appuliſſe Argonautas narrarent, e Diodoro (IV, 45.) diſcimus, quem ſua e Dionyſio Mileſio hauſiſſe probabile ſit *c*). Cum poetae ad narrationem a multis tractatam ornamenta noua circumſpicerent: poterat expectari, vt non modo Aſiae oram legere Argonautas, verum etiam ſeptentrionale Ponti Euxini littus eos adire iuberent. Cum tamen ignorarentur loca iſta; cumque omnino, qualis orbis terrarum habitus aut ſpecies in extremis ſeptentrionis et occidentis eſſet, obſcurum eſſet: miſcuerunt multa et finxerunt homines inepte *d*). Ducentis fere poſt Homerum annis maior ſi non iſtorum locorum, hominum ſaltem notitia ad Iones peruenit, *Cimmeriorum* vtique, quorum incurſatione vexata eſt Aſia haud ſemel, primo ſub Ardye II. Lydiae rege, (circa annum ante C. N. 637.) cum illi a Scolotis ſeu Scythis pulſi per Caucaſias fauces in Aſiam fugiſſent moxque Sinopen occupaſſent; dum interea Scythae eos perſequendo in Medos aberrauerant. A Cimmeriis, in quibus Treres fuere, ferociſſima gens, Aſia minor vaſtata, Sardes direptae, Magneſia exciſa; donec ab Alyatte II. (circa a. 602.)

c) v. Commentat. de Diodori fide in Commentatt. Soc. R. Gott. Vol. VII. p. 97.

d) v. c. Orphic. Argonaut. v. 1118 ſq. Fuere quoque qui Thoantem Hypſipylea patrem eo delatum dicerent, quos Valer. Fl. ſequitur II, 301. Hygin. f. 15. Verum haec inter hiſtorias non erant referenda. Aliae fabulae natae ſunt e narratione de *Hyperboreis* a poetis variis modis ornata. Aliae in *Heracliis:* cf. ad Apollod. Notae p. 407. Aliae in *Prometheo* in *erroribus Ius:* quod cognoſcere licet vel ex Prometheo Aeſchyli. Cf. Schütz. ad eund. p. 9.

Aſia expulſi, iterum in terras vltra Pontum ſeptentrionales ſe recepere, vbi eos partim permixtos cum aliis barbaris nomen amiſiſſe partim ad vlteriora occidentis et ſeptentrionis errantes proceſſiſſe credere licet *e*). Manſere tamen veſtigia gentis in nomine Boſpori Cimmerii, in monte Cimmerio et quae ſunt alia *f*).

Cimmerii itaque primi ſunt, quos, diſerta hiſtoriarum fide, Herodoti inquam, inter Tanaim et Boryſthenem ſedes habuiſſe et peninſulam tenuiſſe, conſtat. Pulſis his eadem loca occuparunt *Scolotae* ſeu *Scythae;* in eorum locum ſucceſſere *Sarmatae,* quos e Media boreali eo deductos eſſe probabile ſit. Obtinet tamen loquendi mos apud ſcriptores, vt Scytharum nomine etiam de his, atque aliis barbaris, vti pergant.

Interea Cherſoneſum obſederant *Tauri,* ignotae ſtirpis populus, *g*) Scytharum accola, a Scolotis

e) *Cimmeriorum* res vlterius non proſequimur; neque iis in hiſtoria Cherſoneſi proprius locus. Egere de iis, qui primo loco nominandi ſunt, *Theoph. Sigfr. Bayer* Vol. II. Commentar. Acad. Petrop. Vol. II. (Adeundae quoque aliae eius Commentat. de Scythia vetere in iisdem Commentariis, collectae et redhibitae a Klotzio in Opuſc. Bayeri.) et *Gattererus* noſter, *Synchroniſt. Univerſalhiſt.* T. I. p. 149. ſq. vt *Freretum* (To. XIX. *Hiſt. de l'Acad. des Inſcri.*) et Guthrianam farraginem To. III. p. 968. ſq. taceamus.

f) Herodot. IV, 12. Strab. VII, p. 475. B. vbi *δυναστεῦσαν ποτὲ τῶν* Κιμμερίων *ἐν τῷ* Βοσπόρῳ, lege *δυναστευσάντων ποτὲ τῶν* K.

ff) Niſi cum viris doctis ſuſpiceris fuiſſe hos eodem Cimmerios, qui a Scolotis pulſi montana loca occupauerant.

Iotis vtique diuerſus: ſaltem his iam luxu ex Aſia deportato perditis Tauri feritate notabiles; etiam propter humana ſacrificia, cum hoſpites, inque his inprimis Graecos in illud littus eiectos, mactarent: (Herodot. IV, 103.) faciebant ſacra deae, quam Graeci cum Diana comparando Dianam Tauricam effinxere *h*). Coepit inde *Tauricae* nomen fabulis celebrari tragicis, inprimis Euripidis in Iphigenia et Oreſte. Quis primus commentum hoc ediderit, non conſtat; verum Dianae Tauricae ac Scythicae nomen inde ad multa loca circumferri coepit *i*). Dum tamen in ſcena haec placebant, melior cum Ponti Euxini tum Cherſoneſi notitia inter Graecos propagari coepit per colonias Mileſiorum in eam ductas; in quibus inprimis fuit *Panticapaeum*, tum *Theodoſia*, mox *Caffa*, quae nunc vetus nomen recuperauit; fuit et *Heraclea* in occidente inſulae ab Heracleotis Aſiae condita, et ipſa *Cherſoneſus* dicta *k*), quae, magnas aliquando opes

 conſe-

h) Promontorium ab oriente ſeptentrionem verſus *Parthenium* templum habuit deae et ſignum: Strabo p. 474. A. Quae autem apud Lucianum in Toxari de fama amicitiae Oreſtis et Pyladis inter Scythas memorantur, in hiſtoriae cenſum non veniunt.

i) v. ad vitam Virgilii §. 85. et praeter ibi laudd. cf. Antonin. Lib. c. 27. Intpp. ad Vibium p. 170. Solin c. 2. p. 136 Moriſan. Inſcriptt. Rheg. p. 91. 92.

k) Strabo VII. p. 474. B. *Cherſone* ſeu *Cherrone* apud Melam legitur II, 1. p. 122 vbi additur: oppidum *a Diana conditum et Nymphaeo ſpecu, quod in arce ei et Nymphis ſacratum eſt, maxime illuſtre.* Libertate illa a Romanis erat donata. Plin. IV, 12. ſ. 26. Inde creuit opibus, de quibns mox agetur. De eius ſitu varie tradi video; haberique pro eadem *Kozlow* vel *Kosleve;* hoc

conſequuta, mox ruinis ſepulta, noſtra aetate iterum, ſed alio loco, nomine tamen ſeruato, reuixit; noua vrbe, ad Boryſthenis inferiores ripas condita, *Cherſon* appellata. Etiam de Scythis *l*) certiora innotuere expeditione Darii in Scythas; alia eaque potiora debentur Herodoto, qui ipſe Scythas adierat.

Verum, vt intra Cherſoneſum contineat ſe narratio, *Scythis*, moxque *Sarmatis* late omnia tenentibus, etiam peninſulae interiora *m*), littorales plagas

hoc tamen locum Eupatorii veteris occupaſſe creditur; redditum quoque hoc nomen a Ruſſiarum Auguſta. Fuiſſe tamen Cherſonen paullo ſupra vrbem in promontorio, olim Parthenio dicto, ſitam, ex Mela l. c. manifeſtum fit. Diuerſa a Cherſone eſt *Korſun*, quam alii pro eadem cum Kinburn habent, alii in Karasbaſar in media peninſula quaerunt; alii aliter ſtatuunt: quod etiam factum videas in nuperrimo libello cuius auctor ipſa Auguſta eſſe creditur: *Ruſſiſche Aufſätze* I. Vol. p. 168. Non ad ſtudia noſtra ſpectat, vt inquiramus in haec ſubtilius; videntur tamen parum adhuc expedita eſſe pleraque quae ad Tauricam ſpectant.

l) Quorum obſcurata erat memoria, per *Ariſteae Proconneſii Arimaſpea;* forte quoque poſt *Pytheae Maſſilienſis* commenta; de *Ariſtea* v. Bayer Chronolog. Scyth. vet. p. 177. de *Pythea* b. Murray Nov. Commentar. T. VI. p. 89. *Anacharſidis Scythae* aduentum in Graeciam circa a. ante C. 592. forte et ipſum inter cauſſas melioris de Scythis notitiae referas.

m) Interiora adhuc ſub Romanis inſedere ii, qui Scythae et Tauri appellantur. *Satarchas et Tauricos* Mela II, 1. p. 124.. *Scythas Satarchas* Plin. IV. ſ. 26. p. 218. memorat. Hic idem XXX. populos Tauricam tenere auctor eſt, ex iis mediterraneos XXIV. ſex quoque eorum oppida nominibus recenſet. Montium iugum Scythotauros tenere: hoc ab Occidente Cherſoneſo, Ortu ab Scythia Satarchis claudi. Quae omnia populos diuerſae ſtirpis permixtos temporis progreſſu confuſosque arguunt.

plagas *Tauri* ſui iuris ſuaeque ditionis retinuere, auſtralem vtique et occidentalem; nam in orientali *Graeci* coloni agrum occupauerant. In his quidem ad Boſporum Cimmerium extitere tyranni. Fuere ex his *Archaeanactidae*, qui Panticapaeum tenebant, a quibus *regnum Boſporanum* conditum eſt. Succeſſere in hoc aliquot reges haud obſcuri nominis; in his Leucon; iique late fines ſuae ditionis extenderunt, vt etiam vlteriora Boſpori et adiacentia paludi Maeoticae occuparent. De regibus his Boſporanis actum eſt ſatis accurate doctorum virorum opera; et vana eſſet doctrinae oſtentatio, ſi ea recoquere vellemus *n*).

Et haec quidem fuit peninſulae conditio vsque ad Mithridatis magni tempora. Attriuerant tum barbarorum, Scythas appellant ſcriptores, incurſationes, inperatis quoque tributis, et bella perpetua, cum Tauros, tum regulos Boſporanos. Cum itaque ſe tutandis finibus haud pares viderent, Mithridati, qui Scythas bello erat aggreſſus, rerum ſummam et hi et illi tradiderunt *o*), circa a. ante C. N. 75. 74. Ita omnis Cherſoneſus Mithridatis ditioni

n) Loca claſſ. Diod. XII, 31. Strab. VII. p. 476. ſq. Adeundi *Boze des Rois du Bospore Cimmerien* in *Hiſt. de l'Acad. des Inſcript.* Vol. VI. *Freret ſur les Cimmeriens* To. XIX. p. 577. Add. le P. *Souciet Diſſertation* de regina Pythodoride Par. 737. et *Cary Hiſtoire des Rois de Thrace et de ceux du Boſpore Cimmerien eclairée pae les Medailles* 1752. in vernaculam verſa in *Zuſätzen zur Welthiſtorie* IV. Vol. inprimisque *Vaillant* Achaemenidarum imperium T. II. p. 246.

o) Strabo l. c. pag. 474. 6. 7. 9. cf. Bayer Conuerſſ. rer. Scyth. tempore Mithridatis pag. 225 ſq.

tioni acceſſit. Expedita hinc eſt nec obſcura *Boſporani regni* hiſtoria, quandoquidem Mithridatis extrema ad illa ſpectant, et ab eius morte Pharnaces Boſpori a Romanis rex conſtitutus omnem Cherſoneſum tenuit, eique mox regno ac vita priuato ſucceſſere per multas aetates reguli a Romanis appellati, quorum nomina cum ex hiſtoriis tum ex numis illuſtrata ſunt a viris doctis ſupra laudatis; duratque regni huius memoria ad Valeriani vsque tempora: a C. 253. 4. (Zoſim. I, 31 ſqq.)

Creuere inter haec Cherſonitarum opes: et frequens eorum memoratio, armis quoque ab iis in vicinos motis, iam inde a Diocletiani temporibus. In Romanorum ditione eos adhuc Iuſtiniani tempore habitos eſſe videas ap. Procop. de bell. Goth. lib. IV, 5. Oppreſſis quoque poſthaec a barbaris ceteris peninſulae partibus, non totum illi iugum recepiſſe videntur. (cf. Conſtantin. Porphyr. de adminiſtr. Imp. 53.) Nam ſucceſſere tempora, quibus ſeptentrio Aſiae, maris inſtar, continuis procellis agitari et vexari coepit. Fortunam peninſula tunc fere habuit communem cum ceteris locis circa Tanain et Maeotidem.

Iam a multis inde ſaeculis, quod vidimus, ea loca inſederant *Sarmatae*, cumque iis haud dubie alii barbari; de quibus tamen nihil diſerte traditum reperias. Succeſſere ſub prima inde a C. N. ſaecula *Gothi:* quorum alii *Oſtrogothi* dicti, diu ab oriente Tanain incoluere, ſupra eos ad Tanain Alanis loca tenentibus. Iidem tenuere peninſulam; vnde

vnde illi piratarum more aliquoties nauigiis euecti Pontum Euxinum infeſtum fecere praedationibus. Ceſſerunt *Hunnis*, terga prementibus, ſaeculo IV. exeunte; manſiſſe tamen in iis locis Gothos, etſi Hunnis obnoxios, probabile fit. Fractis Hunnorum poſt Attilae mortem opibus, inde ab a. 469. loca ab vrbe Cherſone ad Tanaim et Maeotidem pertingentia habitarunt *Cuturguri*, ab Ugris oriundi, et ſub Hunnorum imperio adhuc habiti: cum iisdem tamen Scythas et Tauros Procopius memorat (de b. Goth. IV, 5.) Vicini iis trans Bosporum et Maeotidem Vtriguri: vtrique poſthaec *Avaribus* obnoxii. Nec prorſus inter haec Byzantinorum Imperatorum potentia in peninſula exoleuerat, ſaltem in locis maritimis. Saeculo VII. exeunte et faec. VIII. imperium in peninſulam ſibi vindicarunt *Chazari*, et faec. IX. exeunte *Paczinacae* ſeu Petſchenegi, cumque iis *Uzi* et *Comani*: quorum omnium communis fuiſſe ſtirps et origo videtur Ugrica. Annumerari ii ſolent Turcico nomini, et terrae appellari *Kaptſchak*. Comani adhuc ſaeculo X. ſuperiorem peninſulae partem tenebant; littoralem plagam Byzantini: Thema Cherſonis dictum *p*). Exeunte ſaeculo XII. ſub Comnenis, cum aliis Italis tum Genuenſibus data libertas nauigandi in Ponto Euxino et adeundi Cherſoneſum. Tandem *Mogoli* circa 1238. victis Comanis Cherſoneſum ſuae ditionis fecerunt, miſſo a Genghis Kano patre filio *Tuſchi khan* in terras *Kaptſchak*, cui ſucceſſit filius *Batu*

p) ap. Conſtantin. Porphyrog. de adminiſtr. Imp. v. V. C. Schlözer *Geſchichte v. Norden* p. 528. Patzinacae tum inter Tanaim et Iſtrum accolebant: v. eund. p. 551. etiam inter Mogolicos tumultus.

Batu khan, a quo *Dynaſtia Mogolorum* in *Kaptſchak* ortum habuit. Commercia inter haec et nauigantium aditus a Byzantinis, nec tamen ſatis tuti ac pacati. Occupato a Latinis Byzantio, multo magis apertus eſt Ponti aditus. Florentes inde Genuenſium in Cherſoneſo res. *q*) Sub Manuele Palaeologo (annus 1266. editur) Theodoſiam in ditionem redegerant, a barbaris Caffam appellatam. Ruſſiae duces ſtipendiarii erant regulis dictis Mogolicis. Fuit in his dynaſtis *Tokatmiſch*, clarum hoc tempore nomen, exeunte fere ſaec. XIV. Mogoli bellis ciuilibus in mutuam internecionem ruebant. *Tokatmiſch khan* ad *Timurem* Khan confugerat et impetratis ab eo copiis regnum aliquoties recuperauerat; donec iniuriis laceſſitus in iras praeceps armis aduerſus Timurem captis infelici ſucceſſu ſibi ipſi regnoque Kaptſchak excidium attulit. Oriundus ex eius ſtirpe *Hadſchi Kerai Khan*, inde ab a. 1441. peninſulam occupauit et *Dynaſtiam* condidit, quae vsque ad nouiſſima tempora Tauricam obtinuit *r*), obnoxia facta Imperatoribus Othmanicis inde ab anno 1471. *s*) cum ſtolida ferocia elati Genuenſes, qui Caffam tenebant, permouere Mogolos, vt Othmanorum opes ſollicitarent et in peninſulam inducerent. Ita dedita Othmanis Caffa, cumque ea in Othmanorum ditionem redacta omnis peninſula. *Mengheli Kerai Khan* imperium peninſulae accepit,

q) (Müller) *Ruſſiſche Geſchichte* To. II. p. 12. ſqq. Genuenſium res parum adhuc ſunt expeditae.

r) V. *Desguignes* Tom. I. P. I. pag. 293. T. III. pag. 390 ſq. et hinc *Weltgeſchichte* VII Th. I Band pag. 287 ſqq.

s) v. Kantemir ad h. a.

accepit, ita tamen vt ſummum imperium penes Othmanos eſſet.

Expoſita ſunt haec a nobis ſummatim et ſub vnum conſpectum, vt varia fortuna, qua peninſula haec per omnem temporum decurſum vſa eſt, tanto melius intelligi poſſit. Magna huius fortunae pars ex ſitu cauſſas habuit; barbaris enim in Occidentem properantibus media illa peninſula erat interiecta. Verum eiusdem ſitus nunc, aliter conſtitutis rebus, opportunitas eſt maxima ſiue ad reprimendos aut ſubiugandos barbaros, ſiue ad Othmanorum opes iam fractas penitus euertendas. Probabile itaque fit, non minus magnam eius claritatem inſtantibus aetatibus eſſe futuram.

P. P. in Georgia Auguſta Kal. Julii cIↄIↄccLXXXVII.

XXIII.

XXIII.

GEORGIAE AVGVSTAE

INAVGVRATIONIS SACRA ANNIVERSARIA

QVINQVAGESIMA

ADEOQVE

SEMISAECVLARIA

SOLLENNIORE RITV

FESTISQVE CAERIMONIIS

CELEBRANDA

IN

DIEM XVII. SEPTEMBRIS

HVIVS ANNI cIↄIↄCCLXXXVII

RITE INDICIT

ET

QVOTQVOT NOSTRIS REBVS LITTERISQVE FAVENT

AD HILARITATIS PVBLICAE SOCIETATEM

OBSERVANTER ET OFFICIOSE

INVITAT

GEORGIAE AVGVSTAE

PRORECTOR

AVG. GOTTL. RICHTER D.

ET SENATVS

Quae amoris ac beneuolentiae plena per ſe eſſe ſolet, affectus noſtri ſignificatio, quoties carorum hominum dies natales redeuntes aut alios dies ſollennes ac laeto aliquo, quem iis gratu-

lamur, euentu memorabiles recolimus: eam cum annorum fere progreſſu et ipſam progredi et augeſcere videmus; ipſo enim tempore, vſu et conſuetudine, noua affectus accedunt incrementa, et iucunditatis, ex alterius amore ac beneuolentia per longum tempus perceptae, cogitatio fructum praeſentis voluptatis miro modo amplificat. Euenire ſolet hoc idem circa res, quibus longo vſu adſueuimus; et locorum caritas incredibilis eſſe ſolet, in quibus aetatem, inprimis iuuenilem, exegimus, multoque magis ſi diſciplina et inſtitutione in illis accepta profecimus. Itaque, vniverſitatis noſtrae litterariae Georgiae Auguſtae incunabula quoties annis vertentibus ſollenni ritu recordabamur, velut progreſſu aetatis per nouum annum facto, ſingulari affectu permoti, ſollennia non aliter quam carae ac venerandae Parentis natalem, liberorum piis votis exoptatum, indicere ſolebamus. Quid enim aut nobis, quibus vt recte docendo prodeſſe poſſimus, aut vobis, Optimi Ciues, quibus, vt bene inſtitui poſſitis, cuncta contigerunt, carius ac ſanctius eſſe poteſt hac ipſa alma Georgia Auguſta, in qua tot bona confluxere, vt et docendo et audiendo vel improbis votis ſatisfieri poſſit! Nunc ad *ſemiſaecularem* memoriam progreſſi, quod in parentum aetate prouectorum ſimili fortuna euenire ſolet, vt memorabilis hic rituque conſecratus ſollenni annorum numerus vim mirificam ad animos, vel narratu et auditu, habeat, id non minus experimur in alma hac noſtra Parente; niſi quod in illis ſenectae inertis et aliquando decrepitae metus inſtat,

in hac nouum auctumque aetatis vigorem quotannis et incrementa meliora proſpicimus. Eueniet enim aliquando, quod auguramur, vt, pleno ſaeculari ſpatio exacto, incrementorum gradus metiantur poſteri, eodemque ſpatio ſe nos antegreſſos eſſe laeti agnoſcant, quo nos Academiae incunabula reliquiſſe et profectu auctuque ſuperaſſe videmur.

Cum itaque ſaeculare tempus communi hominum vſu ac more ſollennis alicuius epochae locum et notionem habeat; idemque etiam in *ſemiſaeculari* ſpatio obtineat: fieri non poteſt, quin Parenti noſtrae almae, Georgiae Auguſtae, quam deus fortunet, ſollenniore ritu hunc aetatis gradum gratulemur, et feſtum hunc diem, cui redeunti pauci noſtrum, ex nobis aetate prouectioribus vtique nemo, intererunt, laeti hilaresque conſociata animorum voluntate, tanquam in familiari aliquo ſacro, celebremus. Eſt enim vtique res academica in magnae familiae loco habenda, quae communibus Penatibus, communibus iuribus, conſiliis, ſtudiis, bonis ac commodis, continetur. Quidni eadem voluntatum ac votorum conſenſio ac conſociatio in omni fortuna omnium ac ſingulorum merito expectanda ſit?

Quae cum inter nos priuatis tacitisque cogitationibus conſiliisque agitarentur: inſigni aliquo exemplo patuit, quanta noſtri cura ac ſtudio ſummi noſtrarum rerum adminiſtratores ac Curatores teneantur. Quod enim vix palam profiteri eramus auſi, illud nobis ab ipſis vltro oblatum eſt.

Adiere

Adiere Regem, a quo, (tanta Optimi Principis erga nos eſt indulgentia) quod vix auditum erat, eſt impetratum, ſignificatumque nobis ex Auguſtiſſimi Regis iuſſu, ſollenniore ritu celebranda eſſe ſacra noſtra ſemiſaecularia. Itaque ſollenne hoc feſtum, quod per ſe erat memorabile dignumque quod omni celebritate perageremus, nouas cauſſas attulit, cur eum diem inter maxime ſollennes haberemus: quod enim tantam auguſtiſſimi Regis munificentiam, tantum ſummorum virorum, qui res noſtras curant, ſtudium experti ſumus, id quam honorificum nobis ſit, videtis, Ciues; intellectumque illud eſt a nobis tanto clarius, cum ex ipſis verbis mandati Regii ad Summum Terrarum Electoralium regendarum Conſilium M. Julio dati, tum ex ipſius Senatus ac Conſilii Regii ſanctioris Reſcripto ampliſſimo.

Conſtitutum itaque eſt, quod deus bene vertat, vt Anniuerſaria huius anni ſacra, cum ſint *ſemiſaecularia*, ſollenniore ritu celebrentur. Habebunt quidem illa, etſi nihil aliud acceſſerit, celebritatem iam per ſe ſatis memorabilem ex bonorum, quibus fruimur, copiis, ex rebus noſtris florentibus, ex ornamentorum noſtrorum incolumitate, ex ciuium frequentia, inprimisque ex praeſentia Principum Sereniſſimorum M. Britanniae, qui ſacris noſtris intereſſe haud dedignabuntur, cum Muſarum noſtrarum ſacris initiati ipſi verſentur inter nos et ſub auſpiciis noſtris. Curabuntur tamen et alia, quae in ſollennibus academicis ex more haberi ſolent; vtque tanto illuſtriora illa ſint, a

Rege indulgentiſſimo iuſſi ſunt ſacram Eius vicem ſuſtinere et noſtra ſollennia praeſentia ſua illuſtrare ac condecorare Viri Illuſtriſſimi, Duumuiri Curatores Academiae noſtrae grauiſſimi, et ob ſummum rerum noſtrarum ſtudium et tam inſigniter auctas ac florentes res noſtras aeternum memorandi, AVG. GVIL. VON DEM BVSSCHE Regi noſtro a ſanctioribus Conſiliis Magnusque Ducatus Cellenſis Aduocatus, et altero loco LVD. FRID. DE BEVLWITZ, Regi noſtro et ipſe a ſanctioribus in regendis hisce terris Elect. Princip. Conſiliis Impetratum quoque eſt litteris publice miſſis, vt ſpectabilium Ordinum terrarum Electoralium Prouincialium Delegati ſollennibus noſtris velint intereſſe; expectamusque hoc ipſum ab Academia Julia, ſororio vinculo cum Georgia Auguſta coniuncta, quam humaniſſime rogauimus, vt nomine publico Delegatos ad nos mittat, qui ſacra haec academica inuiſere et votis publice ſuſceptis fauere velint.

Nunc, cum ſollennia haec ac ſacra Muſarum, frequentiam, quanta maxima eſſe poteſt, eorum, qui nos amánt, deſiderent: ſolet enim teſtes quam plurimos flagitare laetitia, inprimisque publica hilaritas; haec ipſa charta proponitur, vulgatur ac pro nuntio publico mittitur ad omnes qui nos amatis, vt noſtram vrbem adeatis, diesque Septembris XVI. XVII. XVIII. nobiscum inter ſollennia academico more ac ritu agitari ſolita exigatis. Habemus autem nobis perſuaſum, eſſe per Germaniam non omnino nullos, qui noſtris rebus ſtudeant, nec ad litteras ſcientiasque nihil inter-

intereſſe exiſtiment, vt incolumes ſimus. Cum enim aliae Academiae ſolis plerumque indigenis ac popularibus creatae et inſtructae ſint: habet Georgia noſtra Auguſta hanc tanquam praecipuam ſui commendationem, quod non terris Hannoveranis, non popularibus ſolis, non vtilitatibus priuatis aut Principis aut Prouincialium, dicta ac deſtinata illa eſt; verum quod Germaniae vniuerſae, quod litteris ſcientiarumque diſciplinis ipſis, quam late eae patent, eſt conſecrata.

Eſt quidem dies vere natalitius is qui XVII eſt; cum tamen is, qui praecedat, ſit Dominicus, quid magis videri poteſt conſentaneum, quam a religioſo ritu auſpicia vt fiant? Pompa itaque ſollenni ad templum academicum ducta, eo die ſacra fient more ſolito, habebiturque pro concione oratio ſacra a Viro Ven. D. ac Prof. Theol. primario Godofredo Less. Expectatur adeo, vt ii, qui nos adire dignati fuerint, ſuperiore ſaltem die XV. Septembr. vrbem noſtram ingrediantur; eodem die Legatos Regios feſta nobilium iuuenum pompa equeſtri ad vrbem deductum iri ſperamus. Vbi autem dies feſtus ac ſollennis, *o Sol pulcher! o laudande!* altero mane illuxerit, campanarum et ex turribus concentuum muſicorum omnigenorum per integram horam ſtrepitu audito excitati, cum, quotquot ad hoc aut inuitati aut euocati fuerint, in Bibliothecae academicae oeco ſuperiore cum antiquiore tum recenter exſtructo conuenerint: ducetur inde pompa, (cui, quot quot Muſarum ſacra noſtrae Academiae frequentatis, et Hoſpites noſtros, interfuturos eſſe ſperamus), per potiores vrbis vias

ad templum academicum tam illuſtris, ſplendida et magnifica, qualem Georgia Auguſta nondum viderit vllam. In tanta panegyri faciet primum verba publico iuſſu Chr. Gottl. Heyne, Eloqu. Prof. qui muneris ſui academici fructum laetiorem ac memorabiliorem nunquam ſe tuliſſe profitetur. Votis publice faciendis praemittet *enarrationem rerum memorabilium inſigniorum et incrementorum Georgiae Auguſtae potiorum, quae inde ab incunabulis reip. noſtrae academicae per annos ſuos digeret;* vnde intelligetur, per quas fortunae in vtramque partem viciſſitudines illa adoleuerit; multis enim illa iactata eſt caſibus, multis fortunae procellis ac tempeſtatibus: *Sic fortis Etruria creuit!* nolumus enim addere, ne paullo iactantius dictum eſſe videatur: *Scilicet et rerum facta eſt pulcherrima Roma.* Conferentur poſthaec ab Academiae noſtrae Ordinibus ſummi cuiusque Ordinis honores Candidatis aliquot digniſſimis. Eriget animos aureſque Concentus muſicus, carmine latino lyrico, quod *Chriſtophori Guilielmi Mitſcherlich*, P. P. ingenium felix fudit, a *Rudorfio*, templi academici ſacras ſymphonias curante, ad modos ſuos redacto. Exinde habebit locum illud Virgilianum:

Nunc adeo, melior quoniam pars acta diei,
Quod ſupereſt, laeti bene geſtis corpora rebus
Procurate, viri, atque epulas ſperate parari.

Parabuntur enim epulae feſtae Hoſpitibus noſtris; inter quas a florentiſſima noſtra Iuuentute academica, feſto ac ſollenni apparatu pompa in forum deducta, cantus curabuntur ſymphoniaci. Tertio eoque vltimo ſollennium die primo mane vt officio

ſuo

ſuo ſatisfacere poſſit quilibet, ad ſalutationem publice faciendam ad Legatos Regios Illuſtriſſimos omnis Academia confluet; habebuntur inde Recitationes publicae in Societatis Regiae Scientiarum Conſeſſu a Chr. Gottl. Heyne, qui Secretarii vicibus fungitur, et a Jo. Frid. Blvmenbach, qui ſummam Commentationis de *vi vitali ſanguinis* breuiter exponet; breues inde recitationes inſtituent, in Conſeſſu Societatis Teutonicarum litterarum Abr. Gotth. Kästner, Societatis Senior, et in Conſeſſu Inſtituti hiſtorici, Director Jo. Chph. Gatterer. Curabitur inter haec, ne audientium aures faſtidioſa orationis copia onerentur magis quam expleantur; cum bene memores ſimus, in hilaritate publica remittendos eſſe animos, non docta ſubtilitate intendendos. Atque vtinam his ipſis intereſſe ſuaque praeſentia decus ſummum addere dignetur *Praeſes Societatis Regiae Scientiarum*, *Sereniſſimus Princeps ac Dux* FERDINANDVS, Dux Brunſuic. et Luneb. Quanti gaudii fructum, quantam exultationem ac voluptatem ea res nobis eſſet allatura, ſi Heroem, cui immortalitatis poſt fata honorem per multos adhuc annos numen abnuat, praeſentem inter nos et comitate ſua omnes deuincientem videre contigeret! Nihil vtique ad vota noſtra etiam audaciſſima explenda ſupereſſet! Inde prandio ſumto decurſio equeſtris in Hippodromo publico, *Jo. Henr. Ayreri*, rei equeſtris magiſtri, cura, iam ſatis ſpectata, parabitur. Fient etiam alia et hoc et ſuperioribus diebus, quae in publica hilaritate fieri mos eſt, quibus nunc enumerandis nec vacamus.

Curabitur itaque ſedulo, quicquid inter ſollennia academica ex more haberi ſolet; cognoſcetisque ipſi, Hoſpites, qui adire noſtram vrbem volveritis, ſintne haec, quae veſtris obtutibus occurrent, Georgiae Auguſtae incrementa ſuis auctoribus ſatis digna? hoc annorum ſpatio ſemiſaeculari et expectatione, quam illud facere poteſt, haud inferiora? placeatne matrona haec, ſpecie oris corporisque venuſtate probabili, ornamentis ſuis face nuptiali dignis, decorata, vt ad amorem ſui aequos arbitros et talium formarum ſpectatores elegantes pellicere poſſit? Nec dubitamus, Hoſpites, vbi Bibliothecae noſtrae opes, a tam tenuibus initiis profectas, vbi cetera academiae inſtituta, aliorumque liberalia incrementa, aliorum fundamenta iacta, cognoueritis, quin, non modo condonaturi, verum etiam aequum iuſtumque facere nos arbitraturi ſitis, dum munificentiam Regis noſtri Indulgentiſſimi et ſtudium curamque praeclaram Curatorum noſtrorum tantis laudibus efferre ac praedicare nos audieritis; contra vero vos ipſos admiratione tot tantorumque bonorum contactos his ipſis praedicationibus ſuccenturos, in easque conſenſuros eſſe auguramur. Saltem hoc ad noſtrorum animorum pietatem gratumque ſenſum ſpectare haud negaueritis, ſi, quae tantorum virorum beneficio ſtudio ac ſedula cura conſequuti ſumus decora, grata mente et ore praedicemus. Vt enim moderate ferre fortunam videare, quis te diſſimulare eam et celare iubeat? Recenſum bonorum ſuorum facere licet etiam citra inuidiam; contra felicitati tuae ipſe iniuriam feceris, ſi tegere et occultare illam volueris.

In

In his bonis, quae ſingularis aliqua prouidentia Numinis O. M. nobis eſt largita, vnum eſt admodum memorabile, quod ſuperſtitem illa eſſe voluit vnum, qui ipſis Georgiae Auguſtae incunabulis interfuit *), Samvelem Christianvm Hollmannvm, totius corporis academici Seniorem, virum de philoſophicis per Germaniam ſtudiis et de Academia noſtra meritiſſimum; huic enim contigit, vt in ipſo Academiae ſacro ſemiſaeculari recordari poſſit initia reip. huius et inaugurationis ſollennia, quibus celebrandis non modo ipſe adfuit, verum etiam is fuit, qui primus in hac noua Academia e cathedra doceret, cum trinos iam per annos profeſſorio munere geſto ſacra illa anteuertiſſet. Quibus meritis, qua ſingulari fortuna, in hoc aetatis gradu, ille conſpicuus ac vero nomine venerabilis, dignus vtique videri debet, qui publicis priuatisque acclamationibus et ſalutationibus celebretur ab omnibus. Gratulamur itaque Seni Optimo incomparabile hoc prouidentiae di-

 vinae

*) Adfuere ſacris ipſis inaugurationis et conſecrationis Profeſſores hi:

Ordinis Theologici: Jo. Wilh. *Feuerlin.* Magnus *Cruſius.* Ioach. *Oporinus.*

ICti: Ge. Ch. *Gebauer.* Tob. Iac. *Reinhcrt.* Gottf. *Maſcou.* Gott. Sam. *Treuer.* Jo. Iac. *Schmauß.* Henr. Chr. *Senckenberg.* Ge. Henr. *Ayrer.*

Medici: Ge. Gott. *Richter.* Alb. *Haller.* Jo. And. *Segner.*

Philoſophici: Chr. Aug. *Heumann.* Jo. Dan. *Köler.* Jo. Matt. *Geſner.* Sam. Chr. *Hollmann.* Jo. Frid. *Cotta.* Jo. Fr. *Penther*, idemque aedificiis tuendis praefectus. Lud. Mart. *Kahle*, Prof. extr.

vinae munus, eique ſimiles precamur eſſe multos ex iis, qui nunc ſacra noſtra celebrant, vt et ipſi aliquando ſaeculari ſollenni, vt nunc ſemiſaeculari, vigentes valentesque interſint *). Gratulamur et vobis incolumitatem, quotquot inaugurandae Academiae ſacris interfuiſtis, et nunc ſuperſtites incrementa eius adultae ſeu praeſentes ſeu abſentes bonis votis proſequimini.

Verum ne nimis liberales in pollicitando eſſe videamur, ſeruabimus alia ipſius diei ſollenni ſplendori: cuius magna pars *a Principibus Sereniſſimis Magnae Britanniae*, trina Regis noſtri auguſtiſſimi ſobole, ERNESTO AVGVSTO, AVGVSTO FRIDERICO, et ADOLPHO FRIDERICO, tum a *Sereniſſimis Principibus* ANNA HENRICO SIGISMVNDO RENATO MONTMORENCY LVXEMBVRG, *Duce Caſtillonenſi*, ac Principe CAROLO EMANVELE SIGISMVNDO MONTMORENCY *Principe Luxemburgenſi*, proficiſcetur; aliud decus noſtris ſollennibus accedet *ab Illuſtriſſimis Comitibus Octouiris*, quos, vt ſollennem pompam ducere ne dedignentur, ſummis precibus rogamus; aliud ab omni Coetu academico florentiſſimo. Vos itaque, *Ciues* Academiae, quos ſeu *generoſa* ſtirps et maiorum

*) Incaſſum tamen cecidere vota noſtra. In ipſo enim ſollennium apparatu, d. IV. Septembr. decimo tertio ante ſacrum anniuerſarium die, placide obdormiuit Senex venerabilis, ipſaque morte ſua, quam incerta, fluxa et fallax fors et conditio humanae naturae ſit, documentum edidit memorabile.

Digitized by Google

rum decora, ſeu *ſua* quemque *virtus, ingenium et litterae,* ornant et commendant; Omnes, inquam, vos precibus appellamus humaniſſimis, vt pompam ſollennem ducendam comitari inque ea incedere ipſi iuſto ordine ac loco, omninoque ſacris noſtris ore animisque favere velitis. Bonam Academicae noſtrae diſciplinae, bonorumque morum, quibus vos floretis, famam nunc in documentum adductam eſſe arbitramini, et in manu veſtra poſitum paucorumque dierum periculo exploratum iri, quantam iuuentus academica noſtra modeſtiae, verecundiae et honeſtatis, laudem per Germaniam, et commendationem ad futura tempora duraturam, habitura ſit. Et vobis gratum iucundumque erit ad recordandum, et ad alterum illud ſolidumque C. annorum ſaeculare feſtum memorabile habebitur, proponeturque pro exemplo iis, qui tum erunt, ſi narratum audiuerint, id, quod inſtat, ſollenne noſtrum nullo ſiniſtro ac triſti cuiuspiam facto ac dicto eſſe interpellatum aut foedatum. Omnino tum multa huius diei, multa eorum, qui celebrando ei interfuerunt, erit memoria, multi de iis, quae nunc parantur ac deſignantur, ſermones ferentur. Ad commendandam igitur memoriam noſtram, et ad parandam in futurum tempus iucundam veſtrum ipſorum recordationem huius diei, prouidete pro ſe quisque, ne quid interueniat quod ſacra turbet. Date operam, vt poſteri nos fortuna noſtra ita vſos eſſe intelligant, vt ea haud indigni fuiſſe videamur; vt vos ipſi cum exultatione tacita pronuntietis in audientium coetibus: et nos his ſollennibus interfuimus! et nos, vt ſacra illa auguſtiora eſſent, pro virili

virili allaborauimus! vt denique poſteri hoc noſtrum ſollenne tanquam exemplar propoſitum habeant, ad quod ipſi ſtudia et conſilia ſua intendant. Felices nos, ſi de nobis noſtrisque conatibus non ſiniſtre iudicabunt! feliciores ipſi, ſi apparatum noſtrum feſtique diei celebritatem hanc non modo aequaſſe, verum etiam ſuperaſſe videbuntur! Vos, Proceres vtriusque et religioſi et ciuilis ordinis, *Magiſtratus*, inquam, *vrbani* et *ſacris operantis Miniſterii*, eodem ſtudio, quo et alias noſtram Academiam proſequimini, nunc etiam ſollennibus noſtris adfuturos eſſe et bona verba precaturos nulli dubitamus. Adeſte itaque, Ciues et Hoſpites, quocunque loco ac nomine honorati, et ſacra noſtra aequi bonique cognoſcite; nos quidem, ne officio noſtro omni humanitatis genere vos demerendi deeſſe videamur, diligenter curabimus. P. P. in Georgia Auguſta. Die XVII. Auguſti cIↃIↃccLXXXVII.

XXIV.

ORATIO
IN PANEGYRI
SOLLENNIVM SEMISAECVLARIVM
ACADEMIAE GEORGIAE AVGVSTAE

D. XVII. SEPTEMB. CIↃ IↃ CCLXXXVII.

HABITA

A

CHR. G. HEYNE

ELOQV. PROF.

Auguſtiſſimi et Potentiſſimi M. Britanniae Regis Legati Illuſtriſſimi et Excellentiſſimi, Progenies Regia, Principes M. Britanniae Sereniſſimi, Sereniſſimi Principis Landgrauii Haſſorum Legate Illuſtriſſime, Ordinum prouincialium Proceres perilluſtres, Academiae Iuliae Carolinae Delegati ſpectatiſſimi; Voſque Academiae noſtrae ornamenta, Principes Montmorency Sereniſſimi, Proreƈtor Magnifice, Comites Illuſtriſſimi, Domini, Patroni, Hoſpites, Collegae, Ciues, Auditores omnium ordinum honoratiſſimi,

In rerum naturis obſeruatum eſt, quo magis lenta ac tarda ſint earum incrementa, eo diuturniorem eſſe durationem. Arbores, quae per ſaecula durant, ſero adoleſcunt. Platanus, quercus, cedrus, olea, quam longa aeui vetuſtate valent, tam tardo auƈtu vires ſumunt. Neque animan-

animantium natura diuerſa eſt. Opera quoque et inſtituta mortalium, alia ſubito nata celeriter florent, celeriter depereunt; alia cum difficultatum moleſtiis diu colluctata, occulto auctu ſumunt firmitatem ac robur, et tanto altiores radices agunt. Academiae noſtrae Georgiae Auguſtae, Auditores, ſi quid aliud, hoc vtique portendit durationem ſempiternam, quod a tenuiſſimis initiis ea orta, inter multas magnasque difficultates tarde accreuit, et variis fortunae caſibus iactata, variis calamitatibus conflictata, vix tandem conualuit. Saepe illa tempeſtatibus ac procellis conuulſa, damnis et iacturis tamquam ferro acciſa, ab ipſo ferro noua incrementa, opes animosque, duxit. Itaque decem luſtris expletis, tantum abeſt, vt illa ad ſenium vergere videri poſſit, vt potius hac demum aetate ſemiſaeculari adoleſcere, tanquam iuuenili vigore efflorеſcere, robur viresque ſumere videri debeat: quot enim et quanta ei incrementa his ipſis annis nouiſſimis acceſſere! quot ornamenta noua, alia parata ſunt, alia cum maxime parantur! inque his hoc ipſum ſemiſaeculare ſollenne, hic diei ſplendor, haec conſeſſus veſtri dignitas et amplitudo! Licet itaque augurari, tanto diuturniorem Georgiae Auguſtae fore incolumitatem, quo difficiliore cura illa adoleuit, quo aerumnoſior eius fuit auctus. Quod, vt intelligatur, me non temere augurari, venia veſtra, Auditores, exponam paucis *varias fortunae viciſſitudines, quas illa ab incunabulis inde ſuis eſt experta, quibus fluctibus illa eſt iactata, quo ſole recreata, quos Caſtores illa habuit propitios.* Quam ad rem, vt ſtudium veſtrum audiendi, Auditores,

multis

multis exorem, vix mihi laborandum eſſe video; quod enim mihi dicenti facile negari poſſet, ipſa diei celebritas pro me a vobis impetrat; et diffidere viderer ſenſibus et voluntatibus veſtris in hanc ipſam Academiam, ſi de me nimium ſollicitus eſſe vellem. Mihi autem ad excitandum inflammandumque animum quid expectari, quid optari poſſit maius, quam hoc ipſum diei ſollenne, ſplendidus hic conſeſſus, hilaritas publica! Quid? quod, dum in conſpectum veſtrum prodeo, in hunc locum eſcendo, non modo a vobis, qui praeſentes eſtis, audiri, verum mente et cogitatione mihi videor eorum etiam, qui abſentes ſacris noſtris favent, ora in me videre conuerſa; ipſam poſteritatem, quae huius diei celebritatem aliquando curioſe recolet, a me dicta auribus accipere; illi ipſi, qui in locum noſtrum aliquando ſuccedent, quoties ſacri huius ſemiſaecularis facta erit mentio; multo magis quum altero ſemiſaeculari ſpatio exacto magnum ſaeculare ſacrum illuxerit, memorabunt vos, Viri Summi, qui huius diei ſollennibus intereſſe dignati eſtis; memorabunt me in tanta omnium ordinum frequentia dicentem, memorabunt et inuidebunt fortunae meae, cui in tantorum virorum conſeſſu verba facere obtigit; quae mea felicitas vt numeris ſuis abſoluta, vt vere inuidenda ſit, audite me, Auditores, beneuole, dicam breuiſſimis.

Difficultates *in ipſa Academia condenda conditaque* incredibiles nunc omitto; acceſſere aliae, ex re natae, aliae caſu ſuperuenere; *a*) in his Brvnqvelli et Albrechti mox Treveri et Reinharti inopinata

a) A. 1734-37

nata mors, repentini diſceſſus SENCKENBERGII et STEINWEHRI; diſceſſus et reditus SCHMAVSSII; alii ſpes de ſe conceptas deſtituerunt, ſeu ex quo huc aduenerant, ſeu quoties in locum vacuum qui ſuccederent aliunde erant euocandi; alia ex hominum rerumque vitiis nata incommoda. Inprimis *Ordo theologicus* et *medicus* multas habuere viciſſitudines; *Iure conſultorum Ordo* non niſi a WAHLII *b*) in hanc Academiam euocatione ſine offenſa viguit. Melior fuit fortuna *Ordinis philoſophici*, qui cum inde a primis annis ſtatum ſuum firmiter teneret, celebritate ſua Academiam in primis illuſtrauit. Omninoque *huius Ordinis merita* ſunt plura, cum in aeuum illud Academiae imbecillum tum ad omnes litteras et ad omnem poſteritatem. Primis enim eius auctoribus magna ex parte debetur *Palladium hoc Academiae noſtrae*, ſentiendi ex animo de rerum diuinarum humanarumque veritate libertas, qua, ſi qua alia re, Gottinga ad tantam dignitatem et auctoritatem eſt euecta, aliisque academiis et terris facem praetulit, ad litterarumque conuerſiones, quas noviſſimis annis vidimus, tantum momenti illa habuit; quod ſi enim primi philoſophi ſectae condendae aut aliunde inferendae ſtuduiſſent, nec liberaliter ipſi eſſent philoſophati, optima quaeque vndecunque probando: iacta ſemel rerum principia diuerſa diuerſum rerum ordinem fuiſſent adductura; ita vt nec facile a philoſophicis et theologicis quaeſtionibus ad alias diſciplinas, inprimisque ad libertatis publicae facem, hiſtoriam, ad politicen et ius publicum, inprimis Germaniae, deduci illa libertas potuiſſet; nec defuere

b) 1743

fuere illo tempore in hac Academia, qui in Wolfii verba iurauerant, iique theologi. Vt tamen libertas et immunitas opinandi ac cenſendi tanto altiores radices infigeret, nec theologici ſyſtematis frigus eam, tamquam nouellam plantam, perimeret; plurimum profuit fluctuans et multis mutationibus obnoxia Ordinis theologici per illa tempora conditio. Medicorum Ordo quod tam laete effloruit, fortunae debetur. Albrechto altero poſt acceſſum anno erepto, *c*) Hambergervs, clarus illo tempore medicus, cum Wedelio ſocero Iena huc euocatus, ſi Gottingam attigiſſet, actum erat de vero medicinae ſtudio: pro experientia, artis magiſtra, naturaeque explorandae ſedulitate, haberemus vana cum ſubtilitate *demonſtrandi* ea, quae *opinamur*, inſaniam. Forte fortuna euenit, vt Hallervs Berna arceſſitus in eorum locum ſubſtitueretur: cuius viri immortalis nomine ac meritis prima celebritatis Georgiae Auguſtae apud exteras gentes fundamenta iacta ſunt; tum, cum ad hanc vrbem ille accedebat, poematum laus et fama ad academicam frequentiam cogendam profuit; per annos quos hic vixit, ſcientiae medicae ac phyſicae incrementa et ornamenta acri ſtudio parauit, et cum ſua laude Academiae famam late propagauit. Neque eum animus aduerſis caſibus exacerbatus, nec concertatio cum collegis, a litterarum augmentis auocauit: ipſa diſſidia et odia acuebant virorum doctorum ingenia. De nouis enim inuentis et obſeruatis certabatur, non cum quaeſtus ac mercedis inuidia. Sedula

c) 1736

Sedula Halleri opera, *d*) mature *Theatrum anatomicum*, cum praeparatis anatomicis, fuit conditum; mox quoque *Hortus botanicus;* aliquanto poſt *Collegium chirurgicum* et *obſtetricium e*) inſtitutum eiusdem viri indefeſſo in re medica amplificanda ſtudio. Inter reliqua MVNCHHVSII meditata vnum fuit quo et Academiae et terris vniuerſis Luneburgico-Brunſuicenſibus conſulere voluit, modo conſiliis ſapientiſſimis obſequi voluiſſent ii, quorum res agebatur: *ordinem ſcholaſticum*, ſeu ſtudiorum ſcholaſticorum regendorum normam, Geſneri opera promulgauit, eoque ipſo effeciſſe videri debet, vt inter primos rei ſcholaſticae emendandae auctores habendus ſit Geſnerus; condidit quoque *Seminarium philologicum*, quo ſaltem hoc eſt conſequutus, vt litterae humaniores non omnino ex his terris exularent, nec ex academicarum diſciplinarum numero exciderent.

Decennio iam elapſo vix res academica habuit quod ei ſatis fideres; firmitas tamen illi ac robur accedere viſum eſt, primo, Moshemio *f*) in Cancellarii locum huc euocato, tum noua Academiae celebritate parta ex aduentu Regis Auguſtiſſimi GEORGII II conditoris ac Rectoris ſui Magnificentiſſimi, *g*) et ex ſollennibus huius aduentus cauſſa curatis. Latius nunc ſpargi coepit nomen, extendi fama et proferri inter exteros, maior inde eſſe frequentia adeuntium. Ita enim res humanae ferunt, vt laudes verae et ex ipſis meritis paratae tarde ſuccreſcant; contra vero id, quod cum apparatu

d) 1743 *e*) 1750 *f*) 1747 *g*) 1748

ratu ſpecioſo ac praeter morem fit, ſenſus animosque hominum impellat; vtque ſaltem altera res alterius ope et concentu indigeat. Bona autem ſua homines melius ex aliorum praedicatione, quam ex aeſtimatione ſua, intelligunt: quo ipſo fit, vt fama ac celebritas inter res ſint academiis tantopere ſalutares et exoptabiles; videndum modo, vt fundo illa idoneo ſit ſubſtructa, vtque cauſſas habeat, quae laudem veram ac duraturam faciant.

Curata inter haec fuere multa, ſine quibus res academica conualeſcere nequit: vix tamen fuit vlla res quae non moleſtias omnis generis ac difficultates obiiceret. Quibus vt occurreretur, ſapientia Immortalis viri, MVNCHHVSII, prouiſum eſt. Sagaciſſimus ille in reperiendis ſeu praeſidiis ſeu remediis, acquieſcens in rerum bonarum initiis etiam ſi tenuia eſſent et fragilia; at indefeſſus idem in iis firmandis, augendis et amplificandis; bona et vtilia conſulentibus haud facile obſurdeſcens, ad decora et ornamenta academiae ſuae circumſpicienda nunquam non intentus; vbi ceſſandum erat, nihil temere mouens: opportunitati omni inſidians; e re nata occupare ſollertiſſimus.

Res fuit diu multumque tentata, vt *librarius mercatus* cum *re typographica* in hac vrbe effloreſceret: quae enim Academia ſuſtentari poſſit, nulla fama ac celebritate ſuffulta? vnde fama ac celebritas parari niſi vulgatis ſtudiorum fructibus et editis in publicum ſcriptis? ſcripta autem quomodo in vulgus ſpargi, ſine officina libraria prudenter in-

 ſtituta?

ſtituta? Longum eſſet, ſi commemorare vellem quam multa incaſſum fuere conſulta, alia quorum ſucceſſus et euentus ſeu curis ſeu conſiliis et impenſis parum reſpondit; donec adducta res libraria eſt in eum ſtatum, in quo nunc illam conſtitutam videmus, vt et plurimi libri hic prelo excudantur, et excudantur elegantius, et vendendorum librorum proſtet inſignior copia. Ad famam litterariam Academiae plurimum profuere *Recenſus litterarii:* at, quam tenuia et incerta initia ea res habuit! Primo priuatis vſibus ac conſiliis tabernae librariae DE MEIERN fuerat opera haec deſtinata, *h*) et viro haud indocto DE STEINWEHR commiſſa; eo diſcedente ad TREVERVM, inde ad alios ea cura peruenit; *i*) donec HALLERI fidei illa fuit tradita: *k*) ille vero privatum negotium aliquot annis poſt in publicam curam vertit eamque curam *Societatis Regiae l*) recens inſtitutae *ſcientiarum* auctoritate et nomine ornauit. Haec ipſa *Societas* tam infirma habuit initia, moxque tot et tam variis agitata eſt diſſidiis, vt mirationem facere debeat, quod decus hoc Academiae noſtrae et lumen non in ipſo ortu eſt extinctum. Famam tamen Georgiae Auguſtae apud exteras nationes, et inter viros interioribus ſtudiis et diſciplinis addictos, Societas haec eiusque *Commentarii*, tum *quaeſtiones* cum praemiis ad concertandum propoſitae, incredibili modo late propagarunt, vti *Recenſus litterarii* per Germaniae prouincias; hi iidem vanarum religionum et opinionum contagium ſaepe aut retuderunt aut a Germaniae finibus propulſarunt, noua autem inuenta obſeruata et animadverſa,

h) 1739 *i*) 1741 *k*) 1747 *l*) 1753

verſa, ſeu exterorum ſeu noſtratium, ad publicam notitiam diſſeminarunt. Fuere autem inter *commentationes* recitatas multae, quibus nouarum obſeruationum vel experimentorum inuenta primum in orbem litterarium fuerunt inducta; e quo genere quis HALLERI, quis ZINNII, TOBIAE MAYERI, recitationes ignorat! huius quidem *tabulae lunares* earumque vſus in inueſtiganda maris longitudine vti auctori nominis perpetuitatem, ita Academiae noſtrae praeclaram laudem attulere. Sermoni patrio expoliendo noſtrorum popularium induſtria ſuperiore tempore admodum erat addicta: *m*) iisdem vſibus *Societas teutonica* mature Geſneri conſilio apud nos fuit inſtituta; alia *Societas coſmographica* Norimberga huc euocata temerariis hominum conſiliis mature ſoluta eſt. *Specula aſtris obſeruandis* extructa, *n*) multis obſeruationibus opportunitatem fecit: quibus et caeli ſiderumque ſcientia, et Academiae noſtrae fama, incrementa habuit haud contemnenda. Eſt enim hoc inter ea litterarum genera, quibus totius terrarum orbis eruditi in ſocietatem et collegium cogi videntur. Obſeruata aſtronomica, phyſica, medica et mathematica, per omnes populos vulgantur; de theologicis et iuridicis ſubtilitatibus interdum vix populares multum laborant.

Iam conualuerat aliquantum res academica; acceſſerat quoque famae incrementum ex aduentu PRINCIPVM HASSIAE, *o*) GEORGII II. NEPOTVM, vltra annuum ſpatium hic degentium: cum

Dd 3 repente

m) 1740 *n*) 1751 *o*) 1755

repente turba malorum nos oppreſſit, bello ſeptennali ingruente. Praeceſſerant caſus bellicos alii, inque his ipſe diſceſſus PRINCIPVM HASSIACORVM acceleratus, *p*) mors Koeleri, tum Moshemii, mox Schmavssii obitus; et Segneri diſceſſus; *q*) cum his Societas ſcientiarum praecipitibus conſiliis tantum non diſſoluta. Multis videri potuit actum eſſe de Georgia Auguſta, inſidentibus vrbem hoſtibus per ſex fere annos continuos. Propitia tamen fortuna contigit, vt per Gallorum Ducum humanitatem ad omne aeuum memoratu dignam Muſarum ſacra turbarentur quidem, nec tamen euerterentur. Immortalis inter nos erit memoria cum aliorum tum MARESCHALLI D'ESTREES, MARCHIONIS DE PERREVSE, COMITIS D' ORLICK, inprimisque EQVITIS DV MVY. Ceterum ipſi tumultus bellici valuere ad famam Georgiae Auguſtae latius diſſeminandam; frequens enim inter Gallos, ex hoſtibus hoſpites factos, ad ſua reduces, vrbis noſtrae commemoratio, bona, quae Academiam commendare poterant, inuidis laudibus ad exteras terras pertulit.

Euenere, ſub extrema belli, alia, quae vulnera grauiſſima intulerunt Academiae: primo loco ereptus rebus humanis conditor et auctor GEORGIVS II. *r*) tum vita migrauerant Brendel, Zinn, mox Gesnervs, Tob. Mayer, Röderer, *ſ*) et Petropolin diſceſſerat Bvsching. Superfuit tamen ad

p) 1756 *q*) 1755. 57 *r*) 1760 *ſ*) 1758. 59. 63

ad medelam tot damnis ferendam MVNCHHVSII, *t*) quem ipſi nos res noſtras inſpicientem et vtilia multa mente deſignantem vidimus, animus et ſapientia; euocati ſunt qui ſuccederent; noua quoque circumſpici coeperunt Academiae ornamenta. Inprimis Bibliotheca academica maioribus, quam antea, copiis locupletata, locus quoque ſpatioſior et ornatior iis curatus. Aui immortalis, GEORGII II. deſiderium, leuauit GEORGII III. indulgentia in Academiam, litterarum amor ac munificentia. Decoribus academicis noua acceſſere inſtituta. *Collegium rei oratoriae ſacrae*, mox aliud *Collegium Repetentium* dictum; *u*) rerum vſu ad meliora ducente, paullo poſt ad aliam formam reuocatum. Interea *Inſtitutum hiſtoricum* ſua incunabula habuerat *x*). Reſtituta aut firmata ſunt inſtituta alia et vrbis et Academiae, inque his *Orphanotropheum*, iam antea conditum, et *Fiſcus viduis Profeſſorum ſuſtentandis* creatus, cui locupletando reditus ex *taberna medica academica* locanda conducenda addicti ſunt. *Donatio Vffenbachiana* librariae, iconographicae et opticae, *y*) ſupellectilis diu incerta per hos annos noua pactioue munita, *z*) cum paullo poſt euentum haberet, Academiae et nouam famam et vtilitatem peperit. Omnino nunc intellectum eſt, in Bibliotheca rite inſtructa quantum praeſidii poſitum eſſet, vt Georgia Auguſta inter alias Academias, etſi plerisque aliis recentior, nomine tamen et fama haud nouiſſimo loco et eſſet et haberetur; intellectum eſt,

Dd 4 ad

t) 1764 *u*) 1765 *x*) 1764 *y*) 1764
z) 1769

ad ſtudia et docentium et diſcentium alenda, et ad ingenia, quorum bonam copiam nunquam non ſuppeditabit alma Natura, fingenda, nihil efficacius et praeſtantius eſſe hac ipſa Bibliotheca omnium vſibus propoſita; intellectum tandem eſt, ſecundum euocationem virorum doctrinis et ingeniis eminentium, qui in loca vacuefacta ſuccedant, his tanquam duabus ancoris teneri noſtrae reip. academicae laudem et ſalutem: altera Bibliotheca academica, altera Societate Scientiarum Regia. Vtraque hac incolumi et ſalua, nihil timendum eſſe inter omnium ventorum fluctuumque tumultus. *Fata viam inuenient.*

Inſignem ſplendorem Academiae comparauit praeſentia DVCIS EBORACENSIS, *Ser*[mi] *Principis Regii*, *a*) et quarto inde anno alterius *Regii Principis Ser*[mi] DVCIS GLOCESTRIAE; *b*) interiectoque tempore FERDINANDI, *c*) *Ducis Brunſuico-Luneburgenſis*, *Principis Ser*[mi] memorabilis ad hanc vrbem et Academiam inuiſendam aditus. Idem indulgentiſſimus PRINCEPS, laudibus cumulatiſſimus heros, aliquot annis poſt, HALLERO rebus mortalibus erepto, non dedignatus eſt PRAESIDIS *Societatis Scientiarum Regiae d*) locum ac titulum ſibi oblatum accipere.

Ex MVNCHHVSII nouiſſimis, antequam ille ad Immortalium ſedes diſcederet, fuit, quod actum eſt cum HALLERO de reditu ad Academiam noſtram, etſi res exitum non habuit; quodque multa aut meditata et inchoata, aut affecta, eius opera fuerunt vel

a) 1765 *b*) 1769 *c*) 1768 *d*) 1780

vel difficultatibus ſuis liberata, vel profligata, inprimisque Bibliothecae noua ornamenta deſtinata. Conceſſus ille rebus noſtris diutius quam vota, quamvis audacia, flagitare potuiſſent, tandem exuuias mortales depoſuit *e*). Ad res noſtras ſuſtentandas ac roborandas, omnium confeſſione, hoc vnum vel maxime valuit, quod huius viri vita ad tanti aeui decurſum fuit producta. Ab eo enim, cuius cura et prudentia Academiae fundamenta erant iacta, longo rerum vſu multa poterant melius conſtitui, morbida ſanari, imbecilla et inualida fulciri aut foueri. Etſi mors eius tam multum ante erat prouiſa: tanquam repentino tamen luctu Academia percuſſa obtorpuit. Sollicitudinem leuauit ac metum diſpulit BEHRII rebus noſtris data cura; efflorvere illa adeo laetius inter ſpes oſtenſas, cum inopinata eius mors cuncta deſtinata ac tentata disiecit *f*). Rediit inde Academiae cura ad DVVMVIROS, alios aliis morte ereptis ſuccedentes; deuoluta tandem eximio prouidentiae munere ad Vos, CVRATORES ILLVSTRISSIMI, quibus res noſtras adminiſtrantibus Academia tam praeclara habuit et incrementa et ornamenta. Superiore enim tempore coeptorum operum non modo incolumitatem, verum etiam auctus inſignes vidimus.

Quod Academiae deerat, vt, praeter librorum opes et ingeniorum omnis aeui monumenta, naturae quoque immenſae copiae in vnum locum congeſtae ſtudiis noſtris paterent, id effectum eſt *Muſeo* condito, *g*) cuius fundus factus eſt BÜTTNERI

Dd 5 *ſupellex*

e) 1770 *f*) 1771 *g*) 1773

ſupellex rerum naturalium numorumque omnis aetati Acedemiae noſtrae ex munificentia Regia comparata; acceſſit alia Regis munificentia, *h*) *apparatus mineralogicus* Hannouerae ſeruatus, nec non ab Hercyniis ſaltibus *i*) paratae a peritiſſimo viro Steltznero, opes *metallicae* in Muſeum ſunt illatae; *k*) etiam *ex inſulis auſtralibus* mirandarum rerum copiae in eo repoſitae. Inter haec inſigni laude celebranda venit inſignis liberalitas L. B. GEORGII de ASCH, qui partim Muſeum, partim Bibliothecam ingentibus opibus et naturae, inprimisque metallorum, et artis, maxime numiſmatum, etiam librorum praeclaro apparatu, locupletauit, ſuique memoriam inter nos ad omnem poſteritatem perpetuauit. Alius apparatus, isque *machinarum*, iam dudum academicis vſibus addictus, auctus eſt machinarum formis operis metallici et exemplis ab eodem Stelznero redemtis. Inprimis autem rei medicae conſultum eſt; nam *Collegium clinicum*, primo priuata opera a Vogelio inſtitutum, *l*) mox publicis ſuppetiis ſuſtentatum, ad publicas vtilitates ſatis laetos auctus habuit. Etiam *Noſocomium* publice chirurgicis inprimis vſibus deſtinatum *m*). *Laboratorium chemicum* exſtructum ſuaque ſupellectili eſt inſtructum; *n*) et nunc *arti obſtetriciae* quanta parantur praeſidia, obſtetricantium ſtudiis *hoſpitio*, ex Regis Ordinumque prouincialium munificentia, deſignato! Quot et quanta a me commemorari ac praedicari poſſent alia, per quae acceſſiones factae ſunt inſtitutis academicis, cum *Regum Principumque*, tum *priuatorum virorum*

h) 1777 *i*) 1782 *k*) 1682 *l*) 1764
m) 1780 *n*) 1782

virorum liberalitate! ipſius *Regis* noſtri beneficentia in ſpeculam aſtronomicam ex Britannia quot et quam eximia ſcientiae aſtronomicae et opticae inſtrumenta immigrarunt!

Cum his multis magnisque fortunae propitiae muneribus non intacta manſit resp. academica caſibus et euentis aduerſis; inprimis mortibus aut diſceſſibus virorum, quorum diuturnior fructus nobis vt fato contingeret optabamus. Obtulit tamen alia laeta et iucunda fortuna melior, primo acceſſionibus aliorum profeſſorum loco ac laude ſua conſpicuorum; tum confluente in Academiam noſtram frequentia memorabili, externis quoque ex terris, iuuenum generis ingenii morumque laude praeſtantium; ita vt eorum qui faſtis academicis inde ab Academiae conditae origine *inſcripti* et conſignati ſunt, nomina computentur fere ad XV millia: Principum autem et Comitum nomina inter haec ſuperbiant fere ad centena ſeptuagena. Eminet in his ac praefulget magnum nomen *Regii Principis Sereniſſimi*, EPISCOPI OSNABRVGENSIS, nunc DVCIS EBORACENSIS, cuius aduentus ad hanc Academiam inuiſendam *o*) ante hos ſex annos aliam vrbi celebritatem addidit; aliam DVCIS WIRTEMBERGENSIS, *Principis Sereniſſimi*, *p*) per plures dies in his Muſarum ſacris commoratio.

Tot et tanta me circumſtrepunt laeta et iucunda, vt nouiſſima, quae omnes memoria tenetis, ſaltem verbo attingere liceat *q*). Primo quidem loco

o) 1781 *p*) 1781 *q*) 1784

loco *praemia* a Rege indulgentiſſimo Ciuibus noſtris conſtituta, quae quantopere multorum ingenia acuerint, igniculos et induſtriam excitauerint, ex ipſis certaminibus victoriisque per hos annos intellectum eſt; altero loco aduentus ad hanc vrbem et Academiam Regiae ſobolis, TRIVM PRINCIPVM MAGNAE BRITANNIAE, *r*) qui in caſtris noſtris Muſarum militant. Nec ſilentio praetermittenda inſignis acceſſio *Fiſci viduis Profeſſorum ſuſtentandis* facta ex Legato VAN DEN HOEKIANO, *s*) Collegae noſtri prouida cura conciliato.

Tam laetum florentemque Georgiae Auguſtae ſtatum quod in hoc ſollenni ſemiſaeculari praedicare mihi licet, et ego, qui dicentis partes ſuſcepi, in felicitatis meae parte ponendum arbitror, et vobis gratulor, Curatores Illuſtriſſimi, gratulor Patribus Academiae, et iuuentuti huic florentiſſimae, et ipſis litteris. Quod ſi caeleſtes animae curant mortalia, et ex beatis ſedibus res humanas proſpiciunt: non intactum laetitia credere licet animum GEORGII II. conditoris ac nutritoris Georgiae Auguſtae ſuae, nec MVNCHHVSII affectum, qui parentalis curae ſuae fructus tulit tam vberes, tam laetos, quos ille, in tenuibus rerum initiis et per tot annos inualidis, vix animo votisque praecipere potuit.

Quo itaque ſenſu, quo affectu contactos eſſe neceſſe eſt nos, ad quos horum bonorum omnium fructus ac commoda redundant! Quo primus animi impe-

r) 1786 *s*) 1787

impetus nos ferre debet? Scilicet ad hoc, vt gratias agamus Deo immortali, inter cuius beneficia in genus mortale manantia locum primum obtinent bonae litterae, diuinae humanaeque, fingentes ingenia, polientes ac regentes ſenſus ac mores, excolentes humanitatem, idque, quod diuinum in nobis eſt, elicientes ac fouentes. Alterum eſt, vt faciamus vota pro reip. noſtrae perpetuitate eiusque auctorum ac ſoſpitatorum incolumitate. Publicis itaque priuatisque precibus noſtris diu condoneris laetusque rebus humanis interſis, GEORGI TERTIE, *Magnae Britanniae Rex* Auguſtiſſime, bonarum litterarum tutela, nec magis Fidei Defenſor, quam Scientiarum ac Litterarum Columen ac Praeſidium! Digna Tuae pietatis ac virtutis praemia feras, REGINA AVGVSTA, numeroſa ſobole felix mater, et cum *hac* ipſa *Tua* SOBOLE REGIA, omni felicitatis genere, quod in ſortem mortalium cadit, propitii numinis indulgentia, fauſta ac fortunata, vtere! Ad magnarum rerum, ſeu pace ſeu bello gerendarum, gloriam immortalem adoleſcite, PRINCIPES REGII SERENISSIMI, et, vbi aliquando vero, nec ficto, in meritorum veſtrorum laudes conſenſu, inter populos conſpicui facti eritis, nutritiam veſtram, Georgiam Auguſtam, memores diligite. Vos autem, CVRATORES HVIVS ACADEMIAE ILLVSTRISSIMI, nuncque vice ſacra *ad hoc ſollenne* LEGATI, incolumes laetique veſtrarum curarum, euentus ſucceſſusque optatos habentium, fructus capite. Fortunet numen O. M. conſilia veſtra, veſtrique collegii, SENATVS HARVM TERRARVM REGENDARVM SANCTIORIS

TIORIS, ceterorumque COLLEGIORVM in his terris, quibus reipublicae incolumitas et vtilitates continentur. Iam Tu, LEGATE ILLVSTRISSIME PRINCIPIS HASSIARVM LANDGRAVII, ſecundo rerum curſu et ipſe vtere et PRINCIPI TVO SERENISSIMO vota Academiae noſtrae pro eius incolumitate et felicitate renuntia; haec eadem precamur et vos, et pro vobis, DELEGATI ORDINVM PROVINCIALIVM ILLVSTRISSIMI; videtis, eorum, quae in hanc Academiam ab Ordinibus conferuntur, qui fructus ſint, et qui ſenſus noſter ſit huius in Academiam beneficentiae. Vosque, IVLIAE CAROLINAE DELEGATI, ſororii inter nos vinculi perpetuitatem ſtabilite rebusque vtimini veſtris florentibus. Vos porro, HOSPITES ac FAVTORES OMNIS ORDINIS LOCI AC DIGNITATIS HONORATISSIMI, inter laetos fauſtosque eorum, quae geritis et conſulitis, ſucceſſus, Academiae noſtrae porro fauete ac bene cupite. Quae vero pro Te vota faciemus, IVVENTVS FLORENTISSIMA, ſpes noſtra, decus et gloria! vota nimirum facimus, quae pro vobis cariſſimi veſtri, parentes ac neceſſarii, facerent: vt ad noſtras, ſuaeque veſtrum quisque domus, ciuitatis ac patriae, ſpes adoleſcatis; quamque hodierno die modeſtiae, decori ac congrui obſeruantiae; noſtrique amoris laudem, huic conſeſſui ſplendidiſſimo approbaſtis, ſeruetis intactam; auferatisque aliquando, vbi in ſinum parentum ac patriae redieritis, digna veſtris ingeniis ſtudiis ac meritis praemia. Inter iucundas recordationes exactae aetatis ſaepe vos recreabit et exhilarabit ſollennis huius

diei

diei memoria et commemoratio, et pendebit ex ore veſtro audiendi cupida poſteritas.

Nos tandem, PATRES AC COLLEGAE, in ſollenni hoc die, cuius fructum Collegae noſtrae deſideratiſſimo, HOLLMANNO, eheu paucorum dierum interuallo is, qui nos omnes, ſuo quemque die, euocat, non conceſſit; hoc die, cuius ſimilem alium pauci noſtrum viuendo attingent, qui tamen noſtrae dierum ſummae adiectus vel longae vitae deſiderium compenſare poteſt; in hoc die ſollenni, laeto ac feſto, quae tandem pro nobis ipſis vota faciemus, aut potius quaenam vota reipublicae academicae ſummam continere videri debent? Nimirum vt propitio numine incolumen hunc Academiae ſtatum retineamus, nec culpa noſtra committamus, vt eo excidat, aut vt ex iuuenili hoc vigore repente marceſcat, Georgia Auguſta. Sit haec eius iuuentas perpetua, vigor perennis, fortuna inoffenſa. Transmittamus ad poſteritatem, eique tanquam in manus tradamus remp. florentem ornatamque, qualem eam hoc die ſollenni vidit hic omnium ordinum coetus, et agamus cum *Aetate ventura* tanquam cum praeſenti: En, quotquot in loca noſtra, deo volente, ſuccedetis, remp. academicam vobis relinquimus multis difficultatibus liberatam, egregie firmatam, mirabiliter ornatam: vos curate, vt haec Georgiae Auguſtae laus per vos ſit perpetua ac ſempiterna; erit autem hoc effectum fide, officio ac religione veſtra, diſciplinae publicae priuataeque grauitate et conſtantia, vitae ſanctitate, ſentiendi ac iudicandi libertate per pruden-

tiam

tiam et honeſtatem temperata. Quae vobis transmittimus, videtis; vos vt illa retineatis et amplificetis, diligenter curate.

Tu autem, aeternum, *ſanctum, ſanctum, ſanctum Numen*, haec vota noſtra piasque preces ratas eſſe iube, et effice, vt per omnem terrarum orbem GEORGIAE AVGVSTAE exemplo manifeſtum ſit, *bonis litteris, cum ſapientia et pietate coniunctis, vitae et felicitatis mortalium praeſidia contineri ad omnem perpetuitatem certiſſima.*

INDEX

INDEX. *)

Academia Georgia Auguſta. Eius ſacra ſemiſaecularia indicta 398. Oratio in iis habita 411. varia eius fortuna et difficultates quas illa eſt eluctata 412 ſq. eius palladium libertas recte ſentiendi et ſenſa ex animo eloquendi 414. duae ancorae quibus eius laus et ſalus tenetur 422. primordia tenuia. Medici ordinis claritas vnde nata 415.

Academica ſtudia non ſola auditione et lectione continenda 217 ſq.

Achaeorum reſp. foederata 167. eius deſcriptio, et ratio expoſita 168 ſq. praeclare illa inſtituta 170. mala quae eam premebant et exitii cauſſae 171 ſq. Arati obtrectatione Macedo ſociorum dux ac tyrannus factus 172. bello Aetolico reſp. concuſſa 173. bellis ac diſſidiis Romanorumque ſuperbia ſoluta ruit 177.

Aegyptiorum in litteris profectus hieroglyphica litteratura retardati 27.

Aeolenſes ſocietatem armorum adverſus Cyrum iniere 180. 277.

Aeolicae vrbes foederatae 180.

Aeris phaenomena, inter prodigia habita 211.

Aetolicum bellum 173 ſqq. 176.

Aetolorum reſp. foederata 178.

Africae aditus ex foedere cum Carthaginienſibus interdictus Romanis 65.

Alexandrinorum commercia cum Carthaginienſibus 77.

Algardus: eius anaglyphum, Leonem M. cum Attila congreſſum exhibens 139.

Allegoria v. Symbolum.

Americani: eorum de deo aliquo ſummo notio incerta manet 15. Coloniarum reſp. foederata 162. eius fortuna p. 182. *) bellum cum iis geſtum cum bello Romanorum ſociali comparatum 144 ſq.

'Αναθυμίασις 102. 103. m) n).

Anima ſicca ex mente Heracliti 97. interpretationes huius dicti variae 99 ſq. eius ſenſus verus 102.

Ani-

*) Debetur et hic Index doctrinae et induſtriae G. C. F. Seidelii Philoſophiae ſummis honoribus nunc ornati.

Animantia, inter prodigia habita 267.
Anniverſaria quinquageſima Ge. Aug. 398 ſq.
Antipater Athenienſibus leges ſcribit 353.
Antonini pii numi 328.
Aratus, de Achaeorum foedere bene meritus 167. Inuidia erga Cleomenem adductus, Macedonum et Antigoni opibus vtitur 171. bello male rem gerit 172. ab Apelle accuſatur 174.
Arbores, quae inter prodigia habitae 263.
Archaeanactidae, regni Boſporani conditores 393.
Argonautae, ad Cherſoneſum Tauricam appuliſſe narrantur 389.
Artium opera, a barbaris direpta 140.
Aruſpicinae notio 271.
L. B. de Aſch liberalitas in academiam 20. 56. 424.
Athenienſium reip. Phocionis aetate conditio 351. ab Antipatro victi leges acceperunt 353. Polyſperchon remp. popularem iis reſtituit 358. Athenienſium cenſus 353 e).
Attila, 130 ſqq. auctores de eo diſcrepant 129. a) 142. praeſertim in eo, cur ab oppugnanda Roma diſceſſerit 132. ſq. cauſſae rei probabiles 134. auctorum ignorantia miraculum affinxit 135.
Auctores priſci quinam ſerioribus ſaeculis legi ſoliti? 306 i).
Anguria et auſpicia, qua notione proprie dicantur 271.
Αὔη ψυχὴ 97–105.
Barbari, rebus inſolitis ac mirabilibus vel laetitia vel metu animo percuſſi, naturas humana maiores fingunt 7 ſq. 9. cultus diuini notiones ex noſtris ingeniis perperam ad illos transferuntur. 8. in quibus inter ſe conveniant 33 ſq.
Barlaas, Paulli Peruſini amicus, 304. e).
Bellum, Romanorum ſociale, eiusque cauſſae ac ſucceſſus 145 ſqq. Socii atque coloniae aequo iure vti, Romani in eos dominari volebant. 145. cum iure ſupremo ius publ. externum iis ademerant 147. civitatis eos Romanae iuribus excluſerant 147. ſq. inde principum indignationes et belli ſemina 148. 150. de defectione clam inter ſocios agitur 152. conſtituta noua rep. bellum ſuſcipitur 154. belli ſucceſſus 155. 156. Motis a Cinna et Mario ſeditionibus, ſenatus abſente Sulla civitatem Italicis omnibus edixit 157. quam mox Sulla plerisque, cum agris, ademit 158.
Bello Punico primo actum a Romanis, vt Poenos Sicilia excluderent 69. pacis conditiones 71. belli Punici ſecundi et tertii exitus 74.

Bias Prienenſis: eius conſilium Ionibus datum 180. Not.
Bocatius: eius de Demogorgone ſententia examinatur 298 ſq. 304 ſq.
Boeotorum reſp. foederata 179.
Boſporus Cimmerius 390. regnum Boſporanum 393 ſq.
Britannorum bellum cum Coloniis Americanis 158.
Caffa, 391. fortuna 396.
Callicrates Achaeorum proditor 177.
Carthaginienſes v. Poeni.
Cauloniatarum foedus 187.
Cherſone, quondam Cherſoneſus 391 ſq. k). eius opes 394.
Cherſoneſi Tauricae antiquitas et fortunae viciſſitudines 383. antiquiſſima Tauricae memoria inter Graecos fabuloſa 388. Cimmerii 389. Scythae 390. Sarmatae deinde Tauri. ibid. Coloniae Mileſiorum. 391. Peninſula inter illos populos diviſa 392. ſq. regnum Boſporanum 393. Omnis Cherſoneſus Mithridatis ditioni acceſſit 393. ſq. reguli a Romanis conſtituti 394. Gothi 394. Hunni 395. Cuturgi caeterique peninſulae incolae 395.
Cenſus, e cenſu remp. tractare Athenis quid fuerit 353 e).
Certaminis litterarii in diem Regis natalem propoſiti leges ac ratio 216 ſqq. 254. 316. 337. Argumenta propoſita in annum LXXXV. 229. 239. — in A. LXXXVI. 252. 319. — in A. LXXXVII. 223. 368. — in A. LXXXVIII. 378. Certaminum et praemiorum vtilitas commendata 221. 237 ſq. 316 ſq. 366 ſq.
Cimmerii apud Homerum 388. eorum incurſationes in Aſiam 389. Cherſoneſum Tauricam tenent 390.
Cleanthis dictum 103.
Cleomenes Arato et Achaeis infenſus 171. ad Sellaſiam victus 172.
Coloniae, Romanorum vid. Romani — earum conditio et ius 83 ſq. defectiones 87. coloniarum mittendarum neceſſitatem fecit ius belli immane 85. earum inſtituendarum rationes 85 ſq. Americanarum bellum cum bello ſociali Romanorum comparatum 144.
Commercia. v. Navigatio.
Corſica, a Phocaeenſibus occupata 44 ſq. Poenis ceſſit 45.
Coſmogonia, ſymbolice declarata, magnam philoſophiae veteris partem procreavit 295.
Crotoniatarum foedus 181.
Culturae ſaeculi notio parum definita 334. culturae varia genera 335. vitae ibid. morum 336. ingeniorum 337. peſtilens noſtri ſaeculi 338 ſq. vera et vtilis 340 ſq.
Cyrnus vid. Corſica.

Demiurgi notiones variae 309.
Demogorgonis daemonis origines 296. perperam a Bentleio Bocatii inventum habitum 296. a) 300. Bocatii de eo ſententia examinatur 298. 304. hauſta eſt huius daemonis notio e philoſophia barbara orientis 306. nominis etymologia et origo 308. ſq.
Deus. dei quae ſit notio hominibus feris ac barbaris 7. ſqq. deorum notiones ex ſenſibus noſtris perperam tribuuntur barbaris. 9. 31. ſq. phaenomenis inſolitis homines vel laetitia vel metu, hoc quidem praecipue, animo affecti, ad deorum religiones adducuntur 11. quomodo ſol, et ſidera, cet. religioſe coli coepta. 11. ſq. barbarorum de numine iracundo notiones etiam ad numinis O. M. notiones ab ingenuis eius cultoribus miſere ſunt translatae 13. Numinis ſummi notio unde orta? 14.— Deorum Graecorum origo 22. eorum forma humana 24. animantium formae quomodo diis ab aliis populis tributae? 25. deos inter homines interdum verſari priſci ſibi perſuadebant 28. a diis iratis mala morbosque hominibus mitti. ibid. loca illis ſacra humano vſu exemta 28.
Diana Taurica 391.
Dionyſius ſenior Italiae littus vaſtat 59. ſoluit foedus magnae Graeciae 181. iunior Italiam claſſe diripit 57.
Divinationis diſciplina, naturae ſtudio neglecto orta 205. cf. 270.
Doricae ciuitates foederatae 180.
Druſi, M. Livii, Leges 153.
Eparatus, Achaeorum praetor 175.
Euſebii locus emendatus 103. m).
Etruſci, opibus maritimis valentes 44. bellum geſſere cum Phocaeenſibus in Corſica 45. latrociniis infeſtarunt mare. ibid. cum illis pacta Poenorum de rebus importandis cet. 59. eorum reſp. foederata 181. cum ſociis coniunctim ſi Romanos eſſent adorti, actum de his fuiſſet 283. ſq. 181.
Extiſpicina vnde nata 270.
Europaei, ex ſuo more et ritu de barbarorum ſenſibus et iudiciis falſa nuntiant 10.
Fama rerum geſtarum aliorum plerumque ingeniis, quam propriae hominum debetur virtuti 128.
Febres epidemicae, Romae falſo in peſtium cenſum relatae 111. earum cauſſae ſollennes 125.

Feli-

Felicitas ſaeculi in numis imperatorum Romanorum 331. ſq.
Flamma: inter prodigia 257.
Foedera, inter Poenos ex Romanos ſuper navigatione et mercatura facta 41. ſq. foedus primum eiusque leges 43. ſocii vtriusque populi ei adſtricti 46. factum petentibus Romanis 47. interpretatio legum 47. foedus alterum eiusque cauſſae 59. tertium et quartum 66. quintum, bello Pun. primo finito 71. ſextum, vt Poeni Sardinia decederent 71.
Foedera, ad imperiorum nimia potentium opes infringendas iam ab antiquis populis facta 277. huius generis foedera adverſus Romanos cur eventu caruere? 278 ſq. primum a Latinis factum 280. deinde bellum altero ab vrbe a Gallis capta anno a Volſcis et Etruſcis motum 282 ſq. porro bellum Samniticum adiunctis aliis populis 283. foedera ciuitatum Graecarum 285. Poenorum foedera aduerſus Romanorum opes 285. bellum ſociale 287. Mithridaticum 288. comparatum cum his foedus Principum reip. Germanicae 276.
Foederatarum rerum publicarum coalitio vix unquam ſatis fida 162. vid. Reſp.
Fregellanorum adverſus Romanos coniuratio 152.
Fulminum prodigia 213.
Fulvius Coſ. eius leges de ciuitate ſociis danda 152.
Fuſtuarium 195.
Genii. barbarorum de geniis opiniones 9. vnde certis locis aſſignari coepti 13. genii inter Graecos 24.
Genſerici et Leonis congreſſus 139 ſq.
Georgiae Auguſtae anniuerſaria ſemiſaecularia 398. variae fortunae eius viciſſitudines inde ab incunabulis ſuis expoſitae 413. v. Academia.
Georgii tertii munificentia regia inſigni de quaternis in ſingulos annos argumentis, quae a quoque academiae ordine proponuntur, certaturis iuuenibus praemia conſtituta 220.
Germanis priſcis religionum ſubtilitas perperam tribuitur 14 ſq.
Gothi in Cherſoneſo Taurica 394.
Gracchi Legg. agrariae 152.
Graeci. Religionum origines ad rudium hominum opiniones omnino comparatae 22. eorum numina nata ſunt e priſcia Pelaſgorum diis familiaribus partim 22. partim ex diis locorum 22. deorum formas fingebant humanas 24. religiones ab advenis acceptae 25. a vatibus 26. Graecorum virtus e temporum rationibus aeſtimanda 350.

Graecia magna foedus Achaeorum imitatur 181.
Gyraldus 304. g).

Hannonis nauigatio quando facta. 44.
Heraclea, ſiue Cherſoneſus ab Heracleotis Aſiae condita 391.
Heracliti de animabus ſiccis placitum 97. omnium rerum principium materiam conſtituit igneam 102. animam dixit ἀναθυμίασιν 103. Aliud dictum de amne eodem nec eodem ibid. m). Aliud: viuere homines mortem deorum 105 p). alia 106 u).
Hippocrates, peſtem proprie dictam non attigit ſcriptis ſuis. 111.
Hiſpania Poenis prima exitii cauſa 58.
Hiſtoria vetus narrationibus perigrinantium quomodo illuſtretur 3.
Hiſtoriae naturalis fragmenta ex oſtentis prodigiis ac monſtris 198. 256. eius ignoratio ſuperſtitionum parens 203 ſq.
Hollmanni feriae ſaeculares 198. morte ereptus 407. 408. 429.
Homerus, ſeptentrionis notitiam prodit obſcuram 388.
Hunni Cherſoneſum Tauricam occupant 395.
Hygini locus de Demogorgone interpolatus 304.

Imbres pro prodigiis habiti 212.
Imperatorum Romanorum numi cum epigraphe: felicitas ſaeculi 328 ſq.
L'Influenza 109. 110.
Ionum reſp. foederata 179. diſcordiis et hoſtili vi ſoluta. 180.
Italiae ante bellum ſociale conditio triſtiſſima 150. eius hiſtoria naturalis ex oſtentis 198. 256. multo frequentius olim incendiis ſubterraneis ac tremoribus vexata videtur. 258. 261.
L. Iulii Coſ. in bello ſociali clades 155. eius lex de ciuitate pop. Italic. ibid.
Iuris criminalis initia vnde ducta 191 ſq.

Lana in Veienti agro ex arboribus nata 264.
Larium ac Penatium religio multo magis in Italia quam in Graecia frequentata 23.
Latinorum foedus, ad opes Romanorum minuendas factum 280.
Leges: Semproniae 152. Licinia Mucia ib. Liuiae 153. Varia ib. Iulia 155. Plautia Papiria 156.
Leo M. ad Attilam et Genſericum legatus miſſus 128 ſqq. legationis ad Attilam cauſſae 130. euentus 132. ad Genſericum legatio 139.

Litte-

Litterae, ad popularem rationem a noſtratibus temere reuocatae, quae mala excitauerint 338.
Liuii locus illuſtr. 89. n) 47. q) 194. 90 o).
Lucani locus, de Demogorgone a Bocatio acceptus, illuſtratur 299.
Lutatius Placidus, de Demogorgone 300. loc. ill. 307 k).
Lyciorum reſp. foederata 178.
Lycortae laus 167 c).

Magia a philoſophematibus veterum per ſymbola redditis orta 295 ſq.
Maris ardentis prodigium quid ſit? 266. 274. maris imperium et opes maritimae ceſſere virtuti Romanorum 69.
Maſiniſſae perfidia 74.
Maſſilienſes, latrociniis Poenorum reſtitere 45.
Maſtia, nauigationis terminus Romanis conſtituta 60. de eius ſitu diſputatur. ibid. l).
Meſſenii, Achaeorum foedus recuſabant 171. 174.
Mileſii deſeruere foedus Ionum 180. eorum coloniae in Cherſoneſo Taurica 391.
Miltoni loc. ill. 296.
Mithridatis bellum aduerſus Romanos 157. Cherſoneſum in ditionem accepit 393.
Monſtra 271. 2.
Munchhuſii virtus et prudentia in Ge. Aug. condenda et firmanda 416 ſq.
Muſonius Rufus, philoſophus 96.

Naturae rerum ignoratio ſuperſtitionum parens 114. 272. 3.
Nauigandi libertates ac iura vt inter recentiores ſic inter antiquos legibus ac foederibus fuere circumſcripta 40. 47. 61. 76.
Nicolaus de Caſola Bononienſis; de poemate eius 142.
Νοερὸν et νοτερὸν 104. o).
Numi imperatorum Romanorum cum epigraphe: felicitas ſaeculi 328. vnde ea petita 381.

Ominum notio conſtituta 270. I.
Opinionum etiam falſarum mirus conſenſus 312 ſq.
Oſtenta v. Prodigia.

Panaetolium 178.
Panionia 179.
Panticapaeum, colonia Mileſiorum in Cherſoneſo. 391.
Paullus Peruſinus; de eo 303.

Pere-

Peregrinantium narrationes quae commoda attulerint veriori philoſophandi rationi 1. hiſtoriae veteri 3.

Peſtilentia: eius notio parum ſubtiliter definita 111 b). 112. proprie ſic dicta, ante Saec. II. A. C. nulla 112. febres epidemicae apud Romanos hoc nomine appellatae 111. 113. 125. in annalibus pontificum relatae. 113. cauſſae febrium e prodigiis vna relatis apparent 114. ſq. peſtium recenſua 115 ſq. etiam antiquiorum aetatum 121. an Carthaginis et Aegypti ibid.

Phaenomena aeris caelique, a Romanic in prodigia verſa 211 ſq.

Philippus Achaeorum dux factus 172. Achaeos prodit 175. a Romanis vincitur 177.

Philopoemen. 167. c). Praetor creatus res Achaeorum reficit 176.

Philoſophia omnis a vanis opinionibus progreſſa 203. 207. Orientis et Graeciae, a rerum elementis et vniuerſo profecta eſt 203. 295. Philoſophia orientalis barbara 306. Philoſophia omnino a peregrinantium narrationibus praeclara cepit incrementa 1. de humanitatis dignitate ac iuribus praecipiens philoſophia inter nos melior, cernitur in quaeſtionum atrocitate tollenda 184.

Philoſophorum antiquiſſimorum placita, quomodo ſint interpretanda 97 ſq.

Phocaeenſes fuga libertatem ſibi vindicant 180. Aleriam in Corſica condunt 44. mare latrociniis infeſtant 45. in bello cum Poenis et Etruſcis viribus exhauſti, inſulam relinquunt 45.

Phocion. χρηςὸς vnde vocatus 346. a). eius mores. 346. caput e gemma 347. a). ſecundum reip. Athenienſium conditionem facta eius ſunt diiudicanda 350. bellum cum Antipatro bene improbat 352. victis Athenienſibus Antipatri conditiones pacis probat 354. partium ſuarum ſtudio nimio ac pertinaciae culpa haud facile liberandus 355. Caſſandri et Nicanoris partes tuendo in proditionis crimen incidit 357. imperium ei abrogatur 360. ab Agnonide proditionis accuſatus ad Polyſperchontem conceſſit 360. ibi a legatis Athenienſium accuſatur 361. cauſſa ad populum reiecta damnatur 362. auctorum in cauſſa Phocionis fides 355 ſq. 359 a).

Phoenices: eorum coloniae per Africam 44.

Phylarchus 168 c).

Phyſicae imperitia, infinitarum ſuperſtitionum fuit origo 204.

Plutar-

Plutarchi loc. emend. 100 d). 101 g). 114 d). 152 d). in cauſſa Phocionis auctor eſt parum accuratus 355.
Pluuiae, lacteae vnde ortae 274. 212. 266. vnde cruentae? 266.
Poeni: eorum cum Romanis ſuper nauigatione et mercatura foedera 42 ſqq. opes 44 ſq. fortuna 69 ſq. Hiſpania prima Poenis exitii cauſſa 58. milites mercede conducere incipiunt 58. mancipia petebant ex Europa vt nos ex Africa 63.
Polybius, foedera Poenorum Romanorumque e tabulis Romae ſeruatis, tradidit 41. cur tot laudibus extulerit Achaeorum foedus 167 c). eius loca illuſtrata 49 r). 52 y). 60 l). 64 p). 65 q) s).
Polyſperchon, quo conſilio Athenienſibus remp. popularem reſtituit? 375 ſq.
Pontificis R. Pii V. iter Viennenſe 127.
Pontus Euxinus, Graecis ignotus, donec Iones hoc mare nauibus frequentabant 388.
Porcia lex, ne ciuem virgis caedere liceret 190.
Porphyrii loca expl. 104. 105.
Praemia concertationum academicarum 222. v. Certamen.
Principum M. Britanniae ad vrbem aduentus: expectatus 327. 343.
Prodigia et oſtenta: in rerum naturalium ignorantia eorum loco habentur res, quae praeter naturae morem fiunt 204. 115. 203. cauſſis a deorum ira repetitis, eorum procurationes in religionem venere 205. ideoque in monimentis publicia memorantur 206. vnicuique populo ſuum eſt prodigiorum genus 209. pro hiſtoriae naturalis fragmentis quomodo illa haberi poſſint. 208. Romanorum prodigia, ad hiſtoriam naturalem Italiae ſpectantia, in claſſes diuiſa 211. ea quae ſpectant ad aeris caelique phaenomena 211. imbres inſoliti 212. fulmina 213. ſtellae crinitae. flammae e terra ortae 214. 257. flammae in antennis nauium et capitibus hominum 257. ſudores ſignorum ibid. porro quae ſpectant ad terrae marisque phaenomena 258. motus terrae ibid. montium incendia 259. prodigia in arboribus et plantis 263. aquarum eluuiones, riui ſanguinis aut lactis 265. Prodigia denique ab animantibus 267. raro, in loco inſolito viſis 168. aut ſiquid praeter morem feciſſent 269. Hinc diuinandi genera 270 ſq.

Pronapis Athenienſis, poeta lyricus 304. eius commentitii Protocoſmos a Paullo Peruſino et Gyraldo citatus ibid. g) 305.
Pulchrum promontorium, de eius ſitu 47 q). Romanis pro termino nauigationis conſtitutum. ibid.
Quaeſtionum et tormentorum origines non ab ordaliis ſed a iure Romano 186 ſq. quaeſtionis notio accuratius conſtituta 188 *).
Quaeſtiones Certaminum academicarum; cuius naturae ſint 316. v. Certamen.
Raphaelis pictura, Leonis cum Attila congreſſum exhibens 137. ſqq.
Religionis inter barbaros origines et cultus religioſi prima notio 8 ſq. 11. 13. cf. deus. R. falſae ex naturae ignoratione natae 203 ſq. 272. 3.
Rerum publ. foederatarum finis qui eſſe debet? 162. quomodo pleraeque ortae 163. cur maxime inſtabile hoc reip. genus. 164. Achaeorum reſp. foed. 167. Lyciorum 178. Aetolorum 178. Boeotorum 179. Ionum 179. Doricarum et Aeolicarum ciuitatum 180. Magnae Graeciae 181. Etruſcorum 181.
Romani: eorum prudentia in coloniis regendis 81. ſqq. opinione hominum minor 151 b). erga ſocios et prouinciales crudeles fuere ac perfidi. 80. 151 b). cur a foederatis hoſtibus opes eorum nunquam fractae ſint? 278. 285. eorum cum Poenis ſuper nauigatione et mercatura foedera 42. ſqq. 50. Vide Foedera.
Rutilii Coſ. clades in bello ſociali, 155.
Sacra ſemiſaecularia Ge. Aug. 398. v. Academia.
Saeculi felicitas in numis imperatorum Romanorum 328. quae tum intelligebatur felicitas? 331. quae ſit ſaeculi noſtri felicitas 333. ſqq.
Sardinia, arcebantur Romani a Poenis 65.
Sarmatae, Cherſoneſum Tauricam occupant 390.
Scythae, pulſis Cimmeriis Tauricam occupant 390.
Scythae Satarchae et Scythotauri 392 m).
Siciliae ora a Poenis occupata 44. negotiandi ibi libertas Romanis conceſſa 66. primo Punico bello Poeni inde excluſi 71.
Socii. Sociale bellum v. Bellum.
Statii locus illuſtratur 299. ſq.
Stephanus Byz ill. 61 l).
Stobaeus, ex eo Muſonii Rufi ſermo 96 b) c).

Stoici, Heracliti placita ſuis rationibus accommodauere 101.
Strabo em. 390 f).
Sulla, ius aequum ſociis, libertatem Romanis adimit. 158.
Superſtitiones a naturae ignoratione profectae 203 ſq. 272. 3. ab oratione ſymbolica et allegorica profectae 291. ſuperſtitionum fraudes multifariae ad paucas reuocari poſſunt claſſes 312.
Supplicii ſumendi apud Romanos ratio 189.
Sybaritarum foedus 181.
Symbolum. Symbolorum vſus et ſymbolica loquendi ratio quae mala intulerit 291 ſq. ſpectat illa ad generis humani infantiam 292. adeoque nec magnam doctrinam nec ſubtilem tradere ea potuit ibid. aliena eſt a noſtris aetatibus 294. peperit illa falſas religiones, philoſophorum ludibria, myſticam doctrinam, magiam ibid.

Tarſeium, nauigationis terminus Romanorum 60. de eius ſitu ibid. l).
Tauri, Cherſoneſum occupant 390.
Taurica Diana 391.
Terrae phaenomena inter prodigia habita 258 ſq.
Theodontius, non hominis, ſed libri Paulli Peruſini nomen 302 ſq.
Theodoſia, l. Theudoſia, (v. Periplos Ponti Euxini) colonia Mileſiorum 391.
Tomaſo d'Aquileia. 129. 142.
Tormenta v. Quaeſtio.
Triopicum concilium 180.
Tyrii 58. 60.

Ugricae ſtirpis populi Cherſoneſum tenentes 395.
Uticenſes 60.

Vates Graeci, quomodo mythis religioſis vſi ſint? 26.
Vaticinandi morbus communis barbaris et rudibus populis 36.
Virgis cur caederentur apud Romanos, qui ſecuri percutiendi eſſent 189. 193.
τὸ ὑγρὸν Heracliti 105. 106.

Zenonis ſententia de anima 102.

ADDENDA.

ad p. 39 ſqq.

A *Schweighäuſero*, v. c. cuius ſtudio et doctrinae nouam, et, vt a viro acuto et melioribus ſubſidiis inſtructo expectare licet, meliorem recenſionem Polybii debebimus, obſeruationes nonnullas ad haec Poenorum foedera mihi communicatas apponam, dignas ſane, quae ad calcem commentationis meae ſubiiciantur.

Primo quidem, quae p. 47. primo foederis capite habentur: *nec vltra V. dies commorandi ſit facultas:* ἐν πέντε ἡμέραις δὲ ἀποτρεχέτωσαν οἱ κατενεχθέντες ex vno Perotti libro profecta ſunt, a ceteris libris abſunt. Firmantur tamen verba ex ipſa Polybii diſputatione cap. ſequ.

p. 49. Nota r) Polybii locus eſt III, 23 (non c. 49). Pro Ἐμπόρια melius ex codd. legitur Ἐμπόρεια. et mox pro ταῦτα παρέξειν in Polybio: ταῦτα, πάρεξ δὲ μηδὲν, οἴονται δεῖν λαμβάνειν, καὶ κατ᾽ ἀνάγκην ἐν πένθ᾽ ἡμέραις ἀπαλλάττεσθαι τοὺς καθορμισθέντας.

p. 51. In altero hoc capite verba: μηδὲν ἔστω τέλος πλὴν ἐπὶ κήρυκι ἢ γραμματεῖ, quae quidem durius dicta ſentiebam hoc ſenſu: *vectigal nullum pendunto;* recte vidit vir doctus ita eſſe accipienda: *nullum negotium ratum eſto, niſi quod adhibito praecone vel ſcriba fuerit confectum.* Ita vt occurratur omni mercaturae priuatis conſiliis et artibus inſtituiae. Quorſum etiam tendunt ea quae ſubiiciuntur: *nullius contractus niſi ad hanc legem facti fidem praeſtari.*

p. 61. Nota p) Vir doctiſſ. lacunam ſic explet: Καρχηδονίοις. [ὁμοίως δὲ μηδ᾽ ὁ Καρχηδόνιος] ποιείτω. εἰ δὲ, μὴ ἰδίᾳ μεταπορευέσθω. *cum his commeatibus ne cui eorum, quibuscum pax et amicitia eſt Carthaginienſibus, iniuriam facito.* Similiter Carthaginienſis ne facito. *Sin fecerit, priuatim perſecutio eius ne inſtituatur; ſed ſi quis tale quid admiſerit: publica iniuria eſto.*

ERRATA.

p. 95. l. 7. a S. *coſabulantium* l. conf.
p. 104. l. 3. a. f. νύτερον l. νοτερὸν.
p. 111. l. 5. *ingnoramus* l. ignoramus.
p. 275. l. 1. XIII. leg. XVI.
p. 287. l. 7. *boratibus* leg. hortatibus.
p. 294. l. 8. *porcuſſis* leg. percuſſis.
p. 309. l. 12. *piobus* leg. probus.
p. 319. ſequitur p. 203 pro 320. tum 319 pro 321.

Digitized by Google

Digitized by Google